BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
F
16
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE GENERIS HUMANI CONSENSU
IN AGNOSCENDA DIVINITATE
OPUS METAPHYSICUM, CRITICUM, ET HISTORICUM,

IN QUO PLURES RECENTIORUM INCREDULORUM, PRAESERTIM PETRI BAYLII, CONFUTANTUR ERRORES, AC PLURIMI ILLUSTRES VIRI, PLURIMAEQUE GENTES TUM VETERES, TUM RECENTIORES AB ATHEISMI NOTA VINDICANTUR.

CONSCRIPTUM

AB ALOYSIO BRENNA ROMANO S. J.

IN FLORENTINO EJUSDEM SOCIETATIS LYCAEO .

PHILOSOPHIAE PROFESSORE.

D I C A T U M

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. RODULPHO AEMILIO MARIAE
B R I G N O L E S A L E

SERENISSIMAE GENUENSIS REIPUBLICAE

PROCURATORI PERPETUO &c.

VOLUMEN SECUNDUM.

B. R. NAPOLI

FLORENTIAE MDCCLXXIII.

TYPIS REGIAE CELSITUDINIS APUD CAJETANUM CAMBIAGI

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

AMICO LECTORI.

Nonnullos eſſe Scriptores, qui graviſſimis verbis Atheorum impietatem deteſtati numerum tamen ipſum aut faciant multo majorem, aut facere videantur, quam veritas ipſa concedat, ii facile norunt, qui liberaliſſimis Artis Criticae ſtudiis operam dare conſueverunt. Sunt enim qui clariſſimis ex omni antiquitate Philoſophis turpiſſimam ſine ulla ratione Ἀθεότητος maculam aſpergant, & invitos, reluctanteſque vel maxime Graecae ſapientiae principes viros cum deterrima Divinitatis hoſtium turba miſcere conentur, atque confundere. Sunt etiam, qui cum in Europa opportunum tantae impietati praeſidium nanciſci non poſſint, ſeu vaſtas Africae oras, ſive inacceſſas Americae ſilvas, & vix cognita noſtris hominibus litora ſcrutentur, ut populos omni cujuſque Numinis cognitione carentes aliquando reperiant. Quin & Proteſtantes haud ita pauci, duce, niſi fallor, Calvino, in eam temeritatis conſuetudinem venerunt, ut Catholicos plurimos, praeſertim Italos, nihil tale merentes Atheis adnumerent. His artibus nimirum hujuſmodi Scriptores, niſi ex eorum numero ſint, quos aliorum praeſtigiae deceperunt, ſuorum odium in Catholicam Religionem inflammare ſtudent. Neque vero diſſimulandum hoc loco eſt, bonos quoſdam eſſe Viros, haud ſcio tamen, an ſatis in dicendo accuratos, qui nimias etiam aetate noſtra de incredibili Atheorum multitudine tragoedias excitant. Vident enim ſpretam apud

multos temporibus adeo calamitoſis Religionem jacere, *Spiritus fortes*, aliaſque hujuſmodi peſtes impune graſſari, ordinis cujuſque, aut aetatis homines in turpiſſima ſeſe quaevis ingurgitare flagitia. Ab iiſdem non raro, ſi quidem impune facere poſſint, eos miſceri ſermones comperiunt, qui noſtrorum animorum immortalitatem, divinamque Juſtitiam funditus tollant, & ipſa naturalis Religionis fundamenta convellant. Hinc qui reverentia Supremi Numinis, & amore tanguntur, maxime commoventur, & ipſorum aliqui eam facile ſuſpicionem admittunt, ne forte, qui tam pravos fovent de Religione ſenſus, omni prorſus Divinitati bellum indixerint. Hinc homines minime mali & forum, & caſtra, & curiam, & gymnaſia, & ipſa templa Atheis redundare queruntur, quos tamen, qui Artis Criticae, vel Dialecticae regulas melius tenent, eſſe fatentur pro charitate quidem, quam Deo homines debent, nimium multos, at pro multitudine bene, aut non tam male ſentientium admodum paucos; imo ita paucos, ut cum adverſantibus comparari nulla ratione poſſint. Jam vero in horum omnium auctoritate deliteſcere curant, ut rationem declinent a *Generis Humani Conſenſu* petitam *in agnoſcenda Divinitate*, cum Spinoſae, ac Tolandi diſcipuli (quod genus eſt Atheorum impudentiſſimum) tum praeclarus ille Atheorum patronus, Petrus Baylius, contra quem plurima in primo Volumine diximus, plurima jam in altero dicturi ſumus. At advertere debuiſsent, Auctores eoſdem, quos indicavimus, ita plerumque vel ſentire, vel loqui, ut tanta, tamque doctis hominibus inflicta calumnia, quamvis, niſi diſsipetur, rationis illius, ut ita dicam, aliquos nervos elidat, non tamen

eam-

eamdem omnino conficiat, aut exterminet. Plures enim illi claſses Atheorum plerumque deſcribunt. In prima eos numerant, qui Deum quemlibet aut omnino ignorant, aut aperte negant. In alias eos detrudunt, quos aut negaviſſe Deum ipſi rationibus quibuſdam, argumentiſque concludunt, aut perperam de ſupremi Numinis proprietatibus locutos fuiſſe norunt. Perinde enim id eſſe dicunt, ac ſi Deum apertius negaviſſent. Auctores iſti, quod alio loco poſt Fabricium, Bruckerum, alioſque Criticos emunctae naris explicuimus, cum in ipſis Atheorum claſſibus deſcribendis inter ſe nullo modo conſentiant, Hiſtoriam, quae Philoſophorum placita, & doctrinas exponit, haud leviter perturbarunt. Dicere tamen poterit, ſi quis Auctores eoſdem defendere cupiat, tantum Atheos illos, qui pertinent ad primam claſſem, efficere poſſe, ſi plurimi dicantur eſſe, ne genus hominum univerſum in ſupremum aliquod Numen agnoſcendum convenire videatur. Atheos autem hujuſmodi, ſi diligentius, quam a pleriſque factum fuerit, ſeponat a reliquis, paucos omnino fuiſſe, non difficile demonſtrabit. Jam Atheos aliarum quarumcumque claſſium (ſunt enim qui ad novem, aut etiam decem claſſes inducant) cum ab ipſa natura moniti videantur, ut aliquam eſſe concedant ſupra Genus Humanum a nullius nutu pendentem, ſumma quidem intelligentia, ſumma bonitate, virtute ſumma praeſtantem, beatamque Mentem, & immortalem, ad optimae cauſae patrocinium vocari poſſe, contendet. Ridicula profecto res videri poterit, quod iidem, quos vocas Atheos, hoc eſt, ſi vocis poteſtatem ſpectes, quibus nullus eſt Deus, teſtes a te producantur, quaſi, quod Deus maxime ſit, & ipſi diffiteri non audeant.

Digitized by Google

At levius erit id ſine dubio malum, quam ſi committas, ut rationem, de qua locuti ſumus, infirmam, & ineptam eſſe defendens, cauſae bonis omnibus probatae praevaricator vel haberi vel dici queas. Illud etiam advertere Baylius, aliique debuiſſent, Scriptorum, de quibus loquimur, auctoritatem hominibus tantummodo in Arte Critica parum exercitatis fucum facere poſſe. Nam inter eos nonnulli, quae ſcripta fuerant ab aliis, incredibili quadam fidelitate deſcribunt, quod non ita raro quibuſdam a recentioribus etiam aliis Auctoribus fieri videmus, qui, cum de ſuo non poſſint, de alieno ſibi volunt ingenio nominis immortalitatem, gloriamque comparare. Alii multa quidem proprio marte, quod dici ſolet, excogitata in medium afferunt, ſed nihil minus curare videntur, quam ut probabili aliqua ratione muniant, atque ſtabiliant. Alii denique multa congerunt, quibus fidem ſibi, ſuiſque dictis concilient, ſed ita debilibus plerumque fundamentis nituntur, ut voluiſſe quidem aliorum Ἀθεότητα demonſtrare, at nullo modo potuiſſe videantur. Quamobrem nihil, aut parum his Auctoribus eſſe fidendum ratio, & veritas ipſa convincit. Sed ut illorum, qui ſtant a Spinoſa, vel a Baylio ea ratione frangamus audaciam, quae cum plenior, tum utilior legentibus, atque jucundior accidat, ſeparatim hoc altero Volumine de ſingulis Gentibus, quae vel totae, vel maximam certe partem Atheae dictae ſunt a nonnullis, agere decrevimus. Noſtra enim ſententia eſt, nullam ab adverſariis Atheam ex antiquorum, vel ex recentiorum temporum hiſtoria nationem poſſe proferri. Itaque, ſi de populis agitur, aut antiquioribus, aut recentioribus, tam bene cognitis, ut illorum de maximis rebus opinio-

niones aſſequi non dubia ratione poſſimus; nullum indicari poſſe, quem Atheum fuiſſe, vel eſſe, probatae fidei teſtes opinari ſinant, pronunciamus, atque defendimus. At ſi de gentibus inferatur ſermo tam barbaris, atque feris, ut noſtrorum hominum vel maxime curioſorum diligentiam offugiant, ac vix de ſententiis illorum pauca quaedam teneri, ac memoriae prodi potuerint, ita ſtatuimus: Non deeſſe monumenta, quae levi ſaltem aliqua Divinitatis notitia pleraſque imbutas fuiſſe declarent: etſi verum eſt quaſdam occurrere, adeo paucas, atque adeo viles, ut vix aliqua dignae memoria videantur, de quibus nimirum argumento, quod *poſitivum* Critici vocant, nihil ſine magno erroris periculo definiri poſſet, ſi tantummodo hiſtoriae monumenta conſuleremus. At ne adverſarii quidem hujuſmodi argumentum proferre poſſunt; neque enim eas gentes Atheas habendas eſſe ulla probabili, ac ſatis firma ratione concludunt. Itaque, cum par utrimque ſit ratio, habendas eodem eſſe loco cenſemus, quo gentes, ſi quae ſunt adhuc, prorſus incognitas, de quibus videlicet Ἀναλογίας, aut *Inductionis* argumento ſtatui debeat, quid cenſendum omnino ſit. Alter autem hic Liber in duas etiam dividitur partes. Altera de gentibus non paucis agit, quarum apud antiquos Scriptores occurrit mentio; ubi etiam de Graecis Philoſophis, atque aliarum Gentium Sapientioribus Viris haud leviter agendum erit; de aliis potiſſimum altera, quae poſtremis aetatibus innotuerunt. Nam de Sinenſibus etiam hic non una controverſia ſolvenda eſt; quin & de illis Europaeis longior habenda tractatio, quos videlicet in Atheorum collegium, per injuriam profecto non levem, quorumdam Scriptorum vel

odium,

Digitized by Google

odium, vel temeritas, vel inſcitia referre non dubitavit. Si res nobis ex voto ceſſerit, haud leviter Hiſtoriae Criticae, quae Philoſophorum ſententias, ac Populorum Religiones exponit, fortaſſe conſulemus. At, quoniam noſtrarum nobis tenuitas virium ſatis perſpecta eſt, jam hinc te rogamus, amice Lector, ut, ſi opus ipſum probare non poteris, ſtudium tamen ipſum, ac voluntatem juvandi optimam cauſam, gratam habere velis. Vale.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

Gentes non paucae defenduntur, de quibus apud Scriptores antiquos occurrit mentio.

CAPUT I. *De Phlegybus, atque Gigantibus.* pag. 1.

CAP. II. *Quid ſentiant adverſarii quidam de Graecis proponitur, ac Linus, Orpheus, & Muſaeus ab Atheiſmi nota vindicantur.* 5.

CAP. III. *De Homero, Heſiodo, caeteriſque Theogoniarum auctoribus.* 17.

CAP. IV. *De Philoſophis, praeſertim Ionicis, ante Anaxagoram.* 30.

CAP. V. *De ſententiis aliorum explicare contendentium, qua ratione primus Anaxagoras dici potuerit, qui Mentem rerum cauſam agnoverit.* 38.

CAP. VI. *De Thalete, Anaximandro, atque Anaximene. Scholae Ionicae ante Anaxagoram principibus Viris ſingillatim agitur.* 42.

CAP. VII. *Numerum Atheorum valde exiguum ex veteribus Librorum Auctoribus Graecis, atque Latinis colligi, demonſtratur.* 53.

CAP. VIII. *Temeritas recentiorum plurimos Graeciae Philoſophos Atheis adſcribentium magis perſpicua ratione convincitur; cujus exemplum in Xenophane Colophonio, ejuſque diſcipulis Eleatenſibus ponitur.* 63.

CAP.

Cap. IX. *Scepticos, atque Academicos Atheos non eſſe dicendos, oſtenditur.* 75.
Cap. X. *De Thoïbus, atque Acrothoitibus.* 81.
Cap. XI. *De Scythis.* 83.
Cap. XII. *De Celtis.* 86.
Cap. XIII. *De Etruſcis.* 91.
Cap. XIV. *De barbaris quibuſdam Africae populis.* 94.
Cap. XV. *Ægyptium ſaltem populum jure Atheum haberi non poſſe probatur.* 101.
Cap. XVI. *Quid ſentiendum ſit de ſententia Euſebii arcanam philoſophiam Egyptiorum exponentis?* 107.
Cap. XVII. *Sententia Bruckeri proponitur de arcana Ægyptiorum doctrina.* 114.
Cap. XVIII. *Alia ſententia de veterum Ægyptiorum arcana doctrina perpenditur.* 118.
Cap. XIX. *Arcana Ægyptiorum doctrina, ſimulque alia inter Ethnicos celebrata Myſteria aetatibus antiquioribus, auctoritate Graecorum ea laudantium defenduntur.* 122.
Cap. XX. *Myſteria Ægyptiorum ex eo defenduntur, quod eadem fuerint ut alia aliarum Gentium, ac praecipue Graecorum, quae non contemnendam de Natura divina doctrinam, ſi cum aliis Ethnicorum placitis comparetur, texiſſe nobis videntur.* 125.
Cap. XXI. *Difficultati occurritur, quae contra noſtram de Myſteriis opinionem ex laudato Cottae apud Ciceronem de Nat. Deor. teſtimonio repeti poſſet.* 133.
Cap. XXII. *De Veteribus Arabibus, atque Sabaeis.* 137.
Cap. XXIII. *De Phoenicibus.* 142.

CAP. XXIV. *An doctrina, quae Sanchuniathonis Coſmogonia traditur, ullum relinquere videatur Divinitati locum?* 145.
CAP. XXV. *An ea Coſmogonia Sanchuniathonis genuinum opus haberi debeat?* 152.
CAP. XXVI. *De Caldaeis.* 157.
CAP. XXVII. *De Indis.* 167.
CAP. XXVIII. *De Veteribus Indorum Gymnoſophiſtis; ubi aliqua etiam de Brachmanibus recentioribus.* 176.
CAP. XXIX. *De doctrina, quam Budda, celeberrimus inter Indos philoſophus, moriens tradidiſſe fertur.* 184.

PARS SECUNDA.

In qua de Gentibus agitur Ἀθεότητος inſimulatis, quae noviſſimis aetatibus innotuerunt; nec non de Atheis, qui tum in Sinarum Imperio, tum in Europa eſſe dicuntur.

CAP. I. *Noſtra de gentibus iiſdem explicata ſententia, ſingillatim de populis quibuſdam agitur, qui regiones tenent Polo Artico proximiores.* 193.
CAP. II. *De Populis quibuſdam Americae Septentrionalis.* 199.
CAP. III. *De Incolis Antillarum, Cubae, & Hiſpanicae.* 208.
CAP. IV. *De populis pluribus Americae Meridionalis.* 213.
CAP. V. *De Paraquarienſibus.* 235.
CAP. VI. *De Braſilienſibus.* 243.
CAP. VII. De *quibuſdam Africae populis, qui non aliis fere, quam poſtremis aetatibus innotuerunt.* 247.

CAP.

Cap. VIII. *De Druſis Aſiae populo.* 258.

Cap. IX. *De Inſulis Nicobarenſibus, & aliis quibuſdam Auſtrali Plagae proximioribus.* 264.

Cap. X. *De Inſulis, quae Dos Palaos, aut Novae Philippinae vocari ſolent; ubi & de Carolinis.* 268.

Cap. XI. *De Inſulis Marianis.* 278.

Cap. XII. *De regione, quae Yedſo dicitur prope Iaponiam.* 282.

Cap. XIII. *Occaſione a Sinicis Monumentis accepta, Digreſſio ſit ad probandum, contra noſtros adverſarios, Mundum ab aeterno tempore non eſſe.* 285.

Cap. XIV. *De Sinis antiquioribus, ubi etiam de Confucio, & Memcio.* 306.

Cap. XV. *Sententiae clarorum quorundam Hominum de Sinis Recentioribus exponuntur.* 318.

Cap. XVI. *Noſtra de Sinis Recentioribus ſententia proponitur, atque defenditur.* 324.

Cap. XVII. *De Atheis Europaeis univerſe, quos non ita multos eſſe, facili ratione demonſtratur. Obiter autem agitur de pietate Alexandri Popii.* 334.

Cap. XVIII. *Recentiores aliqui doctrina celebres ab illata per Baylium, atque alios* Ἀθεότητος *nota liberantur.* 340.

Cap. XIX. *Petrus Cardinalis Bembus, ac Leo X. Pont. Max. ab eadem calumnia defenduntur.* 348.

Cap. XX. *De reliquis hominibus a Baylio productis, quo loco celeberrimos Atheos producere debuiſſet.* 361.

DE

DE GENERIS HUMANI CONSENSU IN AGNOSCENDA DIVINITATE LIBER SECUNDUS

IN QUO SINGILLATIM DE GENTIBUS ATHEISMI CRIMINE INSIMULATIS AGITUR.

PARS PRIMA

Gentes non paucae defenduntur, de quibus apud Scriptores antiquos occurrit mentio.

CAPUT I.

De Phlegybus, atque Gigantibus.

CUM gentes haud ita paucas impietatis illius, qua major eſſe ulla vix poſſit, crimine inſimulatas apud aequos Lectores vindicaturi ſimus, ab iis exordiri nobis maxime placuit, quae remotioribus aetatibus nobiliſſimas Europae regiones incoluerunt.

Ac primo quidem Phlegyas, Theſſaliae gentem, facile eſt ipſius, qui ad eos damnandos in judicium vocatur, Homeri teſtimonio, ejus culpae, cujus accuſantur, abſolvere, quamvis ob alias cauſas inter peſſimos homines numerandi ſint. Quid enim ex Homero (*a*) tandem adverſarii colligunt, praeter quam eos Jovem non curare, Jovem ſpernere, neque ulla Deorum immortalium reverentia capi? Atqui hujuſmodi ſermo, niſi fallor, potius agnitam ab ipſis Di-

(*a*) *Hymn. in Apoll. v. 279.*

Divinitatem, quam penitus ignotam fuiſſe indicat. Quos enim in rerum natura nullo modo fatemur exiſtere, citius omnino negare, vel de medio ſublatos exiſtimare, quam pro nihilo ducere, quam ſpernere, quam non curare dicimur.

Quod autem *in Scholiis ad Iliadem* (*a*) Athei vocantur, ad perditos eorum mores, atque flagitia pertinet, quae homines, ut eos vocat Euſtachius, *improbi* ac *latrones* admittebant (*b*). Hanc enim ſaepius apud veteres illius vocis acceptionem fuiſſe primo libro docuimus.

Ut majorem, quae diximus, lucem accipiant non abs re fuerit, quod ſubdimus animadvertere: ab Homero ſcilicet, improbos homines induci non raro contemptu Numinum inſignes, eorumque vim, atque potentiam, incredibili quadam audacia contemnentes. At eoſdem homines egregius idem poëta, non omnino ſublatam de medio velle Divinitatem, non obſcure ſignificat.

Luculentum ejus rei habemus exemplum libro nono Odyſſaeae, quem locum ex elegantiſſimi poëtae Bernardi Zamagnae interpretatione (*c*) afferimus. Ita enim ibi prudentiſſimus Ulyſſes Polyphemum, ſcilicet immanem quemdam, & crudelitate famoſum alloquitur.

„ *Nos procul a Troja diverſa per aequora ventis*
„ *Iactati, patrias Danai dum tendimus oras,*
„ *Venimus huc, nutuque Iovis, fatoque coacti.*

„ *Ve-*

(*a*) *Num.* 302.

(*b*) Jacobus Mycellus *in Annotat. ad Boccacii Genealog. Deor. L. V. c.* 30 *p. m.* 140. affert de Phlegybus teſtimonium Pherecydis, qui = *Phlegyes*, inquit, *Gortinam habitantes, peſſime, ac plane latronum more vivebant, itaque & finitimos incurſabant, multoſque injuria afficiebant .... ad ſummum ab Apolline deleti ſunt.* =

(*c*) Bernardus Zamagna, homo nobis amiciſſimus, qui carminibus egregiis de Echo, ac de Navi Aërea, pluribuſque aliis in lucem editis, magnam ſibi apud homines elegantiorum litterarum amantes gloriam peperit, cum haec ſcriberemus, in Odyſſaea Homeri latine vertenda, ſubſecivas horas inſumebat. Utinam egregium opus ad umbilicum deducat, ac publici juris faciat.

Digitized by Google

„ *Ipſe vides gentes Agamemnonis arma ſequutas*
„ *Atridae, cuius coelo nunc maxima fama*
„ *Tollitur, evertit poſtquam Priameïa regna,*
„ *Pugnaceſque urbes Aſiae. Nunc ad tua vecti*
„ *Littora, ſupplicibus te votis poſcimus omnes*
„ *Ad genua haerentes, facilis dare munera forte*
„ *Si qua velis, laetoſque tua dimittere ſede.*
„ *Tu vero Divos veritus miſerere precantum:*
„ *Iupiter hoſpitibus laeſis, precibuſque repulſis*
„ *Ultor adeſt: ille hoſpitii ſacra jura tuetur &c.*

Impius autem ille Polyphemus ita reſpondet, ut Deos eſſe non neget, ſed eoſdem petulanter aſpernetur.

. . . *vel te dementia verſat,*
„ *Longa vel hinc pelagi via dividit, alta vereri*
„ *Me fors, aut ſervare putas qui numina caeli.*
„ *Nulla mihi, ſuperique Iovis reverentia, curo*
„ *Nec Divos cedunt nobis praeſtantibus auſis*
„ *Coelicolae: proin mitte Iovis praetendere vires,*
„ *Atque odia, ultoris; noſter tibi parcere ſolus*
„ *Hic animus, ſociiſque valet, ſi juſſerit ipſe.*
„ *Verum age dic &c.*

Eodem libro Polyphemus jam lumine caſſus, tantiſper ſuperbiam ponit, ac Neptunum fuſis precibus obſecrat.

„ *O qui fluctiſono vaſtam quatis aequore terram,*
„ *Si tua ſum proles, ſi tu mihi ſanguinis auctor,*
„ *Da, Pater, in patriam redeat ne victor Ulyſſes*
„ *Laërta genitus, procul hinc Ithacenſia ponto*
„ *Regna colens. Vel ſi reducem contraria votis*
„ *Poſcunt fata meis, certuſque hic terminus haeret;*
„ *At veniat ſero, ſociorum & funere triſtis,*
„ *Nec patria in puppi; videatque indigna domorum*

A 2 „ *Exci-*

„ *Excidia, & miſera turbatos clade Penates.*
„ *Talibus orabat, genitor nec vota precantis*
„ *Reſpuit &c.*

Ex his etiam habes quid opinari de Gigantibus debeas, quos & Homerus, & alii, quorum ille chorum ducit, tum Graeci, tum Latini poëtae, maxime impios, atque Deorum hoſtes inducere conſueverunt.

Neque enim quidquam habet probabilitatis ea conjectura, quam facit Macrobius, divinari potius, cum poëtas antiquiores exponit, quam ſenſus eorumdem diligenter, & accurate rimari ſolitus. Ait enim (*a*) = *Gigantes quid aliud fuiſſe credendum eſt, quam hominum quamdam impiam gentem, Deos negantem, & ideo exiſtimatam Deos pellere de coeleſti ſolo voluiſſe* = Potiore mihi videor jure Macrobium interrogaturus, quid aliud hanc explicationem eſſe credendum ſit, niſi commenti genus, nulla ratione, nulla auctoritate, prolatum? Gentes prorſus atheas numquam fuiſſe cognitas tota hiſtoria loquitur, tota clamat antiquitas. Quid me, Macrobi, docere vis, non monumentorum fidem, ſed tuas, neſcio quas, conjecturas ſecutus, aliquam hujuſmodi gentem extitiſſe? Deſine id me docere. Abnuo; non accipio; in tuam venire ſententiam recuſo.

Caeterum celeberrimam illam de Gigantibus fabulam alii veteres alia ratione declarant. Inter eos Cornutus, ſive Phurnutus (*b*), Macrobio gravior, & antiquior auctor, haec habet, ut vertit Conradus Clavſerus Tigurinus, in libro de Natura Deorum (*c*) = *Ferunt Minervam in Gigantomachia Ari-*

(*a*) *Lib. I. Saturnal c.* 20.

(*b*) Is eſt, de quo Morerius *in Diction. Hiſtor. tom. I.* = *Cornutus Philoſophe Stoïcien, Africain, vivoit a Rome; ſous l' Empire de Claude, & de Neron. Ce dernier le fit mourir. Cornutus fut Prècepteur du Poëte Perſe. On le mette auſſi au nombre des Grammariens, & des Poëtes; & il eſt très-ſouvent allegué par Aulu-Gelle, par Euſebe, par Suidas, & par l' A. de la vie de Perſe* = *V. Fabric. Bib. Gr.*

(*c*) *p.* 48. 49.

Ariſteia conſecutam eſſe : & hac ratione impulſi veteres Γιγαντοφόντιδα, *ideſt Gigantum peremptricem eam dixere. Veriſimile namque eſt primo homines, qui e terra nati ſunt, fuiſſe violentos & truces, & in ſe mutuis caedibus ſaeviiſſe, quod nondum dijudicare poſſent communionis, & ſocietatis ſcintillam, quae ipſis inerat, nec dum tamen in eis radices egerat. Dii autem veluti pungentes, & admonentes tandem humanum genus pervicerunt. In primis tamen orationis diligentia, & ſolertia eos debellavit, & jugo ſubdidit, adeo ut eos deturbarint, & peremerint, ideſt in novos homines converterint. In alios enim tranſierunt homines. Hi enim qui ex Gigantibus tandem ſunt nati, a Pallade Minerva, ideſt a cognitione, ſeu ſcientia ligati ſunt* = (*a*) Equidem facile crediderim aliquam hiſtoriae de Gigantibus, qui fuerunt ante Diluvium, per ſacras litteras narratae notitiam ad Ethnicos perveniſſe, quae varias conſtruendi fabulas occaſionem Poëtis dare potuerit.

C A P U T II.

Quid ſentiant adverſarii quidam de Graecis proponitur, ac Linus, Orpheus, & Muſaeus ab Atheiſmi nota vindicantur.

GRaecos praeſertim antiquiſſimos ii demum Ἀθεότητος poſtulare videntur, qui poetas in Graecia non tantum ingenio, ſed & optimae doctrinae laude vel maxime celebratos, Atheis ſine ulla dubitatione annumerant, Linum videlicet, Orpheum, Muſaeum, Haeſiodum, Homerum,

(*a*) Ita in libello, cui titulus. Φουρνούτου Θεωρία περὶ τῆς τῶν Θεῶν φύσεως, *p. m.* 40. = καὶ ἐν τῇ πρὸς τοὺς γίγαντας δὲ μάχῃ παραδίδοται ἠριστευκυῖα ἡ Ἀθηνᾶ, καὶ γιγαντοφόντις ἐπονομάζεται, κατὰ τοιοῦτον λόγον. τοὺς γὰρ πρώτους ἐκ τῆς γῆς γενομένους ἀνθρώπους εὔλογον βιαίους, καὶ θυμικοὺς κατ' ἀλλήλων γενέσθαι διὰ τὸ μηδέπω δύνασθαι διακρίνεσθαι, μηδὲ ῥιζοῦσθαι τὸν ἐνόντα αὐτοῖς σπινθῆρα τῆς κοινωνίας· οἱ δὲ θεοὶ ὥσπερ εἰ νύττοντες, καὶ ὑπομιμνήσκοντες αὐτοὺς τῶν ἐννοιῶν, περιγεγόνασι, καὶ μάλιστα ἡ κατὰ λόγον ἐντρέχεια κατεπολέμησεν αὐτούς, καὶ ὑπέταξεν οὕτως, ὡς διηλλαχέναι, καὶ ἀπεκτονέναι αὐτούς, δηλονότι μεταβεβληκέναι· ἄλλοι γὰρ αὐτοὶ τῆς ἐκ μεταβολῆς ἐγένοντο· καὶ οἱ γεγονότες διὰ αὐτῶν συμποδισθέντες εἰσὶν ὑπὸ τῆς Παλλάδος Ἀθηνᾶς, δηλαδὴ γνώσεως. =

Digitized by Google

rum, ac reliquos iis non abſimiles, qui Deorum immortalium ortus, atque res geſtas, concubitus praecipue cum mortalibus, & lites, & praelia, & vulnera cecinerunt.

Praeterea, qui primum Anaxagoram ferunt Mentem aliquo modo cognoviſſe, quae Mundum fabricata fuerit, atque digeſſerit, Graecos ante illum univerſos, alii clarius, obſcurius alii, Spinoſiſtas, aut alterius generis Atheos habendos eſſe ſignificant.

Denique multi ſunt, quod in alterius hujus libri prooemio vidimus, nobilium quorumcumque Graecorum accuſatores, quos profecto ſi audias, Graeciam univerſam fuiſſe celeberrimam Atheiſmi ſcholam pronunciare non dubitaveris.

Nos autem, qui de nobiliſſima tot ingeniorum, atque artium parente omnino alia ſentimus, tam atroces propulſare calumnias longiore oratione conabimur. Et initium quidem a tribus poëtis, atque adeo theologis, ut vocare ſolent, Lino, Orpheo, atque Muſaeo ducendum eſſe putavimus. Quamquam enim, ſi patriam ſpectes, tres iſti viri non debent Graecis annumerari, tamen & Graeca ſunt, quae feruntur, ipſorum carmina, verius a Graecis Auctoribus conficta, ipſiſque tributa, & inter Graecos eoſdem, ut diximus, maxime claruerunt.

Itaque Linum (*a*) Angli Pantheiſtae ſibi vindicant (*b*), quod *ex toto quidem eſſe omnia, & ex omnibus totum cecinerit. = Hujus autem verſiculi*, ut eſt apud Asleium Sykes, cujus verba Genuenſis latina facit, *fuſior eſt explicatio..... Univerſum itaque, cujus exigua portio eſt mundus hic aſpectabilis, affirmant eſſe infinitum tam extenſione, quam virtute:* *con-*

(*a*) Herodotus *Lib. II.* 79. facit Linum Ægyptium. Alii tres diſtinguunt Linos: Celeberrimum, qui Chalcidenſis fuerit; Iſmenii filium, qui Thebanus; ac demum Linum Narciſſum. Vid. Pauſaniam *in Baeoticis*, & Auctores Hiſt. Philoſ.

(*b*) Ap. Aslei Sykes *Connex. de la Relig. natur. & de la rev. p.* 85. Vid. Genuenſ. *Diſſ. de rer. corp. or. C. I. §. ult.* Verſus Lini eſt Ἐκ πάντος δὲ τὰ πάντα, ϗ ἐκ πάντων πᾶν ἐστι.

continuatione vero totius, & partium contiguitate unum: immobile, ſecundum totum, quum extra eum nullus ſit locus, aut ſpatium: mobile autem, ſecundum partes, ſive per intervalla numero infinita: incorruptibile ſimul, & neceſſarium, utroque modo, exiſtentia ſcilicet aeternum, & duratione: intelligens etiam eminenti quadam ratione (Quae tamen eminens ratio alia non eſt, ut patet ex Tolandi ſcriptis, quam quod in Mundo ſint res intelligentes, hoc eſt praecipue mentes humanae).... *cujus ſunt denique partes integrantes ſemper eaedem, ut partes conſtituentes in motu* = Haec illi afferunt, ut Lini verſiculum explicent. At recte hic Genuenſis (*a*) = *ita veteres interpretari eſt velle recentium notiones antiquorum verbis affigere* =.

Et id quidem in eos etiam dici poſſet, qui ad unicam Spinoſae ſubſtantiam ſignificandam ea Lini, ac Pythagorae verba trahere vellent, quae ſunt apud Damaſcium: nimirum „ *non eſt unum aliquid, ſed omnia ſunt unum* „ (*b*).

Quamvis enim & ille verſiculus, & haec verba genuina eſſent, ſenſus tamen alios, atque Spinoſianos, recipere poſſent. Quis enim non videat potuiſſe mundum univerſum a nobiliſſimo poëta laudari, ac magnificis illis verbis extolli, quod, non excluſa quidem, at ſuppoſita Mente, quae ſit rerum omnium prima cauſa, cuncta producat, cuncta complectatur, atque alat, unuſque ſit, quod in unum finem res omnes, aliae ex aliis annexae, ac pulcherrimo quodam ordine digeſtae, conſpirare quodammodo videantur?

Caeterum ne leviter quidem dubitare videtur Agatopiſtus (*c*), quin verſiculus ille confictus fuerit, & ea, quae legimus apud Damaſcium verba vehementer Bruckero (*d*) ſu-

(*a*) *Loc. cit.*

(*b*) Damaſc. in libro περὶ ἀρχῶν, cujus fragmenta dedit Wolfius *T. III. Anecd. Graecor.* = οὐ γὰρ, inquit, ἕν ἐστι τι, ἀλλὰ πάντα ἕν, ὡς Λῖνος τε ἔλεγε, καὶ Πυθαγόρας = Vid. Jamblichus *de Vit. Pytb c. 28. n. 139.*

(*c*) *Iſtor. di ogni Filoſ. C. XVI. Vol. II. p. 12. in not.*

(*d*) *Hiſt. Crit. Tom. I. P. II. L. I. C. I. §. 11. p. m. 373.*

ſuſpecta ſunt: quin & Cluverius, & Voſſius (*a*), & alii poëtam ipſum, qui tantopere celebratur, unquam extitiſſe negant, quamvis a Lino = *Cultum, qui Saturno deferebatur ex quorumdam opinione* = inductum fuiſſe Theophilus ad Autolycum (*b*) narret, atque alii veteres, ut Sextus Empyricus (*c*), Linum inter eos numerent, qui verſibus ante Homerum ſcripſerint.

Nos ab adverſariis hoc tantum poſtulabimus; ſcilicet, ut ſi, quae protulimus, genuina putent, ea etiam putent, quae Laërtius (*d*) habet. Etenim hic non modo narrat ſcripſiſſe Linum = *De Mundi generatione, Solis item, & Lunae curſibus, animalium quoque, & fructuum generationibus* = ſed & verſum affert, qui operis a Lino compoſiti fuerit initium (*e*).

„ *Tempus erat, quo cuncta ſimul ſunt condita quondam* „

Quantopere autem iſte verſiculus Pantheiſtarum erroribus opponatur, ii ſciunt, qui celebre carmen noverint a Tolando compoſitum, & ab impuro grege inter pocula redditum; in quo ſcilicet ea, praeter alia, legas (*f*) de Mundo praedicata

„ *Quod omne in omnibus Deus eſt,*
„ *Æternus ac Immenſus,*
„ *Neque genitus, neque interiturus.*

Iiſdem Pantheiſtarum erroribus oppoſita fuit Orphei doctrina, ſi potius antiqua monumenta, quam recentiorum quo-

(*a*) Cluver. *German. Antiq. L. I. C.* 24. *p.* 206. Voſſ. *de art. poët. p.* 78.
(*b*) *Ad Autol. L. III.*
(*c*) *Adv. Mathemat. L.* 1. *S.* 204.
(*d*) *L. I. S.* 4.
(*e*) Graecum apud Laërtium eſt = Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος, ἐν ᾧ ἅμα πάντ᾽ ἐπεφύκει = ex quo Lini verſiculo recte colligit eruditiſſimus Batteuxius (*Troiſiém. Mém. ſur le Principe actif &c. p.* 214. *M. To. XXVII. de l' Ac. R. des Inſcr.*) Linum agnoviſſe Principium activum, ſeu Cauſam determinantem Univerſi.
(*f*) Ap. Sykes *l. c. p.* 87.

Digitized by Google

quorumdam libros conſulere velimus. Ex illis quidem ſatis conſtat arcanam, atque adeo propriam ipſius Orphei doctrinam (*a*) ab alia, quam ſpargebat in vulgus, & *exotericam* Critici plures appellant, eſſe diſtinguendam. At vel *exotericam* doctrinam, vel arcanam ſpectes, Spinoſiſtam Orpheum ante Spinoſam dicere (*b*) nulla ratione potes.

Nam, quod pertinet ad arcanam, nemo neſcit Orpheum ex Ægypto in Graeciam Iſidis tuliſſe Myſteria, quae poſtea Eleuſina dicta ſunt (*c*). Itaque recte monet Agatopiſtus (*d*), cum in iis Myſteriis multa de Unitate Dei, de Providentia, de animorum immortalitate, de poenis, ac praemiis alterius vitae graviſſime dicerentur, ut nos etiam probabimus alio loco, non alias eſſe Orpheo ſententias tribuendas.

Quod ſpectat ad alterum illud doctrinae genus, = *negari nequit*, inquit Bruckerus, (*e*), *in theologia exoterica polytheiſmum Orpheum introduxiſſe, & idolatriae inter Graecos turpiſſimae occaſionem dediſſe* = nempe, ut idem Bruckerus cenſet = *mutavit ſpiritus, parteſque mundi naturales in Deos, eoſque colendos populo commendavit, cum ſummum Deum ab illis attingi poſſe deſperaret* = Concinit his Pauſanias docens (*f*) Orpheum apud Ethnicos ſummo in honore fuiſſe habitum = *quod crederetur malarum actionum expiationes, morborum curationes, & irae divinae placationes inveniſſe* = quod non aliud profecto ſignificat, niſi ſacrificiorum, ac caeremoniarum,

Tom. II. B quas

(*a*) De arcana doctrina, qua uſus eſt Orpheus, vid. Bruck. *H. Cr. T. I. p.* 379.

(*b*) Bruck. numerat inter Orphei accuſatores Jo. Fr. Buddeum *Hiſt. Eccl. V I T. I. p.* 1077. *& Theſ. de Atheis*. *C I. §. IX* ſed hic non aliud lego, praeter haec verba = *je ne ſuis pas fort éloigné du ſentiment des Savans, qui excuſent Orphée du Spinoziſme* =

(*c*) V. Diod. *Sic. L. I. & IV.* Theodoret. *de Graecor. aff. Serm. II.* Vide Andream Chriſtianum Eicheubach *in Epigene de Poëſi Orphica*.

(*d*) Agat *Iſt. di ogni Filoſ. C. XVI. Vol. II. p.* 25. *&* 26.

(*e*) *Tom. I. p.* 385.

(*f*) Pauſanias in Baeoticis, dicens eum tantopere fuiſſe celebratum inter Ethnicos = ὡς τεχνωμένου εὑρηκέναι ἔργων ἀνοσίων καθαρμοὺς, νόσων τε ἰάματα, ϗ τροπὰς μηνιμάτων θείων. =

Digitized by Google

quas Ethnici uſurpabant, Orpheum auctorem fuiſſe, atque adeo Ethnicae ſuperſtitionis patrem.

Caeterum, quod ſummo apud Ethnicos in honore fuerit, de vulgaribus tantum Ethnicis eſt intelligendum; quos inter Celſus eſt non injuria numerandus, qui *divino afflatum ſpiritu* Orpheum appellare non dubitavit. Graviores enim homines, maxime philoſophi, doluerunt fabulis Orphicis doctrinam de Deo fuiſſe corruptam, ac maxime depravatam. Hanc ſcilicet ob cauſam, ut alios praeteream, Orpheum a divina Nemeſi fuiſſe punitum, ac diſcerptum obiiſſe, putat Iſocrates (*a*). Laërtius autem, qui ſententias doctorum hominum exprimere ſolet, Graeci ne, an Barbari fuerint auctores philoſophiae, diſputans, ea graviſſime ſcripſit (*b*) = *Qui autem illius inventionem Barbaris aſſignant, Orpheum quoque Thracem in medium adducunt, philoſophum fuiſſe, & quidem antiquiſſimum. Equidem, is, qui de Diis talia commentus eſt an philoſophus appellandus ſit, neſcio. Videant certe qui ita volunt, quo ſit cenſendus nomine, qui Diis vitia, quae raro a turpibus quibuſque, & flagitioſis hominibus geruntur, adſcribit* =.

Graviores etiam ſunt Sanctorum Eccleſiae Patrum cum Orpheo, tamquam Πολυθεότητος ipſius auctore, expoſtulationes (*c*), etſi unus inter eos, nempe Juſtinus, erroris illum poenituiſſe ſcribit (*d*), omniſque in Deum, & in homines contumeliae.

Quae cum ita ſint, equidem non ſatis Burnetium mirari poſſum, eam ſibi provinciam ſuſcipientem (*e*), ut Orpheum excuſet, quod temporibus adeo perditis a ſuperſtitione ad caſtam religionem progrediendum eſſet; perinde ac ſi prudens unquam, ſapienſque conſilium eſſe poſſit, ſi prius-

(*a*) Iſocr. *in laudat. Buſirid. p.* 543. *edit. Wolfii*.

(*b*) *In Prooem.* Vide, quae *Lib. I.* Ciceronis *de Nat. Deor.* Vellejus Epicureus de fabulis Orphei, Muſaei, Homeri, atque Heſiodi diſputat, graviter etiam de poëtis conqueſtus = *qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt Deos &c* =.

(*c*) Vid. ap. Cudworth. *Syſt. Intell. C. IV.* §. 7. *p.* 345.

(*d*) *De Monarchia Dei p.* 103.

(*e*) *In Archaeol. Philoſ. C. IX.*

priuſquam efferatos animos hominum religione imbuas, ſuperſtitione inficias, ac deteriores facias, quam antea fuerint.

Caeterum vel ex eo, quod tot Numina populo colenda propoſuerit Orpheus, ſatis, opinor, patet, quid ille de Religionis neceſſitate ſenſerit ad homines in officio continendos: quemadmodum & illud ſponte deſcendit, videlicet ab adverſariis eſſe perſpicua ratione demonſtrandum; hominem, qui tot praecipiebat Numina coli, nullum omnino colendum eſſe Numen apud animum ſuum conſtantiſſime ſtatuiſſe.

Illa quidem ratio, quae ſumitur a carminibus quibusdam, aliiſque fragmentis, ut ajunt, Orpheo tributis, accuſatores celeberrimi hominis parum juvat. Nam primo quidem ea genuina eſſe dicenda, nemo extra controverſiam ponet, qui Criticam artem a primo, ut ajunt, limine ſalutaverit, quamvis & apud Clementem Alexandrinum, & apud Euſebium, & apud Jamblichum, & apud Proclum, & apud alios (a) occurrant. Deinde, quidquid Buddeus, Loëſcherus (b), caeterique adverſarii judicaverint, nihil minus ea fragmenta, quam Spinoſianam doctrinam exprimunt.

Etenim unica Spinoſae Subſtantia nullum agnoſcit auctorem, & quas habet, *modificationes* duas, Cogitationem, & Extenſionem, aeternas habet, a nulla mente productas, a nullo conſilio Numinis, aut naturae pendentes. Orphica vero doctrina rerum omnium originem ab uno ſummae virtutis, atque intelligentiae Numine non obſcure ſignificat, quamvis, quod pertinet ad caetera, perpetuis allegoriarum velis obducatur, & ad multiplices, eoſdemque contrarios trahi ſenſus non incommode poſſit.

Facit ad rem noſtram fragmentum, quod Ariſtoteles pro-

(a) Clem. Alex. *Strom. L. V. Euſ. Praep. Evang. L. III. C. 9.* Jambl. *V. Pythag. C. XXVIII.* Procl. *in Timaeum*, & alios, ut ex dicendis etiam conſtabit.

(b) Budd. *in H. V. T.* Loëſcher *Praenot. con. Atheis. §. 5. p. 4.*

producit (*a*), ut probet ſummo Numini recte quodlibet vel a natura, vel a fortuna nomen imponi, idemque rerum omnium auctorem eſſe judicandum. Sic autem illud habet.

„ *Primus cunctorum eſt, & Iupiter ultimus idem,*
„ *Iupiter & caput, & medium: ſunt ex Iove cuncta.*
„ *Iupiter eſt terrae baſis, & ſtellantis Olympi.*
„ *Iupiter & mas eſt, eſtque idem nympha perennis.*
„ *Spiritus eſt cunctis, validuſque eſt Iupiter ignis.*
„ *Iupiter eſt pelagi radix; eſt Lunaque, Solque.*
„ *Cunctorum Rex eſt; princepſque, & originis auctor.*
„ *Namque ſinu occultans dulces in luminis auras*
„ *Cuncta tulit, ſacro verſans ſub pectore curas.*

Similia illa ſunt, quae ſervavit Proclus (*b*), & Auguſtinus Steucus Eugubinus (*c*) latina fecit.

„ *Fuerunt intra Iovem, cum Univerſo* (*d*)
„ *Ætherea vaſtitas, & coeli praeclara ſublimitas,*

In-

(*a*) Ariſt. *de Mundo*. Hoc enim opus Ariſtoteli tribuendum eſſe judicamus. Nos Interpretis Apuleji attulimus latinam interpretationem, ut Ciceronis graviſſimo praecepto pareremus, quod exemplo ſuo confirmavit (*I. Tuſcul. Quaeſt.*) ſcilicet in Latino ſermone Graecas voces non eſſe magis adhibendas, quam in Graeco Latinae adhibeantur. At in Graeco περὶ Κοσμ. C. 7. p. m. 23. = Σωτήρ τε καὶ ἐλευθέριος ἐτύμως (κατονομάζεται) ὡς δὲ τὸ πᾶν εἰπεῖν, οὐράνιός τε καὶ χθόνιος, πάσης ἐπώνυμος ὢν φύσεώς τε καὶ τύχης, ἅτε πάντων αὐτὸς αἴτιος ὤν. διὸ καὶ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς οὐ κακῶς λέγεται.

„ Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀρχικέραυνος,
„ Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα. Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται,
„ Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
„ Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.
„ Ζεὺς πνοιὴ πάντων, Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή.
„ Ζεὺς πόντου ῥίζα. Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη.
„ Ζεὺς βασιλεύς. Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων ἀρχικέραυνος.
„ Πάντας γὰρ κρύψας αὖτις φάος ἐς πολυγηθὲς,
„ Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων.

Eadem fere leguntur apud Clementem, & Euſebium *loc. citat.*

(*b*) Procl. *in Tim.*

(*c*) *De Peren. Philoſoph.*

(*d*) Inclytus Auctor Batteuxius (*Troiſ. Mém. ſur le Princ. actif Tom. XXVII. de l'Acad. R. des Inſcr.*) qui putat Orphei carmina, quae dicuntur, quamvis genuina non ſint, illorum tamen temporum, qui-

bus

„ *Immenſique maris, & telluris inclyta latitudo,*
„ *Oceanuſque ingens, depreſſaque Tartara terrae,*
„ *Fluminaque, & pontus ſine fine, & caetera cuncta,*
„ *Immortales omnes, beati, Diique, Deaeque;*
„ *Quae fuerant exorta, & quae ventura ſequuntur,*
„ *Haec in ventre Iovis, rerum compage, manebant.*

Ortum quoque rerum a ſumma quadam, ac prima cauſa, quae mundum producere voluerit, non obſcure in-

dicat

bus Orpheus vixit, doctrinas exprimere, haec habet, inter alia, (*p. 217. M.*) conſideratione digniſſima = *Il ne faut point ſe laiſſer tromper par une certaine raſſemblance des termes de la philoſophie d' Orphée avec le langage de Spinoſa. Les Syſtêmes métaphyſiques de ces anciens Grecs, ainſi que ces des autres nations, n' étoient gueres, qu' un aſſemblage aſſez mal digéré de traditions hiſtoriques, d' images poëtiques, peut-être de quelques obſervations phyſiques, ajuſtées au gré d' une ſorte de théologie groſſière, où il entroit plus d' oſtentation, & de fanatiſme pour contenir les peuples, que de profondeur, & des connoiſſances raiſonnées. Celui de Spinoſa eſt au contraire un fantôme ſubtil, & régulier, où il n' entre, que des idées d' une même eſpèce, je veux dire abſtraites, & métaphyſiques, la pluſpart vagues, confuſes, obſcures, & indeterminées; c' eſt un être de raiſon pur, un édifice idéal de l' art, & de l' eſprit, d' où cependant l' auteur prétend conclurre a la réalité par la ſeule force de la connexion. Il ne s' agiſſoit chez les Anciens, que de l' exiſtence d' un premier principe, & de ſon influence générale. Chez Spinoſa il ne s' agit que de la manière d' être de ce même principe, & de ſa manière d' influer; & quoiqu' on ne puiſſe parler de l' un ſans faire quelque mention de l' autre, c' eſt pourtant faire un ſophiſme, que de conclurre l' un & l' autre de l' un des deux. Tout ce que, les Anciens ont dit ſur l' unité, ne les a pas empêché de reconnoitre auſſi la Dualité ſous un autre point de vûe. Nous avons vû ſortir chez les Perſes, & chez les Chaldéens, tous les êtres d' une ſource unique, qui étoit un Océan de lumière. D' autres les ont fait ſortir de la nuit, ou du chaos. Mais il n' en exiſtoit pas moins parmi eux l' opinion générale, qu' il falloit que les principes fuſſent contraires, pour qu' il y eut action, & reſiſtance &c.* = Haec ille, atque alia, quae ſatis confirmant ejuſdem ſententiam de Veteribus generatim prolatam (*To. XXXII. de l' Ac. R. des Inſcr. Concluſion général. des Mem. ſur le Princ. act. p. 128. M.*) = *qu' ils n' ont jamais eu d' idée bien formée du Syſtème de Spinoſa* = Minus etiam id aſſeri de temporibus antiquiſſimis deberet a Graeculis quibuſdam, cum & Plato, & Ariſtoteles, & Plutarchus, de Providentia Numinum in res humanas dubitatum a Veteribus illis numquam fuiſſe, ſcribant.

Digitized by Google

dicat allegorica Orphei doctrina, quam Athenagoras exhibet (*a*); ideſt maximum ovum ab Hercule fuiſſe genitum, quod ipſius genitoris virtute plenum duas in partes diviſum fuerit, ut ſuperior quidem in coelum, inferior vero in tellurem hanc noſtram evaderet. Similia ſunt in aliis carminibus Orpheo tributis, quae fuſius perſequi non vacat.

Hic potius aliquid eſt de celebri controverſia dicendum, ſcilicet utrum ſub illis figurarum integumentis Orphicorum auctor ſatis pias de Deo tegere ſententias, an *Syſtema*, quod dicitur, *Emanativum* docere voluerit; ita nempe, ut ab Eſſentia Divina Mundum univerſum, ut radium a Sole, rivum a fonte, profluxiſſe judicaverit, atque ideo non tantum animos hominum, ſed & corpora omnia non aliud eſſe, niſi tenues particulas ipſius Divinitatis. Poſterior haec ſententia placuit & Laurentio Moshemio, & Jacobo Bruckero (*b*), qui tam abſurdam doctrinam in ſcriptis Veterum ſibi non raro deprehendere viſus eſt. At prior illa ſententia Platonicis fere omnibus placuit, maxime recentiorum temporum, quos Radulphus Cudworthus, Agatopiſtus (*c*), aliique ſecuti ſunt.

Equidem, in tanta verborum, ac ſententiarum obſcuritate, praeſertim cum Veteres allegoriis plus aequo delectatos fuiſſe ſciam, vix aliquid in hac controverſia definiri poſſe arbitror, ſi quidem ipſa tantum carmina conſulantur. Quamvis enim doctrinam, quae *Syſtema* dicitur *Emanativum* ipſa

(*a*) *In Legat. pro Criſtian. n.* 18. ita Orphei doctrinam exhibet = Οὗτος ὁ Ἡρακλῆς ἐγέννησεν ὑπερμέγεθες ὠὸν, ὃ συμπληρούμενον ὑπὸ βίας τοῦ γεγεννηκότος ἐκ παρατρίψεως εἰς δύο ἐῤῥάγη, τὸ μὲν ἐν κατὰ κορυφὴν αὐτοῦ οὐρανὸς εἶναι ἐτελέσθη, τὸ δὲ κατενεχθὲν γῆ = aliaque non minus ridicula Orphei placita deſcribit, quae vide apud ipſum.

(*b*) Moshem *ad Cudvv. Syſt. Int. C. IV. p.* 357. *n.* 58. Bruck. *Tom. I. Hiſt. Crit. p.* 389.

(*c*) Cudworth. & Agatopiſt. *loc. cit.* Hic de Coſmogonia Orphica ita pronunciat *p.* 30. = *Io non vi sò veder nulla, che ripugni alla idea d' una ſomma Divinità, che con la potenza, e virtù ſua, e non già colla emanazione della ſua ſoſtanza, dà origine, ed ordine all' Univerſo, i cui ſviluppamenti, e le parti ſono veramente eſpreſſe con parole, e con figure ſtrane; ma in quella medeſima ſtranezza ſi fanno intendere di qualche modo &c.* =

Digitized by Google

ipſa verba praeſeferant, ſcimus tamen omnino ſimilia verba fuiſſe a piis hominibus, ſed hac in re allegoriae nimio plus indulgentibus, adhibita, cum non aliud indicare vellent, niſi eſſe Deum rerum omnium Conditorem, atque Creatorem. (*a*) Itaque Bruckerus ipſe ſcribere non dubitavit (*b*) = *Nondum de mente Orphicorum de Deo ſatis certi ſumus, cum variam celebre illud dogma ſignificationem admittat &c.* =

Ipſe autem Bruckerus opinionem, quam diximus, amplexus eſt, eo praeſertim argumento, quod vocare ſolemus *ab excluſione partium*. Cum enim non videatur, an Orpheus, an auctor Orphicorum, verae creationis notionem habuiſſe; cum certe Spinoſianam doctrinam nullo modo voluerit inducere; = *Siſtema*, inquit, *Emanativum remanet, quod eo tutius, atque probabilius Orpheo tribui poteſt; quo magis id per omnem fere Orientem veterem pervagatum fuiſſe, ſuperiori libro vidimus. Ex Oriente vero ad Septentrionales perveniſſe ſuo quoque loco docuimus.* =

Hoc inductionis argumentum vel ex eo ſolvi poteſt, quod non omnino firmis conjecturis innixus tot Provinciis Bruckerus doctrinam *Syſtematis Emanativi* tribuerit; & plerumque rationem hanc eamdem uſurpaverit *ab excluſione partium* petitam, quam modo impugnamus.

Etenim, ut aliquid ea ratio efficeret, probare oporteret, Orpheum, aut alios veteres, etſi non deditos acutiſſimis Metaphyſicae ſtudiis, modum ipſum aſſequi, & explicare voluiſſe (*c*), quo a ſummo illo bonitatis, ac ſapien-

(*a*) Ut unum afferam exemplum, Syneſius, quem recte Cl. Mignotius vocat = *un des plus ſavans Evêques de l' antiquité* = eadem fere, quae Orphicorum auctor, adhibuit verba, cum a Deo rerum omnium originem repeteret. Ita enim *Hymn. II. v. 90. &c.*

Σὺ δ' ἐσσὶ ῥίζα
Παρεόντων, πρό τ' ἐόντων,
Μελλόντων, ἐόντων,
Σὺ Πατὴρ, σὺ δ' ἐσσὶ μάτηρ,
Σὺ δ' ἄρρην, σὺ δὲ θῆλυς.

(*b*) *L. c. p.* 389.

(*c*) Optime in eos, qui Orpheo, atque aliis quibuſdam *Syſtema Emanativum* tribuunt, ſcripſit Batteuxius (*l. cit. p.* 218.) = *Il n' y a point de milieu entre cette idee (de l'emanation) & celle de la création.*

Ils

pientiae, virtutiſque fonte omnia proceſſerint. Atqui poterat Orpheus, poterant alii, pöetae, quam philoſophi, nobiliores, eo tantum ſpectare, ut res omnes a Supremo quodam Numine provenire oſtenderent, modum vero, quo provenirent, cum ne ipſi quidem poſſent cogitatione complecti, confuſa ratione per ſimilitudines, quibus homines plerique capiuntur, adumbrarent, aut potius adumbrare viderentur.

Eadem fere de Muſaeo dicenda, quem Orphei diſcipulum, vel etiam filium fuiſſe aliqui tradunt. Errant enim, qui *Syſtema* ipſi *Emanativum* placuiſſe tanta confidentia narrant, ut ne leviter quidem ea de re dubitare videantur.

Illi quidem Laërtii nituntur auctoritate, qui Muſaeo Sententiam tribuit, qua *ex Uno Omnia genita eſſe, atque in Unum reſolvi* dicuntur. (*a*) At Laërtio non eſſe hac in re fidem habendam, probat Agatopiſtus, ex eo praecipue, quod Pauſaniae, Scriptoris longe diligentioris, auctoritas illi opponatur. Monet autem Pauſanias, omnes, qui circumferrentur, libros Muſaeo tributos, fuiſſe ſuppoſitos, praeter hymnum in Cereris laudem, cujus ne meminit quidem Laërtius, cum de fictis aliis Muſaei libris ſermonem habeat. Videtur itaque Laërtius verba illa ab aliquo commentitio hujuſmodi opere depromſiſſe.

Deinde, quod recte monet idem Agatopiſtus, illa eadem verba ad ſanum, ac philoſopho dignum vocari ſenſum, non incommode poſſunt. Nam quod omnia ex Uno genita eſſe dicuntur, omnia ſignificare poteſt a ſumma Numinis unius potentia fuiſſe producta; quod autem ſubditur, in unum omnia reſolvi oportere, ſignificare poteſt,

per

Ils n' ont point eu celle-ci, dit-on; donc ils ont eu l' autre. Cette conſéquence n' eſt pas juſte. Il eſt vrai qu' il n' y a pas de milieu entre ces deux idées; mais il en a pluſieurs entre avoir l' une de ces idées, ou avoir l' autre; ou peut n' avoir ni l' une, ni l' autre d' une manière préciſe, & les avoir toutes deux d' une manière vague, & indéterminée = &c. Caetera vide apud ipſum

(*a*) Laert. *L. I. ſeg.* 3. Sententia Muſaei habet Ἐξ ἑνὸς τὰ πάντα γινεσθαι. καὶ εἰς ταὐτὸν ἀναλύεσθαι

per quam potentiam omnia facta ſunt, per eamdem deſtrui poſſe, vel etiam eſſe deſtruenda.

Itaque ſi verba vel Orphei, vel Muſaei perpendamus, nihil obſtat, quominus tam praeclaris hominibus meliores de Divinitate ſententias, in Myſteriis, ut dicemus, graviſſime prolatas, placuiſſe arbitremur, quam illae ſint, quas adverſarii comminiſcuntur. Etenim fuiſſe Muſaeum Myſteriis initiatum veteres tradunt, quin & eorum, quae Eleuſinia dicta ſunt, auctorem fuiſſe nonnulli putant (*a*).

Caeterum nobis hoc loco illud tandem tenere ſufficit: prorſus immerito graviſſimos homines inter Spinoſiſtas, aut Atheos fuiſſe a Tolando, aliiſque relatos. Etenim, ut abſurdam forte doctrinam, quam Bruckerus iiſdem tribuit, defendiſſent, verum tamen eſſet, eos & potentia, & bonitate, & ſapientia infinita praeditam coluiſſe Divinitatem, quae maximam ſui partem, aut omnino potius, ut Sol ab emiſſo radio, ut fons ab elatis vaporibus, aut profluentibus rivulis, vel etiam ut Pater, ut Mater a Filiis, ab ipſo Mundo diſtingueretur.

CAPUT III.

De Homero, Heſiodo, caeteriſque Theogoniarum auctoribus.

QUi numerum Atheorum quavis ex parte augere conantur, Homerum quoque, & Heſiodum (*b*), & caeteros Theogoniarum auctores, ut diximus, in illum conferunt (*c*), perinde ac ſi nobiliſſimi poëtae, cum & Coelos,

(*a*) Vid. Ioan. Meurſium *De Sacris Eleuſiniis cap.* 2. Apud eumdem vide carmen Muſaeo tributum, de quo dicemus ubi de Myſteriis.

(*b*) Utrum Homerus antiquior Heſiodo fuerit, an eadem aetate floruerint, diſputant Critici. Vid. Ludolfum Kuſterum *Hiſt. Critica Homeri*, & Gisbertum Cuperum *Apotheoſis Homeri Lapidi inſculpta*. Ex tabulis Arundellianis Heſiodus X. ante Chriſtum Saeculo floruit.

(*c*) V. Io. Frideric. Reimannus *Hiſt. Ath. cap. XVI.* Petr. Bayl. *Dict. Art. Iupiter, & Art. Ovide, & Contin. des Pens §. XXI. p.* 88. ubi

& Tellurem hanc noſtram Numinibus, & ipſa Maria complerent, Divinitatis notionem non modo labefactare, ſed & funditus evertere voluiſſent.

At primo quidem homines eruditi meminiſſe deberent, quam contempta fuerit poëtarum de Natura divina canentium apud graviſſimos quoſque Viros auctoritas: quod & nos primo libro ſignificavimus. Hinc enim fieret, ut non magnum aliquid ſeſe putarent adeptos, etiamſi quod cupiunt credulis lectoribus aliqua ratione perſuaderent.

Sane Pythagoram vehementer indignatum fuiſſe contra poëtas, Heſiodum praeſertim, & Homerum, quod plurima de Diis abſurda confingere auſi fuerint, ſatis ex iis conſtat, quae Diogenes Laërtius habet (a) = *Hieronymus* (b) *vero*, inquit, *ait Pythagoram deſcendiſſe ad inferos, atque Heſiodi quidem animam columnae aereae vinculis adſtrictam, ſtridentemque vidiſſe. Homeri autem ex arbore pendentem, ſerpenteſque illam circumdantes, propter ea, que de Diis finxerat* = (c) Quamquam autem haec eadem pulchrè conficta fabella eſt, quae fuerit tamen ſententia tanti Viri de Homeri, atque Heſiodi ſcriptis ſatis aperte declarat. Iam vero cum Pythagoram affero, non unum philoſophum magni nominis affero, ſed incredibilem hominum vim, quae, ut aliquid crederet, celebri argumento, *Ipſe dixit*, contenta erat. Ipſe autem is erat Pythagoras. Itaque ejus dicta, tamquam ab Oraculo Apollinis, aut Iovis edita accipiebantur; quin etiam, ut Diogenes Laërtius ibidem refert = *Ariſtippus Cyrenaeus in libro de Phyſiologia ait illum Pythagoram idcirco*

ubi citat Ioan. Clericum (*Le Clerc*) *Bibl. Choiſ.* t. 2. ſed hic revera colligit argumentando ſententias poëtarum in Ἀθεότητα ducere, ac de illo, qui eas amplectatur, ſtatuit = *on ne peut le regarder, que comme une eſpece d' Athée* =

(a) *Lib. VIII. in Pythag.*

(b) Hieronymus Rhodius, vir philoſophiae gloria nobilis, & in philoſophorum placitis apprime verſatus, de quibus in ſuis Commentariis optimè ſcripſit. Eos Commentarios citat idem Diogenes ſaepe.

(c) Vide, quae de Poëtarum mendaciis habet Ariſtoteles *Metaph. L. I. c. II.* ubi, inter caetera = *Poëtae* inquit, *ſecundum proverbium multa mentiuntur.* =

Digitized by Google

circo appellatum, quod veritatem, perinde atque Pythius ipſe loqueretur, a Πυθιος, *&* Ἀγορέυω = Paulo ſupra Diogenes idem ſcripſerat = *Adeo vero admirationi omnibus fuit, ut familiares ejus dicerent, eſſe Dei omnigenas voces . . . . Itaque cum illo perdurabant, atque adibant illum diſciplinae, ſtudiorumque cauſa & Lucani, & Picentes, & Muſapii, & Romani . . . . Neque vero pauciores ſexcentis erant, qui noctu ad illum audiendum confluebant. Ac ſi qui praeſentia illius frui meruiſſent, ſcribebant ſuis, tamquam magnum quid dam, & praeclarum ſe adeptos.* =

Plato autem, Pythagoras alter ingenii, doctrinaeque gloria, quamvis Homeri carminum elegantia mirifice delectaretur, Homeri tamen impietatem (*a*) ita deteſtatus eſt, ut ejuſdem & libros, & fabulas a Republica, quam ſuſceperat inſtituendam prorſus exulare voluerit (*b*).

In Heſiodum, atque Homerum ea de cauſa invectus eſt etiam Xenophanes Dexii, ſive, ut Apollodorus ait, Orthomenis filius, qui eo verſu a Timone laudatus eſt (*c*)

„ *Xenophanem ſubacerbum, & Homeri nobile flagrum,*

Is autem, teſte Diogene ipſo (*d*) = *ſcripſit verſus, elegias, & jambos contra Heſiodum, atque Homerum, ſubſannans ea, quae de Diis dixere* = (*e*) Gravius in Homerum Heraclitus animad-

(*a*) Iure mireris fuiſſe Chriſtianos etiam Scriptores, qui ſatis pias Homero ſententias de Natura divina, caeteriſque ad Religionem pertinentibus, tribuere voluerint; quin & ea quae tantum a Sacris Libris diſcimus, in Homeri verſibus expreſſa viderint, aut videre potius, cum graviſſime hallucinarentur, ſibi viſi fuerint. Fuerunt inter hos Ludovicus Thomaſinus *Methode d' eſtudier chretienn. les Poët. L. II. Ch. I.* Huet. *Dem. Evang. prop. IV. C. 7.* Gherardus Croëſſius *Hiſt. Hebraeor. ab Hom. conſcripta &c.* Anna Dacier *in not. ad Iliad. &c.*

(*b*) *De Repub. Lib. II.*

(*c*) Ξενοφάνην ὑπότυφον, ὁμηρο-πάτην, ἐπικόπτην.

(*d*) *L. 9.*

(*e*) Aliquos ex iis verſibus Xenophanis in Homerum videre potes apud Sextum Empyricum *Lib. IX. adverſus Mathematicos ſect.* 193. *ex edit. Fabr.*

madverti volebat; ſcilicet ſtultum, atque impium hominem alapis plecti, atque a theatris expelli.

Celebris etiam eſt oratio XII. Dionis Chryſoſtomi, in qua plura ad hanc rem optime facientia. In ea Phidiam inducit Dio contra Homerum diſputantem, ac demonſtrantem, quam impudens, & effraenata fuerit ejus audacia, cum de ſupremo Numine loqueretur, & quantum ſuis idem verſibus licentiam exceſſerit, quam ſculptores obtinent, cum Iovis e marmore ducunt effigiem. Iovis enim praeclarum illud ſignum a Phidia elaboratum, & Eleae cultum, majeſtatem, aliaſque praeſeferre dotes, quae a notis illis, ac maculis, quibus Poëtarum Princeps ſupremum Numen foedavit, alienae videantur.

In eaſdem fere ſententias alii loquuntur, quos magno numero afferre poſſemus (*a*): ſed, ut brevitati conſulamus, unicum jam ſubdemus Ciceronis teſtimonium ex libris de Natura Deorum, in quibus non modo ipſe conqueritur, ſed & Stoicos, hoc eſt nobiliſſimos ex ipſa Graecia Philoſophos, conquerentes inducit, quod a phyſicis rebus bene, atque utiliter inventis tracta ratio eſſet ad commentitios, & fictos Deos = *Quae res*, inquit, *genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos, & ſuperſtitiones pene aniles. Et formae enim nobis Deorum, & aetates, & veſtitus, ornatuſque noti ſunt. Genera praeterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanae. Nam & perturbatis animis inducuntur. Accipimus enim Deorum cupiditates, aegritudines, iracundias. Nec vero, ut fabulae ferunt, bellis, praeliiſque caruerunt: nec ſolum, ut apud Homerum, quum duos exercitus contrarios alii Dii ex alia parte defenderent, ſed etiam, ut cum Titanis, ut cum Gigantibus, ſua propria bella geſſerunt. Haec & dicuntur, & creduntur ſtultiſſime, & plena ſunt futilitatis, ſummaeque levitatis* =

Equi-

(*a*) Ipſi Epicurei magnopere ſpernebant Homeri fabulas, ut videre potes apud Plutarch. *in Comm. Beate vivi non poſſe ſecundum doctrinam Epicuri*. Vide, ut philoſophorum aliorum ſenſus cognoſcas, Laërt. *L. VIII. S.* 21. Longiuum περὶ ὕψους C. 7. Philoſtratum &c.

Equidem non ignoro doctiſſimos extitiſſe Viros, qui poëtas, praecipuae Homerum, non tam fabularum de Numinibus auctores, quam egregios, ut ita dicam, pictores fuiſſe defenderent, & non alia ratione, dicerent, niſi quae vigeret apud Sacerdotes, ac populum, de Natura divina fuiſſe locutos; quam quidem ſententiam Fraguierius (*a*), Vir & eruditus, & acutus in primis valde illuſtravit.

Verum, ut ingenue fatear quod ſentio, vereor, ut illi, tametſi multa graviter, & copioſe dicunt, veterum auctoritati ſatisfacere poſſint, contra ipſos aperte pugnantium. Nam praeter illa, quae retulimus, graviſſimum eſt contra eos Hiſtoriae Patris Herodoti teſtimonium a Cl. Anſelmo opportune recitatum (*b*). Habet enim Herodotus in Euterpe Homerum, & Heſiodum in Graeciam induxiſſe Deos, iiſque formis, atque nominibus donaviſſe, quae cum ipſe ſcriberet in Graecia vigerent, quin & a poëtis iiſdem honores, ac ſacra originem habuiſſe narrat, quibus eadem Numina celebrarentur.

Quare melius, opinor, Homeri, & Heſiodi famae conſuluerunt (*c*), qui fabulas illorum eſſe perpetuas ἀλληγορίας ad phyſiologiam traducendas, aut ad alia quaedam accomo-

(*a*) *Mr. l' Ab.* Fraguier *Reflex. ſur les Dieux d' Hom. Tom. III. de l' Ac. R. des Inſcr. p. 1. M.*

(*b*) *Mr. l' Abbé* Anſelme *Diſſ. ſur le Dieu inconnu des Athen. Tom. IV. de l' Ac. R. des Inſcr. p. 560. M.*

(*c*) Non aliud hoc loco ſignificare volumus, quam ſententias minus abſurdas de Natura divina fuiſſe veteres illos amplexos, ſi fabulas tam impias, ut meras ἀλληγορίας proponebant. Caeterum in eo ſemper culpandi ſunt, atque damnandi, quod injuriam non levem, cum ea ſcriberent, Divinitati facerent, & populo non ferendae ſuperſtitionis occaſionem praeberent. Hinc ſententiam non probamus multorum inter veteres, quam *Libro I.* ſecutus eſt Srabo iis verbis expreſſam = *Fieri non poteſt, ut mulierum, & promiſcuae turbae multitudo philoſophica oratione excitetur, ducaturque ad religionem, pietatem, & fidem: ſed ſuperſtitione ad hoc praeterea opus eſt; quae incuti ſine fabularum portentis nequit. Etenim fulmen, aegis, tridens, faces, angues, haſtaeque Deorum thyrſis praefixae fabulae ſunt, atque tota theologia priſca. Haec autem recepta fuerunt a Civitatum auctoribus, quibus veluti larvis inſipientium animos terrerent* = De fabularum allegoriis vid. Tournemin *M. de Tr. Tom. VI.*

Digitized by Google

modandas opinati ſunt; quamvis admodum obſcura hodie ſit ipſarum interpretatio, de qua ne inter ipſos quidem veteres ſatis conſtitiſſe arbitratur Heineccius. (*a*) = *Alii enim*, inquit Vir Doctiſſimus, *mera hic deprehendunt myſteria phyſica, chemica, metaphyſica; alii meras hiſtorias ſive ſacras, ſive Phoenicias: alii hiſtoriolas nullius momenti, mirabilibus circumſtantiis veſtitas; alii mera moralia ſibi videre videntur. Primi generis interpretationes dabant Platonici, ſecundi ſpecimen non unum exhibuere Bochartus, Huetius, & Ioan. Clericus, tertium praecipue placuit Palaephato, aliiſque ſcriptoribus περὶ ἀπίστων, de quibus Fabric. Biblioth. Graec. L. I. Cap. XXI. ſequ.* (*b*). =

Verum, his omnibus tandem omiſſis; etiamſi ex fabulis ipſis poëtarum, hoc eſt antiquiſſimi ſapientum generis, velimus aeſtimare ſententias, facile videbimus, nobiliſſimam ab iis eſſe creditam, perfectamque Naturam, hominibus univerſis longe meliorem, ac praeſtantiorem, quae *mare, quae caelum, quae terras numine torqueat*, quae poſitis aris, ac templis, quae precibus adhibitis, atque votis, & ſacrificiis ab humano genere coli mereatur. Ipſi Homerus, & Heſiodus, qui non modo Heroas, ſed etiam *raptant in crimina Divos*, apud quos

Jupiter infamat ſeque, ſuamque Domum:

hoc tamen Numen iis laudibus extollunt, quae non poſſint niſi ſupremo Deo convenire. Vocant enim magnum hominumque, Deumque parentem, Jovem, cujus tonitru quatitur

(*a*) *in Elem. Phil.] Rat. & Mor. P. I. C. II. p.* 31.

(*b*) Ponticus Heraclides, de quo Cl. Giraldi *de Poët. Hiſt. Dial. II.* = *librum edidit inſcriptum: Allegoriae in his quae de Diis ab Homero dicuntur, & reſponſiones contra ejus calumniatores* = Ait autem in eo libro, ut idem Cl. Giraldi teſtatur = *Videri poſſet Homerus, Salmoneus, vel Tantalus, immoderatam, atque intemperatam linguam habens, ſi, quae de Diis cecinit, ſub alia ſignificatione non intelligerentur* =

tur, & excutitur latiſſima tellus, cujus ſemper in humanis vicibus voluntas impletur, cujus aureo ſolio humanorum eventuum catena eſt affixa, cujus oculus omnia colluſtrat, omnia percipit, & intelligit; & ea quidem alteri numquam ex ſuis Numinibus aptant. Quamobrem videntur etiam unius Divinitatis notionem, aut a natura conceſſam, aut ratione, ſtudioque comparatam, inter tot errores, tam ingentes, atque tam varios, aliqua ex parte ſervaviſſe, licet adeo corruptam, ac deformatam, ut non poſſint eamdem, niſi ſubtilius, & acutius intuentes, agnoſcere (*a*).

Unus ex his hominibus profecto fuit Iuſtinus Martyr, qui ſcriptum reliquit = *ſe librum de Monarchia Dei eo conſilio ſcripſiſſe, ut inſitam a natura, ſed a prava conſuetudine obliteratam de Deo Uno ſententiam reſuſcitaret ex poëtarum ſcriptis* =

Iuſtino conſentit Dio Cryſoſtomus (*b*) = *Poëtae omnes*, inquit, *primum, principemque Deum univerſe parentem appellant rerum omnium ratione praeditarum, nec non Regem earumdem; cui Poëtarum doctrinae morigeri homines Iovi Regi altaria dedicant, neque verentur eum patrem appellare* =.

Quare mirum non eſt Latinos etiam Poëtas, Graecorum diſcipulos, ut Ennium, ut Plautum in Rudente, ut Valerium Soranum, cujus verſus in hanc rem exhibuit Varro, ut Virgilium, ut Horatium, ut Ovidium, ut alios, aliqua interdum canere. quae unum eſſe Deum tanto nomine dignum, qui ſcilicet nemini pareat, cui caetera parere omnia cogantur, haud obſcure ſignificant.

Quid quod ejuſdem Supremi Numinis Providentiam, atque Juſtitiam aliquando Poëtae illi vetuſtiſſimi ſatis aptis rationibus vindicant? ut cum libro nono Odiſſäeae Jovem Homerus, eodem, quem laudavimus, Bernardo Zamagna interprete, ita loquentem facit.

„ *Proh*

(*a*) Vid. Cudwoth. *Syſt. Int. C. IV. §.* 19.
(*b*) *Orat.* 36. *p.* 447.

„ *Proh ſuperi! ut Divos culpant mortalia ſaecla:*
„ *A nobis mala quippe ferunt ſibi naſcier; ipſi*
„ *Quum tamen ultro homines dementi arceſſere corde,*
„ *Non fato, ſibi damna ſolent. Ægiſthus Atridae*
„ *Nonne thorum eripuit demens, ipſumque necavit*
„ *Conſcius exitii, quod nos praediximus olli*
„ *Affore, Mercurius retulit quum talia dicta?*
„ *Nec thalamum invadas, nec ferro Agamemnona laedas;*
„ *Ulter namque aderit patriae tibi caedis Oreſtes,*
„ *Ut primum flava ſparget lanugine malas:*
„ *Talia Mercurius. Monitis parere ſed ipſe*
„ *Dum negat, infando ſolvit cum ſanguine poenas.*

Apud Heſiodum vero ad minima etiam quaeque curanda ſummi Iovis illius Providentia deducitur, ut cum interrogat Poëta (*a*)

„ *Quid faciant homines, niſi Iupiter annuat, aut quid*
„ *Non juſto Rex ille hominum, Divumque gubernat*
„ *Imperio?*

Innumera hic alia praetereo, quae congerere facile poſſem (*b*). Etenim gravis hic difficultas exoritur, quod nempe Iupiter ipſe, talis, ac tantus Deus apud praeclaros illos

(*a*) *V.* 1438.

(*b*) Vide Batteuxium *III. Mem. ſur le Princ. actif &c. Tom. XXVII. de l' Ac. R. des Inſcr. p.* 222. *M.* ubi cum Heſiodi Theogoniam ex magna parte declaraſſet = *Il faut obſerver*, inquit, *que dans ce récit Iupiter eſt un Dieu, & non un homme; qu' il eſt le plus puiſſant, le plus prudent, le libérateur des autres dieux, qu' il a tirés de l' état de contrainte, où ils étoient dans les priſons obſcures. Il les abreuve de nectar, il les anime de ſon eſprit* = de Homero autem (*p.* 224.) etiam illa praeclare = *Il n' eſt point d' auteur ancien, qui ait mieux repréſenté qu' Homère les idées de ſon temps, & parmi ſes idées, il n' y en a point qu' il ait préſenté plus ſouvent, & plus fortement, que celle de l' action des Dieux ſur toute la Nature &c.* =

illos poëtas e Chao cum caeteris rebus emerſiſſe, atque adeo productus fuiſſe dicatur. Chaos autem rudis erat, indigeſtaque moles, quam, ut habet Heſiodus, Amor agitavit, ac deinde compoſuit. Sed Amor ipſe non intelligens, animanſque Natura Heſiodo fuiſſe videtur, at vis abdita quaedam, ſine ratione ciens motus in materia neceſſarios, atque hinc res omnes opportunis locis inter ſe nectens, atque conjungens (*a*). Iam vero quid poteſt a ſana perfectae, optimaeque Naturae notione magis alienum afferri? quis, inquam, Iovem illum Divinitatis ullo modo participem dicat, quem aliquando non fuiſſe fateatur?

Reſponſio omnium optima ea eſt, quam ſuppeditat Apoſtolus, ubi Ethnicos ait, *cum cognoviſſent Deum*, neque tamen *ſicut Deum glorificarent, evanuiſſe in cogitationibus ſuis*. Hinc enim factum eſt, ut cum Divinitatem exiſtere, & cum perfectam eamdem, atque optimam eſſe Naturam intelligerent, plurima tamen commenti ſint, quae praeclaras haſce ſententias convellere viderentur. Itaque in vetuſtiſſimos etiam poëtas illud optime cadit, quod de philoſophis Ethnicis ſcripſit Auguſtinus (*b*) = *Quaedam magna, quantum divinitus adjuti ſunt, invenerunt, quantum humanitus impediti ſunt, erraverunt* = Errorum autem, niſi fallor, hic fons uberrimus fuit, quod humana, ut de Homero queritur Cicero (*c*), transferrent ad Deos; atque hinc ſtulti homines, licet omnium primi Theologorum nomine donati, quae nobis dedecori eſſe non ſolent, ne ſuis quidem Numinibus fore arbitrarentur.

(*a*) Vide Heſiodi fabulas a Batteuxio *l. c.* explicatas. Hunc Auctorem ideo libenter afferimus, quod veterum opiniones non modo magna eruditione propoſuerit, ſed & mirifica quadam elegantiſſimae orationis perſpicuitate enucleaverit Apud illum Heſiodi Amor = *n' étoit pas un être intelligent, ayant une volonté, un choix, une liberté: c' etoit une tendance ſecrète, une puiſſance interne, un reſſort univerſel, qui pouſſoit chaque eſpèce élémentaire dans le lieu, qui lui convenoit. Iupiter ne devoit paroître, que quand il ſeroit formé lui même, & qu' on verroit en lui les attributs néceſſaires pour en faire le Roi, & le Dieu de l' univers* =

(*b*) *De Civ. Dei l.* 2. *c.* 7.

(*c*) *L.* 1. *Tuſc. Quaeſtion.*

Digitized by Google

Caeterum aliquae ſunt doctiſſimorum Virorum ſententiae, quae propoſitam difficultatem minuere, aut etiam auferre poſſint. Nam primo quidem ipſe Bruckerus, qui ſicut Orpheo, ita etiam aliis vetuſtiſſimis poëtis, ac Theogoniarum auctoribus doctrinam tribuit, quae *Syſtema* dicitur *Emanativum*, omnipotentem ab ipſis Deum, & a nemine productum, ac vulgari Jove antiquiorem, fatetur induci.

Quoniam vero illa ratio, qua veteres Bruckerus Theogonias explicat, Moshemio quoque probata, & valde ingenioſa eſt, & ſua probabilitate non caret, ſimulque Caſcos illos (ita enim priſca gens mortalium ab Ennio appellabatur) ab Ἀθεότητος nota vindicat, non gravabimur ipſam verbis ejuſdem Bruckeri hoc loco proponere, ne quidquam ei oratione noſtrá detrahi videatur. Ita ergo Bruckerus (*a*) quod pertinet ad rem noſtram = *Quod ſi itaque, eodem fere modo, quo apud Orpheum, veterum theogoniarum mentem explicamus. I. Chaos ſtatuendum eſt vel ab aeterno cum Deo, & in Deo fuiſſe, vel Deo, tamquam pars ejus, adjeciſſe, ſicque praeter iſtud Chaos Deo quaſi gravidum fuiſſe nihil. II. Antequam vis illa divina, vel Deus potius ipſe ſe expanderet, materiamque ex ſe emanantem, ſibique proximam novo motu propelleret, cuncta in eo latuiſſe, aeternamque rerum omnium noctem chaos preſſiſſe. III. Ubi vero nova agitatione chaos a Deo commotum fuit, impreſſum fuiſſe amorem, ſive motum rerum omnium, & rationum ſeminalium in Chao comprehenſarum, quo res homogeneae inter ſe conjunctionem appeterent, diſſociarent ſe quae hactenus confuſae latuerant partes heterogeneae. IV. Hunc motum a Deo materiae ex ſinu Dei perpetuo prodeunti impreſſum ideo neceſſario rationalem, atque ſapientia, & conſilio fuiſſe plenum* =.

Deinde Bruckerus explicat, quomodo commotis, & agitatis infinitae materiae particulis, & Nox diſpulſa fuerit, & Lux emicuerit, & purus Æther; ac deinde ipſa Tellus, ac Montes, & Pelagus extiterit, & ex Coeli, Terraeque connu-

(*a*) *Br. H. C. Phil. Tom. I. p. m.* 417. *&c.*

Digitized by Google

nubio homines aliquando prodierint. Porro maximos quoſdam homines, cum non parva Numinis inſidentis vi regerentur, rebus praeclare geſtis non modo magnam apud alios homines gloriam, ſed & ipſam immortalitatem adeptos, & ad beatas, coeleſteſque ſedes eorum animos fuiſſe translatos. Iſtos autem eſſe Deos, quos poſitis aris, victimiſque mactatis populus vereatur, & colat.

Quamquam autem, ut ſignificavi, haec Jacobi Bruckeri ſententia probabilitate non caret, validis tamen rationibus ab Agatopiſto Cromatiano premitur. Ipſe autem Agatopiſtus, etſi non omnia, quae novimus ab antiquiſſimis Mythologis dicta explicari jam a nobis poſſe arbitratur, tamen multo meliorem de Natura divina doctrinam cultam ab iiſdem fuiſſe conjicit: (*a*) ideſt aeternum, ſupremum, atque unicum Deum ipſis eſſe viſum, a materia omnino diſtinctum, atque ſecretum, qui Chaos formaverit, homineſque produxerit: quorum plures maximam vel ingenio, vel rebus praeclare geſtis gloriam conſecutos, tum poëtarum carminibus, tum vulgi opinione fuiſſe ad Coelum evectos, atque adeo ipſa Divinitate donatos. Multa in hanc ſententiam ea doctrina ſcribit Agatopiſtus, quam ſuis in omnibus libris, & cedro, & ipſa dignis immortalitate, praefetulit.

Utra ſententia ſit verior definire nihil neceſſe eſt. Sed huc illa facere videntur, quae notavimus, cum de Triumviris illis Lino, Orpheo, atque Muſaeo ſcriberemus.

Illud autem hoc loco diligenter eſt advertendum, quod ſcilicet apud veteres poëtas, quorum carmina tenemus, ac legimus, aliqua interdum occurrant, quae ſupremum Dominum, ſuo illo Jove multo majorem, cognitum ab iiſdem fuiſſe facile perſuadeant. Hinc enim Ovidius ipſe, Scriptor canendis amoribus, quam Divinitati celebrandae

 aptior,

(*a*) Vid. Agatop. Cromat. *Della Iſtoria &c. di ogni Filoſof.* C. XVII. *& XVIII. Vol. II.* Cum illo magna ex parte concinunt, Cudworth. *Syſt. Intell.* C. IV. §. 19. Petrus Petit *Obſ. Miſc.* XII., Gudling. *Gudlingian.* P. 32. *Obſ.* 5., Jacobus Sirbius *de Orig. Atheiſmi*, atque alii non pauci.

aptior, ſapientiſſimum architectum laudat, qui Chaos digeſſerit, ac ſuis quaeque locis mirabili ordine compoſuerit, ut ea, quam tantopere ſuſpicimus, rerum Univerſitas exiſteret. Profecto notiſſima ſunt illa Ovidii carmina,

„ . . . . *corpore in uno*
„ *Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,*
„ *Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.* (*a*)
„ *Hanc Deus, & melior litem natura diremit.*
„ *Nam caelo terras, & terris abſcidit undas,*
„ *Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aëre coelum,*

Nec multis interjectis verſibus idem Ovidius:

„ *Sic ubi diſpoſitam, quiſquis fuit ille Deorum,*
„ *Congeriem ſecuit, ſectamque in membra redegit;*

& alia, quae verſibus adeo nitidis, elegantibuſque proſequitur. Jam vero talem, ac tantum Deum non fuiſſe Jovem illum Saturni filium, ac Coeli Nepotem, qui ſub finem aetatis aureae,

„ . . . . . *Saturno tenebroſa in Tartara miſſo,*

ſalutatus eſt Orbis univerſi Regnator, qui ſororem Junonem uxoris loco habuit, qui bellum cum Titanis geſſit, qui alia multa feciſſe dicitur ad ſimilitudinem imbecillitatis humanae, adoleſcentes etiam in legendis Ovidii libris exercitati facile poſſunt advertere.

Illud autem eruditus quiſque lector facile concedet: mollem ſcilicet poëtam, ac delicatum, qui nihil olere ſoleat

(*a*) Bayl. *Dictionn. Art. Ovide N.* G. contra doctrinam Ovidii hac tota narratione comprehenſam ingenioſe diſputat. At recte de illo Agatop. *V. II. p. 70.* = *moſſe contro queſto Caos una grave cenſura: nella quale ebbe alcune ragioni, e alcuni torti* =.

leat e ſchola, nihil e gravioribus diſciplinis, non tam ſuas eo loco cogitationes mandare litteris, quam Graecorum, qui de mundi ortu, ac Deorum origine ſcripſerant, explicare ſententias. Quamobrem dubium eſſe non poteſt, quin Graeci, quamvis abſurdis, ac ridiculis fabulis delectati, Deum a nemine genitum, ſapientem, & immortalem, adultero illo Jove longe praeſtantiorem, atque potentiorem, tot rerum, atque tantarum molitioni praefecerint.

Id etiam ex eo confirmari poteſt, quod poëta latinus, doctior multo, quam elegantior, Manilius, declarans Heſiodi ſententias (*a*) ſatis indicet, divinam ab Aſcraeo Poëta Naturam, quae ante rerum omnium, ipſorumque Deorum originem jam exiſteret, aliquo modo fuiſſe cognitam.

Multa hic de Homero afferre poſſemus, quae Clariſſimi Viri Boivinus, atque Rollinus (*b*), aliique collegerunt. Sed ea omittere malumus, ne multo longior, quam neceſſitas ferat, noſtra jam evadat oratio.

Nam neque Poëtas, de quibus egimus, neque Graeciae populos, qui poëtas eoſdem audiebant, Atheos dici poſſe, niſi voces ad ſenſus a noſtra controverſia alienos detorqueantur, ſatis ſuperque demonſtravimus.

CA-

(*a*) *Aſtron. Lib. II.*

(*b*) Boivin. *Apolog. d' Homere*, Rollin. *de la maniere d' enſeigner, & d' etudier les belles Lettres, T. I. de la Lecture d' Homere*. Eos ſequitur Franciſcus Xaverius Quadrius in celeberrimo Opere; *Della Storia &c. d' ogni Poeſia Vol. IV. p.* 643., ubi etiam ait = *non anderebbe per avventura lungi dal vero, chi ſoſpettaſſe, che Omero non altrimenti, che abbiamo detto, aveſſe di que' ſuoi Dii ragionato, che per farſene beſſe, e per metterli in deriſione, poſta l' Unicità di quell' Eſſere, ch' egli conoſceva ſol darſi* = Profecto Poëtas non ſemper id curare, ut veros animi ſenſus exprimant, declarat Heſiodus notiſſimis verſibus,

„ Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα:
„ Ἴδμεν δ' εὖτ' ἐθέλωμεν ἀλήθεα μυθήσασθαι.

CAPUT IV.

De Philoſophis, praeſertim Ionicis, ante Anaxagoram.

QUI primum inter Graecos Anaxagoram (*a*) ad auctorem orbis univerſi Deum agnoſcendum perveniſſe pronunciant, caeteros ante illum Jonicos philoſophos, ac praecipue Thaletem, Philoſophiae Patrem, & Anaximandrum, & Anaximenem, atque adeo, dum conſtare ſibi volunt, quotquot ante Anaxagoram in Graecia ſapientiae laude floruerunt, (*b*) ſummae illius impietatis inſimulant. Illorum vero agmen ducit Baylius, veterum errorum ſin minus amator, certe inveſtigator accuratiſſimus.

Neque tamen hic eſt diſſimulandum, veteres plures hujus calumniae occaſionem aliquam praebuiſſe. Ut enim Tertullianum, Themiſtium, alioſque omittamus a Menagio, & a Baylio relatos, Cicero haec de Anaxagora diſerte ſcripſit

(*a*) Quis non jure miretur hunc ipſum Anaxagoram fuiſſe ab aliquibus tum veteribus, tum recentioribus, Atheum exiſtimatum? Illi quidem Atheum Anaxagoram habuerunt, quod vulgares Deos, praecipue Solem, atque Planetas, tanto indignos honore judicaſſet; quin & in carcerem conjecerunt, & morte damnarunt, a qua diſcipuli ſui Periclis patrocinio liberatum, Athenis exulare coëgerunt. Iſti autem nobilem philoſophum impietatis accuſarunt, quod Mentem illam, de qua tam praeclare loquutus eſt, materiae junxerit, atque hinc non libertate, ſed neceſſitate naturae mundum fabricatam fuiſſe crediderit. Hanc tamen eſſe calumniam minime ferendam, aequus lector ex iis, quae hoc in capite dicemus, facile colliget. Hic tantum monemus, ſapientiores etiam Ethnicos praeter Periclem, Anaxagorae ſatis aequos fuiſſe; quin & in ejus honorem altaria fuiſſe erecta, tumuloſque poſitos, quibus inſcriptum erat Μνῆμα τοῦ Νοῦ, vel τῆς ἀληθείας ταφός. De Anaxagora, ejuſque doctrina legendus eſt Cl. Batteuxius *Tom. XXV. de l' Ac. R. des Inſ.* ubi *p.* 48. *M.* eſt ejus de Anaxagora Diſſertatio, in qua Homaeomeriam ipſius egregie declarat.

(*b*) E. g. praeter poëtas, de quibus diximus, Pherecydem, Pythagoram cum diſcipulis plurimis, Heraclitum Epheſium, Xenophanem, Parmenidem, atque alios plurimos. Etenim natus eſt Anaxagoras, ut dicit Batteuxius = *vers la 70. Olimpiade, environ cinq cent ans avant I. C.* = de Anaxagorae aetate vid. Petav. *Rat. Temp. L. III. c.* 8. atque alios.

pſit (*a*) = *Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene diſciplinam, primus omnium rerum deſcriptionem, & modum mentis infinitae vi, ac ratione deſignari, ac confici voluit* =

Jam vero quomodo ſint ea Ciceronis, ac ſimilia ſimilium Scriptorum intelligenda verba Critici noſtri *certant, & adhuc ſub judice lis eſt*. Etenim ex eo difficultas augetur, quod idem Cicero non multo ante de Thalete dixerat = *Thales Mileſius, qui primus de talibus rebus quaeſivit, aquam dixit eſſe initium rerum, Deum autem mentem eam, quae ex aqua cuncta fingeret* =.

Baylius haec verba ſuſpicatur eſſe ab aliena manu libro Ciceronis addita, vel certe locum aliqua ratione corruptum, quod ea, quae hic de Thalete dicuntur, cum iis, quae dicentur de Anaxagora, ſatis cohaerere non poſſint (*b*). Itaque ſe, Baylius ait, (*c*) veteribus aliis credere velle, qui Ciceroni ſcilicet in eo conſentiunt, quod primum mentis materiam ordinantis auctorem Anaxagoram faciunt.

Equidem inverſa ratione probare poſſum Ciceronis locum de Anaxagora, qui locus nobis objicitur, potius quam alterum de Thalete, fuiſſe corruptum. Quid enim? Nonne veteres plures philoſophorum meminere, qui ante Anaxagoram materiae Mentem ſuis quaeque locis aptantem, & ordinantem adjunxerint?

Ariſtoteles profecto, graviſſimus auctor, Hermotimum Clazomenium teſtatur ante Anaxagoram Intelligentiae rerum originem adſcripſiſſe. Imo alios eodem loco (*d*), praeter Her-

(*a*) *Lib. I. de Nat, Deor.*

(*b*) Vide Gerdilum *Introd. allo St. della Relig. P. I. L.* 1. *C. I*

(*c*) *In Dict. Art. Anaxagoras*.

(*d*) *Metaph. L.* 1. *C. II. p. m.* 13. = *Qui, ut animalibus, ita in natura intellectum ineſſe cauſam mundi, totiuſque ordinis dixerat, quaſi ſobrius, comparatus ad antiquiores vana dicentes, apparuit* = Haec verba non ad Anaxagoram pertinere videntur, ut ea pertinent, quae ſequuntur = *Iſtas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuiſſe ſcimus. Attamen Hermotimus Clazomenius dicitur cauſam prius dixiſſe* = Graecum Met. *L. I. Cap. III. p. m.* 9. habet = Φανερῶς μεν οὖν Αναξαγόραν ἴσμεν ἀψάμενον τούτων τῶν λόγων. αἴτιον δ' ἔχει πρότερον Ερμότιμος ὁ Κλαζομένιος εἰπεῖν = &c.

Hermotimum Ariſtoteles ante Anaxagoram idem docuiſſe indicat.

Praeterea Laërtius Anaxagoram dicit a Lino ſuam hauſiſſe doctrinam, qui Linus celeberrimum, ut alio loco diximus, verſiculum edidit,

„ *Tempus erat, quo cuncta ſimul ſunt condita quondam* (*a*).

His etiam omiſſis, plura ſunt veterum, de quorum fide, vel diligentia dubitare nefas eſſet, ac luculenta teſtimonia, quae celebriores ante Anaxagoram Philoſophos ſupremae cujuſdam Intelligentiae vim, atque conſilium in tot rerum, atque tantarum aptiſſima diſtributione cognoviſſe perſuadeant.

Itaque ſi Ciceronis locus a Baylio nobis objectus, ſatis apta quadam explicatione donari non poſſet, merito cum locis aliis circumjacentibus ejuſdem libri corruptum fuiſſe ſuſpicaremur. At neceſſe non eſt ad iſta confugere, cum doctiſſimi Viri plures rationes attulerint, quibus tum ea Ciceronis verba, tum alia ſimilia, quae in veterum libris occurrunt, explicari commode poſſint, neque tamen ulla fiat injuria philoſophis, qui Anaxagorae praeceſſerunt aetatem.

Nam primo quidem ſunt qui Thaletem, atque alios ante Anaxagoram, Jonicos opinentur (*b*), ut primo libro ſignificavimus, noluiſſe, cum rerum naturalium inveſtigarentur origines, ad Deum tamquam ad aram ſubito confugere. Sentiebant enim philoſophos alia quaedam recondita magis, & a vulgi opinionibus longe remota, cum hujuſmodi quaeſtiones agitarentur, in medium afferre oportere. Hinc illi cum in quaeſtione de Natura Deorum, Deum eſſe mentem dicerent, quae vel ex aqua, vel ex infinito, vel ex aëre

(*a*) Laërtius in Prooem. recitato Lini verſiculo ſubdit = ὅθεν λαβὼν Ἀναξαγόρας, πάντα ἔφη χρήματα γεγονέναι ὁμοῦ. νοῦν δὲ ἐλθόντα, αὐτὰ διακοσμῆσαι. =

(*b*) Ita Samuel Parcker de Deo, & Provid. *Diſp.* 1. *Sect.* 5. Moshem. *in not. ad Syſt. Intell. Cudvv.* C. I. §. 22. *aliique*.

aëre cuncta fingeret, tamen Dei vix, aut ne vix quidem meminiſſe videbantur, cum de principio interrogarentur, a quo res omnes tanta, atque tam apta varietate profluerent: qua quidem in re Carteſio ſimiles omnino fuerunt, qui etſi Deum Mundi Conditorem agnoſceret, in ſua tamen Coſmogonia ſupremi Auctoris ita non meminit, ut potius tantummodo per materiam, & motum res omnes effici diceret; atque hinc & impiis in ſuas partes vocandus, & paucis etiam quibuſdam bonis impietatis damnandus eſſe videretur.

Porro Anaxagoras, ſi eoſdem Scriptores audimus, perſpicue vidit non poſſe niſi voces inanes ab ipſa philoſophia fundi, ſi non, cum de rerum ortu quaereretur, ſapientiſſimae cujuſdam Mentis, a materia omnino diſcretae, materiamque ipſam agitantis, atque componentis diſertiſſima mentio fieret. Itaque philoſophus excelſa quadam mente praeditus tenebricoſas, quae circumferebantur, de rerum origine doctrinas aſpernari ſolitus, aperte profitebatur, ut eſt apud Ariſtotelem (*a*): Mentem, cum omnia per infinitum tempus commixta, atque confuſa jacuiſſent, motum in illa ſimul, atque ordinem mirabili providentia induxiſſe; ſive, ut clarius loquitur Hermias, aut potius Tatianus, certe doctiſſimus auctor libelli *de Irriſione Philoſophorum Gentilium* = *Haec docuit Anaxagoras. Principium omnium Mens, & eadem cauſa omnium, ac domina. Illa quidem ordinem inordinatis indidit, & quieſcentibus motum, & confuſis diſtributionem, ac demum pulchritudinem inornatis* (*b*) =.

Haec Tullianae illius de Anaxagora ſententiae, cui ſimiles aliae, praeſertim apud Scriptores ipſo Tullio poſteriores, occurrunt, interpretatio valde probabilis mihi videri ſolet; praeſertim cum Anaxagoras idem, non ſecus ac ae-

(*a*) VIII. Phyſ. = Φησὶ γὰρ (ὁ Ἀναξ.) ὁμοῦ πάντων ὄντων, ϗ ἠρεμούντων τὸν ἄπειρον χρόνον, κίνησιν ἐμποιῆσαι τὸν Νοῦν, ϗ διακρῖναι =

(*b*) Graecum habet = ταῦτα παιδεύει Ἀναξαγόρας. Ἀρχὴ πάντων ὁ Νοῦς· ϗ αὐτὸς αἴτιος, ϗ κύριος τῶν ὅλων, ϗ παρέχει τάξιν τοῖς ἀτάκτοις, ϗ κίνησιν τοῖς ἀκινήτοις, ϗ διάκρισιν τοῖς μεμιγμένοις, ϗ κόσμον τοῖς ἀκόσμοις =.

tate noſtra Newtonus, reprehenſus fuerit etiam a Scriptoribus profecto non Atheis, quod nimis facile Mentem, cum rerum cauſae quaererentur, in medium induceret, ac difficultatem non tam ſolvere, quam amputare videretur. Hinc Ariſtoteles ipſe ita carpit Anaxagoram (*a*) = *Anaxagoras tamquam machina utitur Intellectu ad mundi generationem, & cum dubitat propter quam cauſam neceſſario eſt, tunc eum attrahit: in caeteris vero magis caetera omnia, quam Intellectum, cauſam eorum, quae fiunt, ponit* =.

Haec eadem interpretatio alia ratione vel declarari, vel confirmari poteſt. Nimirum veriſimile eſt vetuſtiores Anaxagora Philoſophos, cum certe de Deo rudi quadam, ac pingui Minerva loquerentur, cenſuiſſe Deum eſſe rerum omnium caput, ac fontem, quod temperato quodam, aptiſſimoque motu materiam agitaverit, atque ita digeſſerit, ut pulcherrimis rebus producendis idonea foret. Itaque Deum eſſe principium rerum ultimum, atque adeo praeſtantiſſimum ultro concedebant. Sed jam quaerendum eſſe arbitrabantur, quid rerum principium fuerit, etiam in genere cauſae efficientis, proximum, atque, ut philoſophi noſtri non ſatis latine, ſed tamen ſatis perſpicue loquuntur, *immediatum:* quid e. g. cauſae fuerit, cur ex parte materiae, eo motu, quem diximus, agitata, potius Coelum, quam Tellus emerſerit, potius Luna, quam Stellae, vel terra, quam pelagus, vel jumenta, quam arbores.

Aliquis extitit, qui ſe omnia ſatis explicare poſſe cenſeret, ſi Aquam diceret eſſe initium rerum, quod aquae inſit ea vis, atque natura, ut facile ſeſe poſſit in res omnino varias pulcherrimaſque convertere.

Alius autem arbitratus eſt, non aliud eſſe dicendum proximum totius mundi principium, quam *Infinitatem naturae*, ſive materiam, ut ego interpretor, nullis definitam limitibus, ac per infinitum ſpatium ordinato illo motu, quem ſummus artifex impreſſerat, aſſidue circumlatam.

Alius

(*a*) *Metaph. L. I. C.* 2. *p. m.* 14.

Digitized by Google

Alius demum exiſtimavit aërem, tum aqua, tum alio quovis corpore ſimpliciorem, ac tenuiorem, tot rebus, atque tam variis producendis aptiorem eſſe.

Fuerunt etiam non pauci, qui dicerent fortuito factum eſſe, ut res haec potius, quam illa, ſaltem ſi de plurimis inſtitueretur quaeſtio, ex agitata materia prodiret, cum illa potius, quam haec prodire potuiſſet.

Et hi quidem ab aliis corripiebantur, qui Fatum inducebant, hoc eſt, niſi fallor, legem quamdam a Divina voluntate manantem, atque, ut ita dicam, ipſi materiae, vel rebus ipſis impreſſam; quam tamen plerique nec ſatis explicare poterant, neque cogitatione complecti: ſed enim nonnulli magnum aliquid attuliſſe videntur, ubi fatum hoc idem Jovis voluntati parere cecinerunt. Haec Jonicae praeſertim philoſophiae incunabula.

Supervenit aliquando divinus ille Anaxagoras, qui communem quidem errorem (*a*) amplexus eſt, a nemine genitam fuiſſe materiam, ſed principium, ut dicere ſolemus, *efficiens*, idemque proximum omnium rerum, cum primum

(*a*) Notatu dignum eſt, quod ſcribit, praeter alios, Batteuxius in diſſ. cui titul. = *Developpement d' un principe fondamental de la Phyſique des Anciens T. XXV. de l' Ac. R. des Inſcr.* = ubi *p.* 71. *M.* ait = *aucun philoſophe Grec n' a reconnu la création, ni ne l' a crue poſſible. Laurent Moshem dans une ſavante diſſertation ſur ce ſujet (dans le livre de Cudworth. To. II. p.* 957.) *a demontré qu' Hiérocles Platonicien moderne (il vivoit dans le V. Siecle) a été le premier, qui par ſes diſputes avec les Chrétiens, en ait ſenti, connu, & avoué la néceſſité. Non eſt probabile, dit Ciceron repréſentant la penſée des Anciens ſur cette queſtion (ex fragm. l. III. de Nat. Deor. ap. Lactant.) eam materiam rerum, unde orta ſunt omnia, eſſe divina providentia effectam; ſed habere, & habuiſſe vim, & naturam ſuam. Ut igitur faber, cum quid aedificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed ea utitur, quae ſit parata; fictorque item e cera: ſic iſti Providentiae divinae materiam praeſto eſſe oportuit, non quam ipſa faceret, ſed quam haberet paratam* = Clarius idem habet Cicero *de Divin l.* 2. *n.* 37. = *Erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubito occidat? Quis hoc phyſicus dixit unquam?* = Conſule de hac re, ſi plura cupis, Clariſſimum Alphonſum Niccolai *Diſſertazioni, e Lezioni di Sacra Scrittura ec. T. I. Lez. I. a p.* 180

productae ſunt (*a*), non aliud eſſe ponendum ſtatuit, quam Infinitam Mentem, quae materiae particulas inter ſe commixtas, atque confuſas, mira quadam ſapientia, potentiaque ſecreverit (*b*), & aptis quidem adhibitis, ineptiſque rejectis ſingula corpora ſuis ipſa quodammodo manibus effinxerit.

Hinc Anaxagorae illa fuit Homaeomeria, rerum omnium, ut philoſophorum vocibus utar, *materiale* principium, de quo Lucretius,

„ *Nunc & Anaxagorae ſcrutemur Homaeomeriam,*
„ *Principium rerum, quam dixit Homaeomeriam:*
„ *Oſſa videlicet e pauxillis, atque minutis*
„ *Oſſibus: ſic & de pauxillis, atque minutis*
„ *Viſceribus viſcus gigni, ſanguemque creari*
„ *Sanguinis inter ſe multis coëuntibus guttis:*
„ *Ex aurique putat micis conſiſtere poſſe*
„ *Aurum, & de terris terram concreſcere: parvis*
„ *Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus eſſe;*
„ *Caetera conſimili fingit ratione, putatque.*

Jam haec tota Ciceronianae ſententiae interpretatio, quam fuſiore oratione propoſuimus, ideo nobis maxime omnium

(*a*) Non tamen ideo Anaxagoras negavit rebus creatis ineſſe vim aliquid producendi. Imo in eo reprehenſus eſt ab Ariſtotele, ut ex verbis ipſius, quae retulimus, apparet, quod in prima rerum origine explicanda tantummodo Mentem, ut cauſam efficientem agnoverit, ac deinde alias cauſas efficientes ad alia φαινόμενα declaranda adhiberet; quae tamen Ariſtotelis cenſura facile ab Anaxagora contemni potuiſſet.

(*b*) Anaxagoras librum ſcripſit de Naturali Philoſophia, cui, teſte Laërtio, his verbis initium fecit = Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα Νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε = *Res omnes ſimul erant: Mens autem cum ſuperveniſſet, ipſas compoſuit* = Plutarchus *de Plac. Philoſ. L. I. C.* 3. eadem Anaxagorae verba refert, ſed poſt verbum Νοῦς habet δὲ αὐτὰ διῆρε, καὶ διεκόσμησε, *ſecrevit ipſas atque compoſuit*. Ex his verbis, etiamſi alia deeſſent, facile videres, quam iniqui fuerint in Anaxagoram, qui negaverunt ipſum Supremae illius Mentis libertatem agnoviſſe. At multo clarius videbis, quantum erraverint, qui praeclarum Philoſophum, quo nemo per ea tempora melius de Divinitate locutus eſt, Atheis accenſuerunt.

Digitized by Google

mnium, de quibus poſtea dicemus, arridere ſolet, quod & Ciceronem ſatis explicet, ne ſecum ipſe pugnare videatur, & ſententias Theogonorum, atque Philoſophorum ante Anaxagoram ſatis conciliet; cum aliae quidem diſerte Deum & auctorem mundi, & maxima providentia res noſtras gubernantem inducant, aliae vero, ab iiſdem Auctoribus prolatae, principium rerum aut Amorem, aut Noctem, aut Oceanum, aut Aquam, aut Ignem, aut Aërem, aut aliud ſimile agnoſcant, altumque ſervent de Mente, ac Poteſtate divina ſilentium; ac demum Plutarchi verbis admodum congruat, quibus in Vita Periclis magiſtrum ejuſdem Anaxagoram magnifice laudat. = *Reliqui*, inquit, *philoſophi Ionici, ante Anaxagoram, fortunam, caecamque neceſſitatem, ideſt motus materiae vel fortuitos, vel neceſſarios, unum rerum principium eſſe profeſſi ſunt: primus autem Anaxagoras affirmavit, mentem puram, & omnis concretionis neſciam rebus omnibus praeſidere* = Conſonant alia verba Plutarchi in eadem Vita Periclis = *Quem Anaxagoras*, inquit, *illius temporis aequales Mentem appellavere, vel quod perſpicaciam ejus ſingularem in natura perſcrutanda, excellentemque admirarentur, vel quod univerſitati non fortunam, neque fatum ordinatae diſcretionis principium, ſed mentem princeps puram, ac ſinceram praefecerit, cum omnibus confuſas aliis ſecernentem particulas ſimilares* =.

Profecto luce meridiana clarius eſſe videtur, Plutarchum hic de principio loqui, quod *activum*, aut *efficiens*, non de illo, quod *paſſivum*, aut *materiale* recentiores Metaphyſici vocare conſueverunt. At Plutarchus certe non ignorabat Jonicos ante Anaxagoram Philoſophos principium rerum omnium ultimum in genere cauſarum efficientium eam agnoviſſe Mentem, quae ex Aqua, vel Naturae Infinitate, vel Aëre cuncta fingeret. Ergo dum Jonicos eoſdem dicit profeſſos eſſe motus materiae vel fortuitos, vel neceſſarios unicum agnoſcendum eſſe principium, de principio proximo loquitur, quod *immediatum* Scholaſtici noſtri dicunt. Dum vero Anaxagoram teſtatur, ut rerum ortus explica-

ret

Digitized by Google

ret, ad Mentem confugiſſe, quae formandis rebus omnibus praeſideret, ſatis, opinor declarat, hanc eamdem a praeſtantiſſimo Philoſopho Mentem, *unicum*, *efficiens*, *activum*, *proximumque* principium fuiſſe habitum, ex quo rerum origines derivari oporteret.

Simile argumentum ex Diogene Laërtio duci poteſt. Hic enim de Thalete agens, ait, mundum ab eo pulcherrimum fuiſſe dictum, quod ſit opus Dei. At idem Diogenes in Anaxagora fatetur, hunc primum materiae mentem praefeciſſe (*a*). Ergo putavit Diogenes haec duo inter ſe poſſe componi. Atqui componi non poſſunt, niſi dicamus, Thaletem cenſuiſſe mundum a Deo, velut a prima cauſa efficiente ortum habuiſſe, Anaxagoram vero cauſam eamdem non modo primam, ſed & proximam, atque adeo unicam habuiſſe.

Itaque non debet ad arbitrium a nobis confictum exiſtimari, quod nos de veterum illorum ſententia, duplex rerum principium, *remotum* unum, quod eſſet Deus, *proximum* alterum, quod eſſet aliud quippiam, diſtinguente, ac de Anaxagorae ſollertia, qui diſtinctionem hanc ineptam eſſe viderit, atque rejecerit, ſatis, ut arbitror, perſpicua oratione propoſuimus.

CAPUT V.

De ſententiis aliorum explicare contendentium, qua ratione primus Anaxagoras dici potuerit, qui Mentem rerum cauſam agnoverit.

NON parum diverſa Ciceronianae ſententiae, aliarumque ſimilium, de Anaxagora, & Jonicis Philoſophis, interpretatio doctiſſimo Viro, eidemque acutiſſimo Jacobo Bruckero placuit. Etenim ille opinatus eſt (*b*) = *ſtatuiſſe Triumviros illos* (Thaletem, Anaximandrum, & Anaximenem)

(*a*) Πρῶτος τῇ ὕλῃ νοῦν ἐπέστησε.

(*b*) *T. I. H. Cr. p.* 504.

Digitized by Google

nem) *Anaxagorae anteceſſores materiam unicum eſſe principium, nec extra eam dari aliud: eſſe vero in materia mentem, eam intime penetrantem, & moventem, & cum ea ita arcte unitam, ut unum principium conſtituant: & eſſe vero admodum ſimile intellexiſſe eos hoc ita, ut materiam ab aeterno ex Deo emanaſſe, & quotidie novo motu ex ſinu ejus intime illi praeſentis moveri, & emanare dicerent* =. Subdit autem Vir doctiſſimus, Anaxagoram, cum abſurdas videret ejus doctrinae conſecutiones, duo rerum omnium principia Deum, atque Materiam, multo majori, quam antea factum fuiſſet a Mythologis, atque Philoſophis, perſpicuitate diſtinxiſſe. Quare Mentem illam perfectae ſapientiae, atque virtutis ab inerti, brutaque materia omnino ſegregavit nobilis ille philoſophus = *nec ei ineſſe*, inquit, *ſed adſiſtere tantum extra docuit, ſicque primus fuit, qui Deum materiae, tamquam mentem corpori oppoſitam introduceret, & ab ea diſtingueret* =.

Jam haec interpretatio Bruckeri cum teſtimoniis veterum maximam profecto partem conſentire videtur, illis praeſertim, qui propriam Anaxagorae doctrinam deſcribentes, mentem a materia per illum omnino ſecretam (*a*), ac pulcherrimis dotibus, libertate praeſertim, ornatam tradiderunt.

Ariſtoteles enim, praeter illa, quae attulimus, Anaxagoram ſtatuiſſe ait (*b*) = *mentem principium eſſe omnium: ſolam namque rerum omnium ipſam ſimplicem, & non permiſtam, & puram eſſe, atque ſinceram. Atque eidem principio haec utraque*

(*a*) Objici poteſt Anaxagoram non ſecus, atque alios, Mentem cum materia confudiſſe, cum eum dixiſſe Plato in Cratylo auctor ſit = τὴν τῶν ἄλλων ἁπάντων φύσιν καὶ Νοῦν, ψυχὴν εἶναι τὴν διοικοῦσαν, καὶ ἔχουσαν = ſcilicet = *rerum omnium naturam pervadere Mentem, atque Animam, nec non continere* = At recte, niſi fallor, ex Cudwortho *Syſt. Intell. Cap. IV. §.* 32. reſpondet Bruckerus *H. Cr. Tom. I. p. m.* 507. = *aſſeruiſſe Anaxagoram pariter, & Platonem, Deum* πάντα κοσμοῦν τὰ πράγματα διὰ πάντων ἰόντα, *Deum exornare omnia per omnia pervadentem, non tamen, ut Deum mixtum eſſe naturae cenſeret, ſed ut mundum prorſus a Deo ſecerneret: qua ſententia proxime ad Chriſtianorum dogma acceſſerit &c.* =

(*b*) *De Anima l.* 1. *c.* 2.

que tribuiſſe, cognitionem, & motum, dicentem, Univerſum Mentem moviſſe ═ Similia de Anaxagora veteres alii, quae de Philoſophis ante ipſum dicta non invenias.

At reſponderi poteſt, eos auctores non aliud ſibi velle, niſi magnum illum Anaxagoram nitidius, & clarius, atque ſublimius, quam poëtae ante ipſum, nec non philoſophi, de ſuprema mente, rerum omnium cauſa, fuiſſe locutum, & eamdem ad rerum origines explicandas ea ratione, qua diximus, adhibuiſſe. Nam antiquos omnes ante Anaxagoram ſententiis tam abſurdis, quam vult Bruckerus, de Natura divina fuiſſe delectatos, non eſt adeo facile concedendum; praeſertim cum multo nobiliorem, ac praeſtantiorem inerti materia naturam illam ab antiquioribus etiam Philoſophis, et ab ipſo Thalete fuiſſe poſitam, plures egregiae, quas nobis non invidit aetas, eorumdem ſententiae declarent, et ex alia parte Bruckerianis rationibus, ſi teneas ea, quae diximus, non leviter, mea quidem ſententia, reſponderi poſſit.

Alia eſt illius Tullianae ſententiae interpretatio, quam veram equidem eſſe cuperem, at vereor, ut multis perſuaderi queat. Cenſet enim Cl. Agatopiſtus, (*a*) Thaletem dici primum, qui docuerit Deum eſſe mentem eam, quae ex aqua cuncta fingeret: Anaxagoram vero primum, qui viderit rerum deſcriptionem, ac modum infinitae mentis vi, ac ratione factum fuiſſe; quod eamdem Supremi Numinis mentem diverſis, ut ajunt philoſophi, *paſſivis principiis* applicuerint; primus nempe Thales Aquae, primus Anaxagoras diverſarum ſpecierum particulis, ex quibus illa celebris Homaeomeria conſurgeret. Haec

(*a*) *Della Iſtoria ec. di ogni Filoſof. Cap. XXIII. Vol. II. p. 159.* ═ *Talete applicò la mente divina, e formatrice alla ſola Acqua, che perciò diſſe unico principio. Anaſſagora l' applicò ai principj moltiplici della ſua Omeomeria ..... e così ambidue han potuto dirſi i primi, che il medeſimo principio divino, e attivo hanno applicato diverſamente a principj paſſivi diverſi. Può anche aggiungerſi, che Anaſſagora fu il primo a parlarne con precisione, e chiarezza maggiore degli altri Filoſofi della Scuola Gionica &c.* ═ Vide quae ſubdit *ib. & p. 160.*

Haec explicatio verbis Ciceronis non ita levem, ut opinor, vim adhibet. Sed verbis aliorum veterum, praeſertim Plutarchi, quae retulimus, aptari nulla ratione poteſt.

Quare melius forſitan Vir idem acutiſſimus, quod ſubjecit: nempe Duumviros illos Thaletem, & Anaxagoram primos dici, qui Mentem in origine rerum explicanda praedicaverint, quod antiquiores Theogoniarum auctores per allegorias, atque metaphoras, hi vero per verba ſimpliciora, atque clariora, quantum ſinebant tempora, potentiam, ſapientiamque divinam extollebant.

Majorem quoque vim Ciceronis verbis, atque Plutarchi, aliorumque veterum inferre mihi quidem videtur Leſcalopierus, qui perpetuis Commentariis illuſtravit libros Ciceronis de Natura Deorum. Etenim ille rem omnem ita componit, ſeu potius evertit: Thaletis quidem ait eam fuiſſe doctrinam, ſed tamen ab Anaxagora longe, lateque propagatam.

Hanc Leſcalopieri ſententiam referens Antonius Genuenſis (*a*) ea ſubdit, quae temere, aut ego fallor, dicta fuiſſe, qui Criticae regulas teneat, facile opinabitur. = *το primus omnium non ad Thaletem, ſed ad Anaximandrum, Anaximenem, alioſque Ionicos, qui nihil diſerte de Principio activo univerſi monuerunt, referri commode poteſt* =.

At haec fuſius perſequi nihil neceſſe eſt. Etenim ex iis, quae diximus, ſatis, opinor, viderunt adverſarii noſtri, non poſſe, propter laudes Anaxagorae tributas, Jonicos philoſophos univerſos, alioſque Viros illuſtres, ipſo Anaxagora antiquiores, tantae inſcitiae, tantique ſtuporis argui; ut quibus Templum, Porticum, Urbem ſine ullo conſilio fuiſſe factam numquam perſuaderi potuiſſet, iidem ſine ratione, vel mente cenſuerint Mundum univerſum potuiſſe produci, vel etiam poſſe conſiſtere; quo nihil enimvero pulchrius, nihil eſt ſalutarius, nihil ornatius aſpectu, motuque conſtantius.

(*a*) *In Diſſ. de ter. corp orig. Cap. II. §. 1.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Thalete, Anaximandro, atque Anaximene Scholae Ionicae ante Anaxagoram principibus Viris ſingillatim agitur.

ETſi vetuſtiſſimos ante Anaxagoram philoſophos per ſummam injuriam ad Atheorum numerum adſcribi, quae ſuperioribus capitibus attulimus, tam multa, atque tam varia declaraverint: tamen operae pretium me facturum exiſtimo, ſi ſcholae Jonicae principes ante Anaxagoram Viros Atheos haberi non poſſe, alia ratione demonſtravero. Propriis enim, ac ſuis argumentis, ut optime Cicero monuit, tractanda quaeque res eſt; tanta praeſertim. Hinc autem illud maxime fiet, ut, ſin minus interpretatio illa noſtra Tullianae ſententiae lectoribus pluribus probari poſſit, (ſcio enim multos ſtudioſe contradicturos; quod nullo modo evitare potuimus, niſi nihil omnino ſcriberemus) aliqua ſaltem ex aliis, quas propoſuimus, aut alia etiam, quam acutus Lector, & eruditus excogitet, omnino probanda eſſe videatur.

Poſſemus autem & de Pythagora, nec non de celebrioribus quibuſdam Pythagorae diſcipulis hoc loco multa ſcribere, ut quamvis ante Anaxagoram floruerint, non tamen Atheos fuiſſe probaremus. At de Pythagora quidem impietatem Homeri reprehendente jam aliqua diximus, & de illius diſciplina facilis inde fieri conjectura poteſt. Lectoris autem, quamvis curioſi, deſiderio ſatis nos facturos eſſe confidimus, ſi Jonicae Scholae Magiſtros defenderimus, quibuscum praecipue, ubi primus Mentem rerum principium Anaxagoras agnoviſſe dicitur, ab antiquis comparatur, quique omnium maxime, in hac noſtra quaeſtione, a paucis quibuſdam librorum veris Auctoribus, & a Graeculis multis, qui cum Auctores deſcribant, Auctores ipſi videri volunt, Ἀθεότητος injuſta ſuſpicione vexantur.

Ita-

Itaque primus omnium Thales ille Mileſius in judicium vocabitur, quem de Septem Graeciae Sapientibus unum, imo Sapientes inter illos fere nobiliſſimum, habitum fuiſſe conſtat. Eum profecto non ita fuiſſe inſanum, ut nullam agnoſcere vellet Divinitatem, ſatis, opinor, ſi caetera deeſſent, haec eadem ſapientiae gloria declararet; praeſertim cum Graeci, quos Atheos haberent, non modo a ſapientia minime laudarent, ſed ferro, flammaque, ut patriae peſtes, & opprobria perſequerentur. Quis enim neſcit quid Theodoro, quid Diagorae, impiis hominibus, imo etiam Anaxagorae, Socrati, Ariſtoteli, nihil tale merentibus, acciderit?

Sed conjecturis non eſt opus, ubi ſententiae ipſius Thaletis, quod volumus, perſpicue demonſtrant. Nam & diſertiſſima ſunt ea Ciceronis verba, quae retulimus, = *Thales Mileſius, qui primus de his rebus quaeſivit, aquam dixit eſſe initium rerum: Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret* = & ea, quae Plutarchus habet (*a*) his valde ſimilia = *Thales*, inquit, *Mileſius rerum principium eſſe dixit aquam* =: & in eodem libro, non multo poſt (*b*) = *Thales Deum mundi mentem eſſe dixit* = Conſentit his Lactantius docens, a Thalete Mundi effectorem Deum fuiſſe materiae conjunctum (*c*).

Stobaeus autem in Eclogis Phyſicis teſtatur Thaletem dixiſſe = *Mentem Mundi eſſe Deum . . . . divinamque vim elementare humidum pervadere, ipſumque movere* =.

Maximè vero conſideranda eſt neceſſitatis omnibus rebus inditae definitio, a Thalete tradita, quam Stobaeus idem nobis ſervavit; nempe = *Iudicium ſtabile, atque immutabilis virtus Providentiae* = ſcilicet divinae. (*d*) Quis enim ex ea

F 2 de-

(*a*) *de Placit. Philoſoph. L.* 1. *c.* 2.

(*b*) *Ibid. cap.* 7.

(*c*) *Inſtit. div. I.* 5.

(*d*) *Eclog. Phyſ. C.* 8. Verba Graeca notatu digniſſima ſunt = Κρίσις βεβαία, καὶ ἀμετάτρεπτος δύναμις προνοίας = de Stobaeo Conradus Geſnerus, qui ejus opera latinitate donavit, *in ep. nuncup. p. m.* 13. = *de ipſo Ioanne Stobaeo, quo tempore vixerit, certi nihil invenio, niſi quod ex jam dictis patet, eum poſt Imperatoris Probi tempus floruiſſe, & Chriſtianum fuiſſe ex ipſo nomine colligo* =.

Digitized by Google

definitione non colligat, Thaletem ab eo errore valde alienum fuiſſe, quem Critici quidam recentiores tanto Viro ſupponunt; videlicet Deum ipſum, ſive Mentem Univerſi fato, ac neceſſitate adactam impreſſiſſe materiae motum, vel etiam ex ſua materiam eamdem genuiſſe ſubſtantia: quo certe vix aliquid magis abſurdum, aut impium, dici, vel fingi poteſt. Profecto neceſſitas indita rebus, aut fatum, quod in orbe univerſo dominari Thales opinatur, non ipſum afficit Deum, cum ab ipſo proficiſcatur; neque enim divina ipſa Providentia *antecedentem libertatem* ſupremi Numinis everti Thales unquam docuit.

Faciunt quoque ad rem noſtram quamplurimum Thaletis illae ſententiae, quas in Diogene Laërtio legere potes. = *Antiquiſſimum enim*, inquit, *eorum omnium, quae ſunt, Deus: ingenitus enim. Pulcherrimum, mundus: a Deo enim factus eſt.* = Paulo poſt = *Interrogatus*, ait idem Laërtius, *lateretne Deos homo male agens? Ne cogitans quidem* = ille reſpondit. Rurſus interrogatus, quid eſſet Deus = *quod initio*, ait, *& fine caret* = (*a*).

Iam hae ſententiae non ſunt hominis Athei, ſed ejus qui multo melius, quam vulgus philoſophorum, de Natura divina cogitaret. Itaque Thaletem inter Atheos nullus ex omni antiquitatis memoria numerat ſcriptor. Recentiores vero cordati homines, ac verae doctrinae laude florentes, non modo facile hominem de Atheiſmi crimine abſolvunt, ſed non ita male ſenſiſſe de Natura divina teſtari ſolent. Sunt autem inter eos, ut aliquos nominem, Fucherius, Batteuxius, Gerdilus, Agatopiſtus (*b*).

Ea

(*a*) Diogenem Laërtium, quamvis de tempore, quo vixerit, non liqueat = *Galieni forte temporibus floruiſſe, Plotino, Longino, aliiſque* σύγχρονοι = conjicit Bruckerus *T. II. H. Cr. p* 624. De illius libro pronunciat Ionſius *de S. H. P. L. III. C.* 12. *p.* 271. = *unicum fere columen philoſophicae hiſtoriae, ſine quo rudera tantum supereſſent, atque caementa difficulter in pleriſque conjugenda* =.

(*b*) Foucher *Tom. XXIX de l' Ac. R. des Inſcr. VII. Mém Syſtéme de Pythagore* &c. Le Batteux *T. XXIX. de l' Ac. R. des Inſcr. V. Mém. ſur le Principe actif* &c. Gerdil *Introd. allo St. d. R.* Agatop. *l. c. &c.*

Ea vero, quae opponunt Thaletis inimici, ut Atheus fuiſſe videatur, facile ſolvuntur. Primo quidem ait Baylius, non quid Thales in foro, ſed quid in ſchola dixerit, eſse conſiderandum. Illum enim, ut ſibi, ac reipublicae conſuleret, loquentem ad populum de Providentia divina magnifica quaedam, atque praeclara afferre conſueviſſe. At cum diſcipulis, & amicis intimos panderet animi ſenſus, Divinitatem omnem e medio ſuſtuliſſe; ſolam vero aquam dixiſſe initium rerum.

Ad haec facile patet ex iis, quae diximus, apta reſponſio. Etenim ea Baylius dicit, primo propter ea veterum teſtimonia, quae primum, ut ipſi videtur, ab Anaxagora ſupremam Mentem fuiſſe agnitam dicunt: deinde, quod non ſatis percipere poſſit, aut potius velit, potuiſſe, qui Deum etiam mundi crederet auctorem, ſolam aquam ponere initium rerum.

Quamvis enim hic non modo principium, ut ajunt, *paſſivum*, ſed & *activum*, aut efficiens explicandum ſuſceperit, potuit tamen aliquando de principio tantummodo loqui, quod proximum arbitrabatur, aliquando de ultimo ſolum verba facere, aliquando denique utrumque conjungere. Primum illud enimvero Thales praeſtitit, cum aquam eſſe ſtatuit initium rerum, alterum cum Dei opus eſſe mundum praedicavit, tertium vero, cum *Deum eſſe mentem* dixit, *quae ex aqua cuncta fingeret*, aut *divinam vim elementare humidum pervadere, ipſumque movere*.

Haec omnium optima ratio eſt Thaletis conciliandi ſententias, ſi forte inter ſe pugnare videantur. Nam rationem illam a Baylio initam ecquis probabit unquam, lector non iniquus tam docto, tamque nobili Graecae ſapientiae patri? Etenim ſi homines aliud ſentire dicamus, aliud vero loqui, ubi nihil eſt cauſae, cur illos mendacii arguamus, quid ſapientes conſulimus, quid libros eorum legimus, quid ſententias, quae contrariae prima fronte videantur, conciliare nitimur?

Cae-

Caeterum Baylius hoc loco potius, quam Thales idem, ſecum conciliandus eſt. Nam ſi Thales, ut ille vult, non ex animi ſententia divinam extollebat Poteſtatem, atque Virtutem, verum ut apud populum tueretur praeclaram ſapientiae famam, neceſſario ſequitur ipſum Thaletis aetate populum divinam Providentiam fuiſſe veneratum; imo & ab eadem Providentia rerum origines repetere conſueviſſe; nam etiam hoc Thales, ut vidimus, praedicabat. Quî ergo ſibi jam conſtabit Baylius, cum volet Anaxagoram primum inter Graecos de Mente divina, quae cuncta ſapientiſſime digeſſerit, aliquid habuiſſe, quod litteris conſignaret?

Tenes etiam ex iis, quae diximus, quid erudito cuidam viro reſpondeas (*a*), qui ut Thaletem inter Atheos numerandum eſſe convinceret, non modo, quod ajunt, lapidem omnem movere, ſed & faeculorum ordinem invertere conatus eſt. Cum enim Clemens etiam Alexandrinus ea verba, Πρεσβύτατον τῶν ὄντων Θεός, a Thalete pronunciata tradat, totum id ex Diogenis Laërtii libro deſcripſiſſe Clementem, hoc eſt auctorem ipſo Diogene multo antiquiorem, non levi confidentia ſcribit. (*b*)

Reliqua ſunt ejuſdem ponderis, quae Thaleti exprobrat. Quis enim non videat, quam parum faciat ad rem Tertulliani auctoritas, quam etiam contra Thaletem Deslandius (*c*) producit?

Tertullianus enim in Apologetico narrat, quod alii de Simonide dicunt, Thaletem interrogatum a Craeſo, quidnam

(*a*) *Recherches ſur le Philoſophe Thalés par M. l' Ab. de Cannaye II. Partie &c. Tom. X. de l' Acad. R. des Inſcr.*

(*b*) = *Le premier apophthègme, nit, tiré de Diogene Laërce* πρεσβύτατον τῶν ὄντων Θεός, *copié a la verité par Clement d' Alexandrie, mais devenu par lui-même incapable de faire une autorité diſtinguée de la premiére* =

(*c*) *Hiſt. de la Philoſoph. L. III. Cap. II.* §. 3. Recte de hoc auctore pronunciat ſapientiſſimus Agatopiſtus *Volum. II. p.* 161., quae verbis ipſius afferimus = *Il valoroſo Deslandes, che molto eſtima le affermazioni, e niente le prove* = Vide etiam, quae ſcribit de ipſo Deslandio Cl. Formeyus *in Prooem. Hiſtoriae ſuae philoſoph.*

nam eſſe de Natura divina ſentiendum arbitraretur, diu, multumque cogitaſſe, ac deinde non aliud reſponſum dediſſe, niſi nihil habere ſe, quod reſponderet. Nihil hic adverſarii curant, ut, quod volunt, aliquo argumento conficiant. Rem enim confectam putant. Thaletem Atheum a Tertulliano, dum talia ſcriberet, fuiſſe creditum, jam explorate perceptum, & cognitum illis eſt.

Atqui poteſt ea tota narratio, ut ſit in Simonide, ita explicari, ut tantummodo Thales aptam Naturae divinae, quae ſuperat quemvis intellectum noſtrum, definitionem deſperare viſus fuerit; eo vel magis quod Thales, ſi nullos eſſe Deos exiſtimaſſet, e veſtigio ſe nihil horum credere, vel, ſi forte mentem ſuam celare voluiſſe dicas, nihil habere ſe, quod afferret, percontanti Craeſo reſpondere potuiſſet.

Magis favere videntur adverſariorum ſententiae Auguſtini verba, quae recitat Scriptor eruditus, quem impugnamus = *Ita autem* (Thales) *putavit, aquam eſſe rerum principium . . . . . nihil autem huic operi, quod mundo conſiderato tam admirabile aſpicimus, ex divina mente praepoſuit* =.

At primo quidem adverſarius temere jactat, quod ne una quidem ratiuncula probare nititur, eodem modo Auguſtinum, eodem Platonem, eodem Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Euſebium, Themiſtium, Proclum, Simplicium, de Thalete fuiſſe locutos. Deinde aut Auguſtinus ita eſt explicandus, ut *nihil* Thaletem admirabili huic operi, quod mundum vocamus, *ex divina mente* veluti principium proximum, ac diſtincta quadam agnitum, claraque ratione, praepoſuiſſe velit, aut hac quidem in controverſia facile deſerendus.

Iam Thalete abſoluto Anaximander etiam, & Anaximenes, duo Ionicae Scholae poſt Thaletem principes, atque magiſtri abſolvendi ſunt. Omnes enim iſti fuerunt in eadem cauſa. Neque enim, quod pertinet ad Naturam divinam, illi dicuntur Magiſtri ſui ſententias deſeruiſſe. Imo

eos

eos conſenſiſſe Magiſtro, tota teſtatur antiquitas, niſi quod initium rerum alter infinitatem naturae alter aërem vocare maluit.

De Anaximandro quidem Bruckerus opinatur (*a*) = *eum Thaletis principium unum ex mente divina, & materia conſtans, ſive Chaos Deo gravidum non rejeciſſe, ſed populari notione abjecta magis philoſophice explicaviſſe, & infinitam eſſe naturam dixiſſe, quam poſtea ejus diſcipulus Anaximenes de aëre interpretatus eſt, ideſt aethereae naturae eſſe dixit; Anaxagoras vero mentem, quam triumviri hi materiae incluſerunt, ſeparavit, & formationi materiae adjecit* =.

Rejecit hanc Bruckeri opinionem Agatopiſtus, qui multo ſaniores, ut non ſemel advertimus, antiquis Philoſophis de Natura divina tribuere ſententias amat. Ipſe autem opinatur, ab Anaximandro Deum, Materiae principium, ipſamque materiam, rerum omnium, ut ipſe ait, *mechanicum principium*, cui nullos definiverit limites, ſimul quodammodo conſiderari conſueviſſe, atque hinc *Totum* quoddam, quod *Infinitum*, aut *Infinitatem naturae* vocaverit, fuiſſe conflatum. Id Agatopiſtus (*b*) ex eo maximè probat, quod Ariſtoteles teſtatur Anaximandrum, Infinitum illud habuiſſe = *Deum Immortalem, qui omnia continet, ac moderatur*. =

Sed, ut fatear ingenue, Ariſtoteles eo loco illa, vel potius illis quaedam ſimilia, dicit, quo de Infinito agit, non quidem virtutis, aut perfectionis, verum *quod circa magnitudines, & motum, & tempus* conſideratur (*c*). Hinc Platonis etiam, & Anaxagorae ſententias de infinito explicans,

(*a*) *Tom. I. H. Cr. p. m.* 483.

(*b*) *Cap. XXIV. v. II. p. m.* 177. = *Egli* (*Ariſtotele*) *mette la conteſa fuori d'ambiguità, poichè riſolutamente racconta, che Anaſſimandro quel ſuo Infinito nominò Iddio immortale, che tutto contiene, e governa* =.

(*c*) *Phyſ. L. III. C. m. I.* ſed in aliis quibuſdam editionibus alio modo capita numerantur. Quin & in Graeco ea verba ſunt. *L. III. C.* 4. ubi ſic = διὸ, καθάπερ λέγομεν, οὐ ταύτης ἄρχη, ἀλλ' αὕτη τῶν ἄλλων εἶναι δοκεῖ, καὶ περιέχειν ἅπαντα, καὶ πάντα κυβερνᾶν, ὥς φάσιν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον Νοῦν, ἢ Φιλίαν καὶ τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον· ἀθάνατον γὰρ, καὶ ἀνώλεθρον ὥσπερ φησὶν ὁ Ἀναξίμανδρος, καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων. =

cans, de Mente divina, quam uterque agnovit, omnino ſilet. Ad extremum capitis de infinito ait = *Quare, ſicuti dicimus, non hujus principium, ſed hoc aliorum videtur eſſe, & continere omnia, & omnia gubernare, ut affirmant quicumque non faciunt praeter Infinitum alias cauſas, ut Intellectum, aut amicitiam, & hoc eſſe divinum: immortale enim eſt, perireque non poteſt, ut affirmant Anaximander, & plurimi Phyſiologorum* =.

Si Ariſtotelis haec omnia verba doctrinas exprimunt Anaximandri, actum eſt de ſententia Cl. Agatopiſti. Nam ſtatuendum erit, Anaximandrum, praeter Infinitum illud ſuum, noluiſſe alias cauſas, proximas, opinor, omnium rerum, vel, ut Scholaſtici dicunt, *immediatas*, ac ne ipſam quidem Mentem, vel Intelligentiam agnoſcere. Id autem inepte, atque inſulſe notaret Ariſtoteles, ſi Mileſius Philoſophus in ipſo Infinito incluſiſſet quodammodo Mentem, quam rerum omnium cauſam potiſſimam eſſe voluiſſet.

Cur igitur, inquiet quiſpiam, divinum dixit Infinitum? Dixit enimvero vel quia magnam cum Deo ſimilitudinem gerere videbatur, cum omnia produceret, atque reciperet; vel alias ob cauſas, quae facile afferri poſſent, niſi ſupervacaneum eſſet in his afferendis longius immorari.

Itaque fateor equidem, non ipſum ullo modo Deum Infiniti nomine Anaximandrum intelligi voluiſſe; ſed tantummodo principium omnium rerum, quod & *materiale* ſimul, ut dici mos eſt, & efficiens habuerit: *materiale* quidem, quod ex eo res univerſae producerentur; cum rerum creationem ex nihilo fuiſſe factam Anaximander ne ſomniaverit quidem: efficiens, autem, quod ipſa materia principium illud conſtituens, ordinatiſſimo agitata motu ſingulas ipſa per ſe gigneret, atque produceret tantas res, atque tam utiles, ex quibus mira conſurgit orbis univerſi pulchritudo, atque varietas.

Profecto hanc noſtram explicationem Plutarchi confirmat auctoritas, quam in hiſtoria philoſophiae negligere, niſi

Digitized by Google

valde probabilis ratio cogat, nullo modo debemus. Ait autem Plutarchus (*a*) = *Anaximander .... principium rerum infinito adſcribit, ex quo omnia fiant, & in quod omnia diſſolvantur; ideoque etiam naſci infinitos mundos, & interitu ſuo ad id redigi, ex quo erant orti, tradit; additque infinitum propterea eſſe, ne aliquando ortus rerum deficiant, atque ſubſiſtant. Peccat autem in eo quod non exprimit, quid ſit infinitum, aër ne, an aqua, an terra, aut alia quaedam corpora. In hoc etiam, quod materia exponenda effectricem cauſam abolet. Infinitum enim aliud nihil eſt, quam materia, quae niſi efficiens cauſa accedat, rem creare nullam poteſt* =.

Haec autem poſtrema verba maximum errorem arguunt ipſius Anaximandri, quod ſcilicet in *materialibus*, quas diximus, cauſis rerum explicandis occupatus, parum de cauſa, quam Plutarchus vocat efficientem, ſollicitus eſſe videretur. Neque enim id ea ratione debet, aut poteſt intelligi, ut nobiliſſimus Thaletis diſcipulus, idemque acutiſſimus, nullam cauſam efficientem eſſe voluerit. Nam quod aliquid ex materia ſine cauſa efficiente producatur, fugere intelligentiae noſtrae vim, & notionem videtur. Maxima vero in culpa eſt Anaximander, quod primam efficientem cauſam fere neglexerit, cum tamen Magiſtri ſententiis inſiſtens, ut diximus, aliqua ratione cognoverit.

Nam quod cognoverit, niſi fallor, etiam ex eo ſit manifeſtum, quod Tatianus auctor egregius, & in veterum Philoſophorum ſcriptis exercitatus (*b*) teſtetur = *Anaximandrum poſuiſſe*, ut vertit Bruckerus, *principium aliquod humido* (τὸ ὑγρὸν) *vetuſtius, nempe aeternam motionem, eaque alia oriri, alia interire* =.

Hinc etiam diſces quid cenſendum ſit de Diis Anaximandri, de quibus Cicero loquitur in primo de Natura Deorum, ubi dicit eum agnoviſſe = *Deos orientes, occidenteſque, eoſque*

(*a*) *De Plac. Philoſoph. L. I. C. III.*

(*b*) *De Irriſ. Phil. Gentil* §. 10. Si Tatianus non eſt libelli auctor, ut ego puto, alius certe eſt antiquus, atque perdoctus Auctor.

Digitized by Google

eoſque innumerabiles eſſe mundos. = Illi videlicet Dii erant, ut ita dicam, minorum gentium, & a ſummo illo motore, quem principio, & fine carere cum Thalete fatebatur Anaximander, quacumque demum ratione geniti.

Sic etiam Anaximenes de Diis neſcio quibus a Supremo pendentibus loquebatur, cum, ut ait Auguſtinus (*a*), = *omnes rerum cauſas infinito aëri dedit, nec Deos negavit, aut tacuit, non tamen ab ipſis aërem factum, ſed ipſos ex aëre ortos credidit* =.

Et id quidem adeo abſurdum, atque ridiculum viſum eſt Buddeo (*b*), ut nullo modo philoſophum ſervare Divinitatis notionem potuiſſe crediderit, qui ſuos Deos prorſus aëreos eſſe fateretur. At meminiſſe debuerat, ut caetera ſileam, Anaximenem, non ſecus, atque magiſtrum ſuum Anaximandrum, tantopere Thaletis doctrina fuiſſe delectatum, ut in re quidem maximi momenti ab ea diſcedere voluiſſe, nullo modo credibile videri poſſit, donec ſaltem idoneis rationibus oſtendatur.

Ipſe profecto ad Pythagoram ſcribens in epiſtola, quam Laërtius exhibet, ita de Thalete loquitur = *Nos qui litterarum amore tenemur, tanti Viri jugiter meminimus, atque in illius maxime doctrina acquieſcimus, initiumque ſermonis noſtri Thaletem ſemper inſtituimus* = Itaque cum Thales de divina Providentia tam egregias protulerit, celebreſque ſententias, fuiſſe illas ab Anaximene improbatas, non poſſumus niſi temere ſuſpicari.

Caeterum & ipſe arguendus eſt, atque a Plutarcho graviter arguitur, quod parum digne de cauſa rerum efficiente locutus fuerit (*c*). Aërem enim, eumdemque infinitum vocans, quod Thales aquam, ad res naturales univerſas explicandas ipſum adhibere conſueverat.

Et Cicero quidem de aëre Anaximenis ea ſcripſit, quae multum in hac noſtra controverſia obſcuritatis afferre poſ-

 ſent.

(*a*) *De Civ. Dei*.
(*b*) *Trait. de l' Ath. C. I.*
(*c*) *De Plac. Phil. L. I. C. 3.*

ſent. Habet enim (*a*) = *Anaximenes Deum ſtatuit aëra, eumque gigni, & eſſe infinitum* =.

Cur aërem Anaximenes infinitum feciſſe dicatur, facile percipitur. Cur eumdem gigni pronunciaverit, apta quadam intelligi ratione poteſt; neque enim neceſſe eſt, ut cum erudito illo Scriptore, Thaleti infenſo, quem oppugnavimus, Ciceronem exiſtimemus, quo numeroſiorem efficeret ambitum orationis, verbum addidiſſe, quod eo quidem loco nihil fere ſignificet. Poteſt enim ſenſus eſſe, quod ſupremus Deus aërem gigneret, quatenus aëris formam infinitae materiae, ante alias omnes, indiderit; qua quidem acquiſita forma, tum demum materies facili negotio alias omnes ipſa per ſe potuerit acquirere. Hujuſmodi enim deliramenta Jonicae doctrinae fuiſſe videntur vel maxime propria. Dubium igitur eſſe tantummodo poteſt, cur aërem cenſuiſſe Deum Anaximenes a Cicerone dicatur, cum Scriptores alii, praecipue Plutarchus, principium, ut vocant *materiale* ipſum aërem fuiſſe ab Anaximene creditum, perſpicue fateantur.

Equidem vereor, ut quod dicam pleriſque ſim probaturus: non dubitabo tamen, quod ſentio, palam dicere. Videtur mihi Cicero, eo quidem loco, non tam Anaximenis ipſa verba ſpectaviſſe, quam per argumenta, quid ille doceret, colligere voluiſſe. Audiebat enim Anaximenem & aërem feciſſe principium, & Deos ipſos, a populo maxime cultos, aëre progenitos exiſtimaſſe. Hinc pronum erat conjicere, aërem ipſum ab Anaximene fuiſſe Divinitate donatum. Haec profecto conjectura non leviter illi probabilis videri poterit, qui & hac ratione tantummodo Ciceronem cum Scriptoribus aliis conciliari perſpexerit, & non raro Scriptores quoſdam antiquos doctrinas aliorum ex conſecutionibus aeſtimaviſſe meminerit.

Caeterum quaecumque tandem Sententia teneatur, nihil eſt, cur, Jonicos philoſophos, qui ſemper Divinitatem aliquam

(*a*) Cicero *de Natura Deorum L. II.*

quam agnoſcere viſi ſunt, fuiſſe mentitos, & cum impuro Atheorum grege tum a Baylio, tum a Baylii fautoribus, non injuria miſceri, concedamus. Sequitur, ut eoſdem gravius etiam fallere, vel falli demonſtremus, cum Atheorum incredibilem vim in celeberrimis Graeciae Lycaeis extitiſſe pronunciant.

CAPUT VII.

Numerum Atheorum valde exiguum ex veteribus Librorum Auctoribus Graecis, atque Latinis colligi, demonſtratur.

NEminem fuiſſe inter Barbaros Atheum & diſerte affirmat, & ſolide probat Ælianus (*a*), cujus verba digniſſima ſunt, quae noſtris Atheis innoteſcant, ac fideli memoria cuſtodiantur. = *Quis enim*, inquit ille, *barbarorum ſapientiam non jure laudaverit? etenim inter eos nemo in* ἀθεότητα *prolapſus eſt, neque utrum Dii eſſent, nobiſque providerent, an haec omnia fuerint ad arbitrium conficta dubitavit. Nemo, inquam, aut Indus, aut Celta, aut Ægyptius tam impias cogitationes animo volvit.... omnes, quos attigi oratione, barbari, & eſſe Deos, & noſtrarum rerum gerere curam, & futura poſſe praedicere conſentiunt* =.

Utinam id de Graecis etiam, atque Romanis (*b*), qui populorum ſapientiſſimi haberi volebant, praedicare poſſemus! Sed eorum aliqui rem praeclaram, & homine litteris ex-

(*a*) Ælian. *Var. hiſtor. l.* 2. *c.* 31. = Καὶ τίς οὐκ ἂν ἐπήνεσε τὴν τῶν Βαρβάρων σοφίαν; εἴγε μηδεὶς αὐτῶν εἰς ἀθεότητα ἐξέπεσε, μηδὲ ἀμφιβάλλουσι περὶ Θεῶν, ἆρα, ἢ οὐκ εἰσιν, καὶ ἆρά γε ἡμῶν φροντίζουσι, ἢ οὔ. Οὐδεὶς γοῦν ἔννοιαν ἔλαβε τοιαύτην..... οὔτε Ἰνδὸς, οὔτε Κελτὸς, οὔτε Αἰγύπτιος. Λέγουσι δὲ τοι βαρβάροι οἱ προειρημένοι καὶ εἶναι Θεοὺς, καὶ προνοεῖν ἡμῶν, καὶ προσημαίνειν τὰ μέλλοντα =.

(*b*) Obiter hic aliqua de Romanis attingere ab argumento nobis propoſito non ſum arbitratus alienum; praeſertim cum Spinoſiſtae, nec non Graeculi, quos carpere ſolemus, etiam apud antiquos Romanos, Graecorum imitatores, Atheiſmo praeſidium quaerant.

Digitized by Google

exculto digniſſimam eſſe ducebant, ea in dubium revocare, quae a teneris unguiculis una cum vulgo didicerant. Itaque cum ſapientiae ſtudio, quod Graeci φιλοσοφίαν vocarunt, ſeſe teneri dicerent, eo ſtultitiae devenerunt, ut ſapientiae totius fontem, auctoremque Deum agnoſcere nollent. Illud enim ſtudium, honeſto quovis homine dignum, ea tamen ancipiti conditione tenetur, ut nihil, ſi rationis ductum ſequaris, utilius, nihil, ſi novarum opinionum amore abreptus eam utcumque deferas, periculoſius inveniri poſſit.

At ii, de quibus loquimur, non modo ea carent auctoritate, quae a ſingulari quadam vel innocentia morum, vel doctrinae gloria proficiſcitur, de qua re ſuo loco diximus, ſed etiam tam exiguo ſunt numero, ut nulla prorſus eorum habenda ſit ratio, ſi cum adverſantibus comparentur. Etenim, ſi veteres conſulamus auctores, praeſertim qui non eruditione tantum, at judicandi etiam ſollertia praeſtiterint, qui caeterorum errores propriis, ut ita dicam, ſuiſque nominibus appellare, quam ad invidiam conflandam alienis notare, malint; omnino paucos homines ab iis produci videbimus in Atheorum numerum communi quadam conſenſione relatos.

Ac primo quidem ſummae impietatis a veteribus neminem, qui fuerit celebris cujuſquam Sectae Princeps, vel Auctor, accuſari videbimus; ac multo minus integram Sectam Philoſophorum Atheis adjungi.

Megaricos quidem Euclidis diſcipulos Antoninus, & Maximus Tyrius (*a*) dictitaſſe narrant: *Curioſitatis eſſe Diis exoſae quaerere, an Deus exiſtat*. Hinc Heineccius (*b*) non fuiſſe ab Atheiſmo immunes habitos intulit. Verum aequus lector facile aſſentietur, ea verba ſenſus longe diverſos poſſe ſuſcipere. Potuerunt enim Philoſophi ſubtiles, ac perpugnaces in diſputando ea dicere, quod in ea quaeſtione *multa interdum*, ut ait Cicero, *occurrant, quae conturbent, ut Dii nulli eſſe videantur*, quae tamen, ubi concertationis ardor elanguit,

(*a*) *Serm.* 37.

(*b*) *Elem. Hiſt. Phil. p.* 44.

Digitized by Google

guit, ſapientes homines eſſe contemnenda perſpiciunt; vel potius, quod in ea quaeſtione verſanda, commentitios illos Deos eſſe prorſus eliminandos nullo negotio acuti homines intelligerent.

Quid autem ſentiendum ſit de Epicuro, quem Cicero tantopere vexat, ſatis, niſi fallor, alio loco vidimus. Potiori jure, quam Epicurum, ille Diagoram inter Atheos cenſet, poſteaque Theodorum (*a*). Ab hoc quidem impudentiſſimo Cynico eam Sectam fuiſſe conditam memoriae proditum eſt, quae ab eo Theodoriae nomen accepit. At cum neque Sectatorum copia, neque doctrina, neque dignitate floreret, brevi prorſus exaruit.

Eodem Ciceronis loco Protagoram Abderitem Cotta teſtatur, initio libri ſic poſuiſſe = *de Diis neque ut ſint, neque ut non ſint quidquam habeo dicere* =; quamobrem graviter in eo ab Athenienſibus adimadverſum. Ad extremum alii quidem ad eodem Cotta, ut Democritus, ut Prodicus Ceus, ut Evhemerus, quod Religionem funditus omnem ſuſtulerint, accuſantur. At quae dicit argumentando conjicit Cotta.

Democritum fere iiſdem rationibus, quas in Epicurum intorquet, ſcilicet Democriti diſcipulum, convincere conatur. Prodicum premit, quod res humano generi utiles in coelum translatas, & ab hominibus ipſis Divinitate donatas, docere nihil veritus fuerit. Evhemerum ſuſpectum habet, quod, cum ille incredibili quadam diligentia vetuſtatis monumenta ſcrutatus eſſet, fabulis, quae de Diis ferebantur, detrahere corticem, & eorum ortus loca, vitae, mortiſque genera varia, demum ipſa ſepulchra indicare, Sacerdotibus Ethnicis indigne ferentibus, minime dubitaverat.

Protuliſſet autem Cotta plures Philoſophos prorſus Atheos, ſi plures cognitos habuiſſet. Etenim videmus ipſum, ut eſt in proverbio, lapidem omnem movere, ac debiles omnino, incertaſque conjecturas ſequi, ut ad enervandam Velleji rationem, impii generis numerum augeat. Sed Cottam,

(*a*) *Cic. L. I. de Natura Deorum.*

tam, vel ipſum potius Ciceronem jam ſatis audivimus. Alios jam Scriptores antiquos adeamus.

Plutarchus quidem, cujus in hiſtoria philoſophiae, cum aliquid videlicet narrat, non autem ipſe judicat, nullo modo negligere auctoritatem debemus, in eo, quem de Placitis Philoſophorum conſcripſit libro, non plures, quam omnino quatuor nominat Atheos. Et eo quidem loco, quod valde notari velim, quid Philoſophi de Deo ſenſerint, exponendum ſibi ſuſcipit; ac primo quidem de iis ſermonem inſtituit, qui Deos eſſe negaverunt. Profert igitur Diagoram Melium, Theodorum Cyrenaeum, Evhemerum Tegeatem, ac demum Euripidem poëtam tragicum.

Quod attinet ad Evhemerum verſus etiam affert, quibus eum Callimachus Cyrenaeus in Jambis perſtringit

„ *Venite frequentes ante muros in fanum,*
„ *Ubi, qui vetuſtum, ex aere Tonantem formavit,*
„ *Senex loquax cum libris impiis friget.*

Et hi quidem verſus cauſam innuunt, aliis etiam ex monumentis cognitam, propter quam contemptor falſorum Numinum Evhemerus inter contemptores omnis Divinitatis habitus fuit; quae cauſa quanti ſit roboris aequo Lectoris judicio ſtatuendum relinquo (*a*).

Euripidi tragico poëte celeberrimo magnam Plutarchus facere videtur injuriam, dum inter Atheos leviſſima de cauſa recenſito nigrum praefigere Θητα non dubitavit. Ea eſt quod apud illum Siſyphus, Atheorum more, cognitionem Numinis Generi humano communem ad cujuſdam callidi Viri, qui mores hominum maxime rudes, ac barbaros expoliverit, utile mendacium, innocuamque fraudem ſine ulla tergi-

(*a*) Quamvis Theophilus Antiochenus Evhemerum vocet Ἀθεώτατον, illum tamen, non ſecus atque Protagoram, defendunt Auguſtinus, Lactantius, Minutius Felix, Arnobius, Clemens Alexandrinus. Vid. *Recherches ſur la vie &c. d' Evhémere par M. l' Ab. Seviu To. 8. de l' Ac. R. des Inſcr. p.* 107. *M.*

giverſatione retulerit. Jam huic impio poëtam, Areopagitici judicii, ne clarius loqueretur, timore deterritum, occulte patrocinari. Quis non facile videat, quod hic Plutarchus ſcripſit, Euripidi fortaſſe ſubiratior, omnino debili conjectura niti? Etenim in iis, quae Plutarchus profert, ſe probare Siſyphi ſenſus numquam poëta ſignificat. Decorum ſervat, dum impium impia loquentem inducit. Quod autem Plutarchus ad alia quaedam Euripidis loca ne leviter quidem indicata reſpexerit, is tantum fortaſſe dicet, qui Scriptorem eruditionis multo magis, quam ſollertiae laude praeſtantem, nihil in artem Dialecticam, vel in Criticam peccare potuiſſe arbitretur. Caeterum aliis in locis Euripides de ſupremo Numine tam pulchra cecinit, tamque praeclara, ut vix Chriſtianus homo vel ſentire verius, vel magnificentius loqui potuiſſet (*a*).

Illud igitur potius ex Plutarchi loco colligendum: hominem, qui ſingulari quadam, & incredibili memoria polleret, nullo modo principes Atheorum, ac praecipue Sectarum conditores eo capite fuiſſe praetermiſſurum, ſi multo plures, aut ſaltem multo nobiliores inter Atheos fuiſſe philoſophos, vel ex iis, quae ſtudioſe collegerat, monumentis antiquitatis accepiſſet, vel conſtans iis temporibus fama pervulgaſſet. Quod argumentum, ut vocant, *negativum*, at *ex poſitivo mixtum*, etſi conjecturae tantum loco ponimus, non poterunt adverſarii contemnere, donec melius aliquid, aut certius ipſi protulerint.

Alterum a Plutarcho locum hoc in capite ſibi ſuo quodam jure vindicat Ælianus, Plutarcho quidem aetate ſuppar, at Graeci nitore ſermonis, & elegantia doctrinae non inferior. Is cum nullum inter barbaros Atheum eſſe docuiſſet, quem locum initio capitis hujus attulimus, Graecos

(*a*) Apud alios Ethnicos Scriptores Euripides ea ſuſpicione non premitur. Imo a Sapientiſſimis Viris probatum novimus Oraculum, ut fertur, Apollinis, quod habet etiam Cicero, Σοφὸς Σοφοκλῆς, Σοφώτερος Εὐριπίδης, πάντων δὲ σοφώτατος Σωκράτης:

quoſdam Atheis adjungit. Sunt autem quos profert Evhemerus Meſſenius, Diogenes Phrygius, Hippon, Diagoras, Soſias, Epicurus. At cum ille Soſias, ab Æliano relatus, quis fuerit, a doctis hominibus definiri non poſſit, cenſet Iſaacus Caſaubonus, Hippiam eſſe legendum, aut Gorgiam. Nihil neceſſe eſt advertere hoc loco, paucos illos homines ab Æliano, potius quod ea fama percrebuiſſet, inter Atheos referri, quam quod rationes omnes, quibus illi vel accuſari, vel defendi poſſent, diligentius expendiſſet.

Paucos etiam Atheos eruditus auctor Sextus Empyricus nominatim appellat; ſcilicet uno quidem in loco (*a*) tres, Diagoram Miletenſem, Theodorum, & Critiam Athenienſem. At libro octavo contra Mathematicos (*b*) majorem aliquanto numerum facit. Quos autem nominat? Diagoram nempe Melium, Prodicum Ceum, Evhemerum, Critiam, Theodorum cognomento Atheum, Protagoram Abderitem, Epicurum; contra quem ſcilicet Pyrrhonianus Philoſophus infenſiſſimum ſemper animum geſſit; ut illum ſemel tantum, inter homines ultima notatos impietate, nomen Epicuri protuliſſe, mirari merito poſſis.

Illud etiam eſt advertendum; eo vel ingenio, vel potius voluntate Sextum fuiſſe, ut nihil aliud curaret magis, quam ut veritati, cum poſset, obduceret tenebras; quas poſtea partes Baylius, neſcio utrum perverſitate mentis, an ſcientiae copia majore ſibi excolendas ſuſcepit. Itaque illud quoque tentavit aliquando Sextus (*c*), hac etiam in re, Pyrrhonianorum more, ſibi non valde conſtans, ut plurimos omnino fuiſse perſuaderet, eadem, qua Critias, atque Diagoras, impietate laborantes. At cum id confidenter affirmatum, aliqua ratione probare debuiſset, non alios Atheos audet nominatim appellare, praeter Diagoram, & Critiam, quam Theodorum, Evhemerum, & Prodicum. Recte igitur ad eum Sexti locum Joannes Albertus Fabricius ſcripſit

(*a*) *Pirrhon. Hypot. l.* 3.
(*b*) *L.* 8. *contr. Math. p.* 317.
(*c*) *Adverſ. Phyſicos n.* 51.

Digitized by Google

pſit (*a*), id a Sexto fuiſſe = *Hyperbolice dictum*; *nam velut monſtra ex tota antiquitate pauci fuerunt*, *& pauciſſimi commemorantur Athei Dogmatici*. = Cum autem Joannem Albertum Fabricium nomino, eum nempe Virum nomino, qui omnia antiquitatis monumenta ſtudioſe collegerit, omnia, quae collegerit, memoria cuſtodiverit, nec tamen eruditione magis, quam acerrimo judicio, doctiſſimis ex omni temporum memoria Criticis aequalem ſeſe praeſtiterit, & omnino parem.

Jam quos citati Scriptores appellavere, vel pauciores alios, veluti Nicanorem, Bionem Boryſtheniten, Carneadem, atque Clitomachum apud Graecos, Caſſium, Atticum, Plinium antiquiorem, potius quam juniorem ab Encyclopaedico Yvone (*b*) notatum, apud Romanos, in Atheorum collegium relatos, ſi antiqua monumenta verſes, non difficile invenies. Conſulere autem potes, qui de his agunt, praeter Ciceronem, atque Plutarchum, quos fuſe retulimus, Laërtium quoque, Maximum Tirium, Theophilum Antiochenum, Clementem Alexandrinum, & Auguſtinum (*c*). Sed ex iis etiam aliqui fatentur, non ſatis apertum eſſe, an omnes, qui cenſentur, omne revera Numen eſſe negaverint.

Clemens Alexandrinus, Vir & a morum probitate, & a doctrina valde commendatus, Diagoram, Theodorum, & Evhemerum ex eo numero eximit; cui quidem Clementi Muretus a Baylio relatus, atque alii ſubſcribendum putant. Alibi Clemens idem Protagoram excuſat, & Nicanorem Cyprium, & Hypponem Melium; & alios; qui omnes etiam a Scriptoribus aliis defenduntur. Quod vero Clemens in Proteptico (*d*) *Idolorum* cultores univerſos cum Atheis confundere videatur, ad id pertinet, quod alio loco diximus, Athei nomen non raro latius accipi, quam ejuſdem germana ſignificatio ferat. Quare non ſecum ipſe Clemens pugnat, cum aliis in locis Deum ab hominibus univerſis cognoſci

(*a*) *Annotat. ad eum Sexti locum.*
(*b*) *Dict. Encyclop. Art. Athées.*
(*c*) *De Civit. Dei.*
(*d*) *P. m.* 11.

praedicat. Caeterum Libro Septimo Stromatum ejuſdem vocis eam affert explicationem, quam nos attulimus. Etenim Atheum vult eſſe, qui nullum putat exiſtere Deum, ſeu, quod eodem redit, qui nullo ſenſu Divinitatis imbutus eſt.

Quocumque tamen modo ea ſeſe res habeat, ſatis ex iis, quae attulimus, niſi fallor, tibi conſtare poteſt, erudite Lector, quam exiguus eorum, qui vulgo apud veteres ἀθεότητος arguerentur, numerus fuerit. Ut paucis omnia complectar, audacter affirmo, non poſſe viginti ex ultima antiquitatis memoria proferri homines, quos probati Scriptores, cum ad nativam ſignificationem Athei nomen revocant, cum non convicium inferre, ſed fideliter aliorum ſenſus referre inſtituunt, communi quodam conſenſu, ac voce veluti una, Deum nullum agnoviſſe teſtentur. Quis ergo putet veteres Atheos, quales Critiam, Diagoram, atque Theodorum fuiſſe, facile concedo (*a*), poſſe numero ſuo quidquam officere, quominus univerſum ab ea impietate hominum genus abhorruiſſe cenſeatur?

Scio quid hoc loco poſſit opponi: videlicet, Scriptores aliquos valde conqueri, quod ex omni temporum memoria perditi quidam homines extiterint, qui vel Deos, vel Deorum Providentiam inter aniles fabulas numerare non erubuerint. Id enim, ut aliquis nominetur, Libro X. de Legibus graviſſimus auctor Plato tam diſertis verbis affirmat, ut ad alios ea ſenſus detorqueri nulla ratione poſſint. Itaque plures Atheos fuiſſe, quorum nomina prorſus oblivioni mandata fuerint, libentiſſime fateor. Sed eos omnino paucos, ac fere nullos, quavis aetate, fuiſſe, ſi cum reliquis vel ex eadem civitate conferantur, id enimvero ex antiquorum Scriptorum colligi auctoritate contendo.

Quid enim eſt, quod tam paucos univerſi protulerint quam paucos proferre vidimus, ſi tam multos, quam adver-

(*a*) Ratio mihi eſt, non modo quod antiqui Scriptores maximae auctoritatis Atheos fuiſſe dicant, ſed etiam quod ipſorum ſententiae, quas legimus in veterum libris, eo tendere ex eorumdem voluntate videantur, ut Divinitatem ipſam funditus tollant.

verſarii noſtri mentiuntur, cognitos habuiſſent? Quid, inquam, eſt, quod jam diximus, ſed dicendum eſt ſaepius, quid eſt, quod homines nullius plerumque nominis ea nota ſugillent, ſi Thaletem, ſi Pythagoram, Empdeoclem, Ocellum, Epimenidem, ſi Xenophanem, ſi Parmenidem, ſi Platonem, ſi Ariſtotelem, Theophraſtum, Stratonem, ſi Zenonem, Cleanthem, Chryſippum, ſi Arceſilam, Ariſtonem, Philonem, Antiochum, aut Ciceronem, Varronem, Virgilium, Horatium, Livium, aut Senecam, aut Epitectum, aut Antoninum, aut Galenum, aut Hippocratem, aut alia quaedam nomina tum ingenii praeſtantia, tum litterarum gloria celeberrima, quod quidam audent e noſtris, Atheis potuiſſent adnumerare?

Quod ſi metu legum ad eam impietatem profitendam ſegniores eſſe redditos Atheos adverſarii cauſentur, & hinc omnino paucos fuiſſe, quorum nomina cognita ſatis ab antiquis auctoribus haberentur; id equidem ex magna parte accipio. Sed primo quidem plurima ſemper ingenia fuerunt, Graecos inter, atque Romanos, ita froeni cujuslibet impatientia, ut nullo metu magiſtratuum, aut legum in officio contineri poſſent. Alii fuerunt, apud quos erat ſumma Reipublicae procuratio; ut potius caeteros metu legum intentato coërcere poſſent, quam a caeteris ipſi coërceri. Quid ex illis tam pauci Diagoram, quid ex his nulli fere Critiam imitari ſunt auſi, ut ſatis moleſtum impiis jugum Divinitatis excuterent? Deinde illud quaero: cur Athei tantopere latere ſtuduerint, niſi quia ſe tam paucos eſſe cognoſcerent, ut, ſi quidem in publicum prodire vellent, nullo modo vel ſuam dignitatem poſſent, vel ſectae auctoritatem tueri? Et id quidem in ipſa Graecia; quae fere ſingulis aetatibus, velut Africa monſtris, ita illa Sectarum quamvis abſurdarum portentis, depravatiſque opinionibus non minus, quam optimis artibus abundavit (*a*).

Prae-

(*a*) Quam bene antiqua illa Graecia verbis iiſdem compellari potuiſſet, quibus Angliam ſalutat Auctor, qui ſuas epiſtolas liberaliſſimis jocis,

Praeterea ſi propriis e latebris Athei peſtifera capita exerere non audebant, qua ratione tam multos fuiſſe, quam volunt, adverſarii deprehendent? Nam quod non paucos fuiſſe, Scriptores interdum aliqui conquerantur, quod ex omnibus Graeciae, vel Italiae finibus exterminatos velint, quod in eos caeteris arma ſuppeditent, aut quaſi contra peſtes pharmaca parent, id etiam in ea ſententia, quam tuemur, optima ratione conſtat. Si tibi per aliquam Italiae provinciam iter aggreſſo fide dignus homo narret, in qualibet fere ſilva duos, aut tres latrones deliteſcere, qui facile tibi poſſint occurrere, nonne tibi metues, nonne arma comparabis, nonne magiſtratuum fidem, & auxilium, ſi poſſis, enixis precibus implorabis? Pluribus profecto, clamabis, provinciam illam latronibus eſſe refertam, ac multo pluribus, ſine dubio, quam ut ferendi eſſe videantur. Num tamen idcirco regionis illius incolas ea calumnia premes, ut magnum omnino numerum a latronibus conflari dicas, ſi cum tot honeſtis viris, qui a caedibus, & ab injuriis abhorrent, quiſquam conferre velit? Imo, ſi aequitatis, & rationis es compos, omnino paucos tunc eſſe fateberis, tam immanibus ſceleribus aſſuetos, neque ex iis gentem univerſam aeſtimari poſſe. Porro quod tu de gente illa merito diceres, id ego de Graecis Civitatibus, aut etiam Italis uſurpo, in quibus Atheos quovis latronum genere pejores, ac pernicioſiores latitaſſe, Veteres dolent. Multo magis id locum habere volo, ſi jam Divinitatis hoſtes non modo cum Graecis, aut Romanis, ſed cum toto humano genere comparentur.

CA-

cis, ac ſuaviſſima quadam aſpergit urbanitate, cum ſumma optimarum artium cognitione conjuncta. = *Addio*, inquit, *Inghilterra mia bella: Addio, Sede di Virtù: Addio Sentina di Vizio* = & caetera, quae magno lepore proſequitur. Is eſt Joſeph Baretti *Lettere Famigliari &c. Tom. I. Letter. I. p.* 13.

CAPUT VIII.

Temeritas recentiorum plurimos Graeciae Philoſophos Atheis adſcribentium magis perſpicua ratione convincitur; cujus exemplum in Xenophane Colophonio, ejuſque diſcipulis Eleatenſibus ponitur.

QUamquam, ut graviſſimus ille ſcripſit Romanae facundiae Pater, nihil temeritate fortius inveniri poteſt; quamquam Graeculorum quorumdam nihil fere contundere ſolet audaciam: ſed ea tamen eſt veterum Scriptorum auctoritas de philoſophorum placitis doctiſſime differentium; ut facile poſſe magnorum hominum accuſatores aliquando compeſcere videatur. Sed quia nimis indociles quidam adverſarii, tardique ſunt, magis adhuc mihi curandum arbitror, ut ejuſdem auctoritatis vim, atque pondus omnino ſentiant. Itaque argumentum illis affero, quod ne tenui quidem ratione, dummodo ne improbabili, ſoluturi ſint: quod ut cognoſcant, non equidem, ut ille, de quo Statius in Synephebis, popularium adoleſcentium, ſed Criticorum omnium, atque Philoſophorum

„ *Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, atque imploro fidem.*

Veteres illi Scriptores & facilius, & melius, quam nos, aequalium ſuorum ſententias aſſequi potuerunt. Quiſnam iſthuc negat? Aſt hinc, ſi quid video, conſequens eſſe debet, ut ſi qua forte ad aetatem uſque noſtram ab antiquis philoſophis pronunciata pervenerint, non alia ratione debeant, quam veteribus iiſdem probata ſcriptoribus, etiam a recentioribus explicari. Id maxime locum habere debet, ubi nos etiam videmus, eaſdem ſententias, quamvis in deteriorem partem trahi non abſurde poſſint, in meliorem etiam, atque ſaniorem non invitas omnino duci. Tunc, inquam, non modo

do

do humanitas flagitat, ſed ipſa ratio praecipit, ut ſi in bonam partem acceptae ſunt ab antiquis, accipiantur etiam a nobis. Nam cum, ut ita dicam, ſint ipſae verſatiles, quo flecti debeant, non ex voluntatis arbitrio, non ex amore novitatis, ac multo minus ex veritatis odio, ſed ex rationibus toto coelo diverſis determinandum eſt. Porro quaenam ratio major, quam veterum auctoritas, de qua loquimur? Ecquid probabile magis, aut veriſimile, ecquid potius in hoc genere controverſiarum magis certum, & evidens afferri poteſt, quam veterum philoſophorum ambiguas voces, ambiguaſque ſententias non eſſe a nobis aliter intelligendas, quam a veteribus auctoribus intellectae ſint? Etenim non modo illi Auctores eaſdem conſiderabant ſententias, atque librabant, quae conſiderari etiam a nobis, atque librari poſſunt, ſed plurima inſuper habebant, quae nobis diuturnior aetas invidit, praeſidia, quibus ipſos rimari doctorum hominum ſenſus, & quid ſibi quiſque vellet non ex verbis tantum aliquibus, ſeparatim a reliquis examinatis, ſed ex univerſa doctrina, tum verbis innumeris, tum rationibus, tum ſententiis inter ſe comparatis, aliquando dijudicare poſſent, atque ſtatuere.

Jam ſi haec omnia teneantur, quae tantum leviſſimi homines negare poſſint, artis criticae prorſus ignari, actum id eſt, quod maxime rem totam, cauſamque continet. Etenim Graecorum Philoſophorum accuſatores, de quibus in ipſo hujus libri prooemio conqueſti ſumus, quid tandem afferunt, ut Atheos illos fuiſſe demonſtrent? Sententias, atque, ut ita dicam, rudera doctrinarum ſtudioſe colligunt, quibus ipſa peti Divinitas fortaſſe poſſit. Atqui ſententias eaſdem, ut id adverſariis largiar, & ea ratione poſſumus, quae ſummopere faveat Atheis, accipere, & ea, quae non parum graviſſimos Viros a ſumma impietate abhorruiſſe declaret. Ergo ſi Philoſophos eoſdem Atheos antiqui non habuerunt, jam non modo hac altera tantum ratione poſſumus accipere, verum etiam debemus. At vero non Jonicos modo, de

qui-

quibus diximus, ſed & Platonicos, & Peripateticos, & Stoicos, & ipſos Eleatas philoſophos antiqui Scriptores numquam fere cum Atheis miſcent, atque confundunt. Igitur neque nos miſcere non injuria poſſumus, atque confundere.

Ut haec tota ratio ſibi conſtet, unum, ut vides, praeſtandum a nobis eſt: ſcilicet oſtendendum, revera Philoſophorum, de quibus loquimur, doctrinas aliqua ſatis apta, quae tamen Atheis non faveat, interpretatione poſſe donari. Melius autem id oſtendi non poteſt, quam ſi de ſententiis illorum diſſeramus, qui maxime omnium Spinoſianae doctrinae ſigna praetuliſſe dicuntur ab adverſariis. Iis enim vindicatis aliorum aſſertam fore ſalutem, atque in tuto collocatam, haud gravate, opinor, ipſi adverſarii concedent. Sunt autem illi, qui ab Elea Parmenidis, ac Zenonis patria nomen acceperunt, acuto, ſi vis, ingenio philoſophi, ſed & novarum obſcuritate vocum, & ſophiſmatum nugis, ac fallacibus concluſiunculis plus aequo delectati.

Ac primo quidem veniat in medium Xenophanis Colophonii ratio, quem ejus haereſeos auctorem fuiſſe, ac principem accepimus. Ejus doctrinam de Divinitate ita exhibet Bruckerus (*a*) ex veterum teſtimoniis magna diligentia collectis. = *I. Fieri non poteſt quidpiam, ut e nihilo exiſtat. II. Æternum itaque eſt, & ſemper fuit, quidquid eſt; ſive enim facta ſunt omnia, ſive non omnia hoc abſurdum ſequeretur; ex nihilo aliquid poſſe exiſtere. III. Quod aeternum eſt, eſt infinitum, neque enim principium habet, unde exierit, neque finem. IV. Quod infinitum eſt, Unum eſt; ſi enim plura eſſent, unum finiret alterum. V. Quod Unum eſt, omni ex parte ſibi eſt ſimile. Si enim diſſimile aliqua parte eſſet, non Unum foret, ſed Entia plura. VI. Unum, quod infinitum eſt, & aeternum, ſibique ſimile, id immobile eſt, & immutabile quoque ſit, oportet; ſi locum enim mutare poſſet, non eſſet infinitum, ſed aliud eſſet ultra illud. Si vero ſine loci alteratione mutaretur, aliquid in eo exiſtere inciperet, quod prius non*

(*a*) *Tom. I. H. Cr. p. m.* 1148.

extitit, & quod exiſtit eſſe deſineret; quod eſſet ex nihilo fieri aliquid. VII. Eſt itaque Unum tantum, aeternum, infinitum, immutabile, quo conſtant omnia. VIII. Deus eſt hoc Unum, incorporeum, aeternum, cujus ſubſtantia globoſa eſt; nihil illud cum hominibus commune habet, totum cernit, totum audit, non tamen reſpirat. Simulque eſt omnia, mens, prudentia, aeternitas (Laërt. L. IX. S. 19. Sex. Emp. Pyrrh. Hypot. l. 1. c. 33., Cicero in Lucullo, Euſeb. Praep. l. 1. C. 8. l. 14. c. 14.) IX. Nec corpore, nec animo Deus cum homine comparandus eſt, qui nec formam, & faciem habet hominis, nec affectibus humanis obnoxius eſt. X. Deus hic eſt omnia (Cicero Acad. Qu. l. IV. c. 37.) nam omnia in ſe comprehendit. Hactenus Xenophanes ex Ariſtotelis, Clementis Alexandrini (Strom. L. V. & VII.) teſtimoniis, de Univerſo &c. =.

Jam hoc Unum, de quo tam multa Xenophanes, unica eſſe Subſtantia, quam Spinoſa ſomniaturus erat, viſum eſt Baylio, Aldobrandino, Buddeo, Oleario, Wolfio, Loëſchero, Walthero, & Auctoribus Britannis Hiſtoriae, quae dicitur *Univerſalis* (*a*). Sed Unum illud idem alia ratione alii Scriptores interpretati ſunt. Neque enim defuerunt, qui ſatis piam Xenophanis fuiſſe doctrinam opinarentur, & Unum ab eo dici omnia traderent, quatenus & omnia in Uno, nempe Deo, rerum omnium origine, tamquam in radice, continentur, & quaſi ab aeterno, infinitoque pelago, potius quam fonte, proficiſcuntur. Hujus inter veteres interpretationis auctor laudatur Simplicius, inter recentiores Cudworthus, cui vel omnino, vel magna ex parte favent Reimmannus, atque Fabricius (*b*).

Xe-

(*a*) *Bayl. in dict.* Bud. *de Spin. ante Spin. Annal. Hiſt. phil. p.* 320. Aldob. *ad Laërt. L. IX. S.* 19. Olear. *ad Stanl. Hiſt. phil. P. X. p.* 874. Wolf. *ad Orig. phil. C. XI.* Loëſch. *Deiſm. fanat.* §. 2. Walt. *Sepulch. Eleat. reſ.*, H. Un. *Introd.*

(*b*) Simpl. *in Ariſt. Phyſ.* Cudw. *S. Int. C. IV.* §. 20. Reim. *Hiſt. Ath. L. I C.* 30. §. 2. Fabr. *in Sex. Emp. L. I. Pyrr. Hypot.* His adde *Auct. lib. cui tit. Art de Penſer P. III. c.* 18. Leſcalopier *in Cic. de Nat. Deor. L.* 1. 28. qui duo poſtremi longius etiam progredi videntur, quam ipſe Cudworthus.

Digitized by Google

Xenophani quoque ſalutarem litteram Auctor concedit, in cujus libris non magis lepos quidam, facetiaeque libero dignae, quam ingens eruditio, ac mirum acumen ſemper apparet, Agatopiſtus Cromatianus. Putat is Unum a Xenophane rerum Univerſitatem fuiſſe nuncupatam, quod & divinas res, & corporeas complexa contineat, quae cum inter ſe ordine tam pulchro aptae ſint, & colligatae, Unum conſtituere ſubtili philoſopho viderentur. Hoc Unum jam porro, quatenus ipſum amplectitur Deum, neque genitum, neque mobile, neque limitibus definitum, neque mutationi obnoxium a Xenophane fuiſſe creditum. At de materia quid ſenſerit acutus idem philoſophus, negat omnino Agatopiſtus habere ſe, quod liqueat. Hactenus tamen dat conjecturae locum, ut putet, dubium haeſiſſe Xenophanem, utrum a Dei Natura emanantem, an a divina Voluntate diſpoſitam fuiſſe opinaretur (*a*).

Scriptores alii Xenophanem idem fere cum Stoicis, ipſoque Pythagora, ſenſiſſe malunt. Ajunt enim Unum ab eo dici Mundum univerſum, ſimulque Deum, quod Spiritus infinitus, tamquam anima corpori infuſa, neceſſario vinculo materiae jungatur, eamque & complectatur in omnes partes, & permeet, ac regat, ut ab ea tamen avelli nulla ratione poſſit. Hanc explicationem Moshemius adhibuit (*b*) Criticus emunctae profecto naris, & in veterum philoſophorum libris non minus, quam recentiorum, diligenter exercitatus.

Denique ad extremum alii Bruckero conſentiunt, qui novam Xenophanis doctrinae interpretationem in medium attulit. Cenſet enim, quidquid exiſtit a Xenophane dici Unum Eſſentia, ſive Natura, ut ne Spiritus quidem, aut Suprema quaedam Mens a materia ſeparari poſſit, atque diſtingui; ſed materiae tamen eidem vis utique divina & neceſſario, & naturaliter inſit, quam cogitatione tantum ab ipſa materia ſecernas. Hanc vim, ſi Bruckerum audias, tantae putavit

 eſſi-

(*a*) Vid. Agat. *Vol. II. C.* 28. *p. m.* 350.
(*b*) Ad Cudworth. *loc. cit.*

efficacitatis eſſe Xenophanes, ut ei tantum innumerabilium mundorum ortus, interitus, ac varias elementorum formas, rerumque vices adſcriberet.

Haec jam doctiſſimorum hominum de Xenophanis mente tam acris, ac tanta diſſenſio, nonne, quod diximus, ſatis aperte declarat: non habere nos, deperditis vetuſtiſſimi philoſophi libris, quid tandem ſine periculo erroris de ſententiis ipſius, ac tota doctrina ſtatuamus? (*a*) Nam quae colligere poſſumus ex veterum ſcriptis rudera, ſive reliquias, cum per ſe magna ſint obſcuritate, ac tenebris obducta, tum inter ſe nonnumquam adeo ſunt manifeſte pugnantia, quod fatetur ipſe Baylius, ut nulla jam conciliari ſatis apta ratione poſſint. Quae cum ita ſint, quis demum erit ita expers ingenii, atque prudentiae, quin videat, atque concedat, non poſſe Criticum non iniquum de Xenophanis doctrina ullam ferre ſententiam, quae veterum auctoritati contradicere videatur? Cum ergo nullus ferme veterum probatae fidei, atque ſapientiae ſcriptor eam Xenophani dicam impegerit, ut inter Atheos numerandus veniret, qui non Atheum modo, ſed & Spinoſiſtam ante Spinoſam fuiſſe tanta confidentia pronunciant, profecto committunt, ut ipſi tum accuſatores temerarii, tum iniqui teſtes, tum maxime judices parum religioſi nominentur.

Quaeres hic fortaſſe, de Bruckeri opinione quid ego ſentiam, quae non multum ab illa Baylii, ac Wolfii abeſſe viſa eſt eruditis. Ut morem tibi geram, primo equidem in eo Bruckerum laudabo, quod fateatur veterum teſtimonia cum ſententia Baylii, quam diximus, non poſſe componi: = *nec Spinoſiſtica*, inquit, *ſubſtantia in Xenophaneam praeter verba quadrat* =. Hactenus etiam Bruckeri opinionem non improbo, quod ſcribat doctrinam Xenophanis a doctrina Thaletis, atque Pythagorae, nec non Anaxagorae valde diver-

(*a*) Huc faciunt, quae ſapienter de Eleatenſibus diſſerit Cl. Antonius Genuenſis *Diſp. de rer. corp. orig. C. II. §. V. p.* 45. & 46.

Digitized by Google

verſam, a veteribus exiſtimari (*a*). Quare Mentem, aut Animam Mundi, aut Mundi Architectum ab ipſo Mundo diſtinctum non videtur Xenophanes induxiſſe. Itaque reſtat, ut tantummodo vim inſitam ipſi materiae, quae natura non eſſet ab ipſa materia diſtincta, divinam poteſtatem eſſe cenſuerit.

Quamobrem corruit Moshemii opinio, corruit etiam opinio Cudworthi, atque aliorum, qui tam ſanas Xenophani ſententias de Natura divina placuiſſe arbitrantur. Et id quidem eo clarius eſſe mihi videtur, quo majores a veteribus, etiam Patribus Eccleſiae Chriſtianae, laudes Anaxagorae, atque Platoni tribuuntur, quod fuerint, inter Ethnicos, facile principes, & auctores magna quaedam, atque praeclara de Natura divina ſentiendi: quae quidem ita debent accipi, ut ſaltem Graeci philoſophi, qui non multo ante claros illos homines floruerunt, perſtringi videantur. Profecto, ſi quaedam ſtarent opiniones, quas in medium adduximus, inter magnos illos Viros, atque Xenophanem, verborum eſſet aliqua, rerum nulla fere diſſenſio.

Praeterea quod materiae Xenophanes, ut ita dicam, Divinitatem immerſerit, neque ſatis hujus naturam, vel, ut Scholaſtici dicunt, *ſubſtantiam*, ab illius natura, *ſubſtantiaque* diſtinxerit, plurima veterum teſtimonia, quae videre potes apud eumdem Bruckerum, praeſertim inter ſe collata, & colligata convincunt.

Sed Bruckeri ſententiam dividere mihi placet. Ea enim probare non poſſum, quae de hac vi divina Xenophanem opinatum fuiſſe poſtremo ſcribit. Ait enim (*b*) = *Patet vero hac quoque ratione, cur Deus animus ſit, quia vis illa divina latens ſentiri quidem in partibus mundi, intelligi vero nonniſi ratione, & intellectu poteſt, ſicque Deus homini ſimilis non eſt, in*

(*a*) E. g. Laërtius de Xenophane = *Thaletis*, inquit, *ac Pythagorae opinionibus contraria ſenſiſſe fertur, Epimenidemque ſugillaſſe* =. Vide, quae diximus, ubi de Anaxagora.

(*b*) *Tom. I. H. Cr. p. m.* 1151. & 1152.

Digitized by Google

in quo mens non vim aliquam rationalem, ſed naturam, ſive ſubſtantiam conſtituit. Ita vero & phyſiologia Xenophanis cum ejus metaphyſica cohaeret. Ex hac enim in materia habitante vi divina innumerabiles mundi, & elementorum viciſſitudines efficiuntur, & materia fluxa, & in momenta mutabilis, innumeris mutationibus, formationibus, & impreſſionibus ſe conſpiciendam praebet, ſicque totum hoc cernit, totum audit, ratio, conſilium, prudentia toti ineſt, ut Xenophanem ſtatuiſſe tradit Laërtius. Cave enim hac ratione, conſilio, prudentia, actionem aliquam liberam naturae, ſive ſubſtantiae ex rationibus praeviſis fines, & effectus conſtituentis intelligas. Nihil enim aliud eſt, quam vis divinae illius motus, ſibi, & univerſi diſpoſitioni reſpondens, quo omnes res conſtituuntur =. Haec, inquam, Bruckeri non probo, quod vim inferant clariſſimis veterum auctoritatibus, quibus illi Xenophanis Deum non modo ma-gna quaevis efficiendi, ſed & praeclara cogitandi virtute praeditum fuiſſe teſtantur; neque vero ſatis intelligo, cur magnificas quaſdam Xenophanis ipſius, graviſſimaſque ſententias, quibus divini Numinis modo ſapientiam, modo virtutem omnem extollebat, ita contorquere debeamus, ut non fere aliud, niſi Atheorum impietatem, atque ſtultitiam inſinuent.

Itaque non dubito, ſi roger, novam proferre de Xenophanis Uno ſententiam, quam etſi maxime omnium teſtimoniis veterum ſatisfacere poſſe puto, docti tamen, & Critici Lectoris judicio committo. Videtur mihi Xenophanes exiſtimaſſe non alium eſſe Deum, niſi rerum Univerſitatem, quam nos quidem mundum, at ille innumerabiles mundos appellaret; neque tamen id Pythagorica, vel Stoica ratione docuiſſe. Non enim Spiritum agnoſcebat, ſive naturam a materia diſtinctam, per omnia diffuſam, & commeantem, ſed ἀγροικότερως, quo nomine carpit eum Ariſtoteles (*a*), de re graviſſima differens, ipſi rerum univerſitati, vel, ſi vis ita loqui, materiae univerſae vim eſſe naturaliter inſitam opi-

(*a*) *Metaph. I. 5.* ὡς ὄντες μικρὸν ἀγροικότεροι Ξενοφάνης, καὶ Μέλισσος *ec.*

opinabatur, omnino divinam, cui varietatis rerum, atque ordinis origo accepta referenda eſſet. Hanc autem eſſe vim dicebat non tantum efficiendi, ſed, ut diximus, etiam cogitandi; quare non dubitabat Uni ſuo tribuere ſapientiam cui nulla poſſet humana doctrina, vel ſollertia comparari. Jam huic ita conſtituto Deo tribuebat ea omnia, quae ſummae perfectionis in ipſa notione includi ſentiebat, ut nempe aeternus eſſet, a nemine productus, ac mutationis, & motus, & finis expers. Cum vero multa ſtatim opponi poſſe cerneret, quae divinae Naturae perfectionem mundo haud quaquam convenire demonſtrarent; ut quod ejus partes & vitiis laborent quamplurimis, & maximis converſionibus agitentur, eo dementiae progreſſus eſt, ut omne ſenſuum cenſeret repudiandum eſſe judicium. Itaque ut Divinitatis notionem, quam ſibi formaverat, conſtantius tueri poſſet, fere omnes alias notiones funditus evertere, vel ſaltem invertere aggreſſus eſt.

Has fere ſententias Xenophani placuiſſe pro certo haberem, niſi jampridem judicio meo parum confidere didiciſſem. Nam veterum teſtimonia, omni partium ſtudio ſepoſito conſiderata, hoc certe poſtulare videntur; ut Xenophanes & nihil aliud divinum agnoverit, quam ipſum mundum, aut mundos cum illo dicere mavis; & hoc divinum etiam conſilio, ſapientia, virtute pollere crediderit.

Hinc verſus illi Timonis, quos etiam Bruckerus affert, cauſam reddentis, cur poëtis Xenophanes iratus fuerit:

„ *Numen ſimile undique, atque haud homini, atque*
„ *Conſtans uſque ſibi docuit, totumque animum eſſe.*

Hinc Ariſtoteles (*a*) eum ſtatuiſſe ait, Deum = *audire, & videre ſecundum totum, non vero ſecundum partem* =, de quibus Ariſtotelis verbis perperam a Baylio acceptis legendus Bat-

(*a*) *Lib. de Xenoph. Zenon. &c.* = ἀκούειν, καὶ ὁρᾷν καθ᾽ ὅλον, μὴ κατὰ μέρος =.

Batteuxius, plurima etiam alia in doctrinam Xenophanis, quam Spinoſianam non putat, praeclare ſcribens (*a*). Cicero autem, non modo Xenophanem non numeravit inter Atheos, ſed cum tamquam Senatum philoſophorum de Natura divina diſſerentium recitaret, ita de principe Eleatenſium pronunciavit = *Xenophanes, qui, mente adjuncta, omne praeterea quod eſſet, infinitum Deum voluit eſſe, de ipſa mente item reprehenditur, ut caeteri: de infinitate autem vehementius, in qua nihil neque ſentiens, neque conjunctum poteſt eſſe* = (*b*) Denique Diogene Laërtio utar auctore, quin & caeteris etiam, quorum Bruckerus, ubi *Totum*, Xenophanis quidem ſententia, videre, atque audire ſtatuit, auctoritatem ſecutus eſt.

Igitur, ut paucis omnia complectar, Xenophanes Mundum quaſi maximum quoddam animal eſſe docuit, maxima virtute, ac robore vigens, cujus tamen non eſſet anima, ut Pythagoras, ut Stoici dixerunt, natura quaedam ab inerti materia distincta, niſi forte diſtinctam ipſe, qui cogitat, mentis, ut philoſophi loquuntur, praeciſione quadam inducat. Ut enim etiam aetate noſtra ſtulti ſunt aliqui homines, qui mentem humanam eſſe nolint naturam quamdam a materiae natura ſegregatam, atque diverſam, ſed vim tantummodo dicant eſſe, quae materiae particularum ex apta quadam, atque concinna coagmentatione, ac diſtributione, vel rato, conſtantique motu tandem exiſtat, ſimile neſcio quid ſomniavit de ipſa divina Mente, quae res omnes contineret, ac regeret, ἀγροικότερος ille Xenophanes, & ſtudio ad Unum omnia revocandi ad inſaniam adactus, & ſophiſmatum, quibus nectendis tantopere delectabatur (*c*), laqueis irre-

(*a*) Vid. *To. XXIX. de l' Ac. R. des Inſcr. VI. Mém. ſur le Principe actif &c.*

(*b*) Batteuxius *l. c p.* 304. *M.* vellet legi = *Xenophanes qui, mente adjuncta, Omne, propterea quod eſſet infinitum, Deum eſſe voluit &c.* = eo loco Baylium reprehendit, quod Ciceronis contempſerit auctoritatem, ac de lite agit inter Baylium, & Olivetium exorta ob ejus loci interpretationem.

(*c*) Si cognoſcere vis, quam ridicula eſſet, & fallax argumentandi ratio a Xenophane, & a reliquis Eleatenſibus adhibita, lege laudatam incly-

irretitus. A Spinoſiana tamen impietate ſtultitia Xenophanis in eo vel maxime diſtat, quod facere voluerit aliquem religioni locum, cum Deum & omnia cogitantem, & providentem, & animadvertentem, & rerum ad ſe pertinentium procurationem exercentem aliquo modo reliquerit. Quare Xenophani nunquam legimus exprobratum fuiſſe, ut Diagorae, ut Epicuro, quod rationibus, ſicuti Xerxes manibus, Deorum immortalium templa convelleret.

Jam de reliquorum ejuſdem ſcholae philoſophorum doctrina longum eſt dicere. Sed certe Parmenides, Xenophanis auditor, neque Divinitatem omnino voluit evertere, neque ſuppetias Atheorum impietati ferre, cum ea docuit, de quibus graviſſime Cicero. = *Parmenides quidem*, inquit, *commentitium quiddam coronae ſimilitudine effecit. Stephanen appellat continentem ardore lucis orbem, qui cingit Coelum, quem appellat Deum, in quo neque figuram divinam, neque ſenſum quiſquam ſuſpicari poteſt, multaque ejuſdem monſtra: quippe qui bellum, qui diſcordiam, qui cupiditatem, caeteraque generis ejuſdem ad Deum revocat, quae vel morbo, vel ſomno, vel vetuſtate delentur: eademque de Sideribus, quae reprehenſa in alio loco in hoc omittantur* =.

Et variae quidem doctorum hominum, ac diſcrepantes fuerunt Unius, quod Parmenides tantopere praedicabat, interpretationes (*a*); a quibus afferendis idcirco abſtineo, ne prolixitatis forte plus habeat, quam jucunditatis oratio. Sed certe Platonis gravitas, & apud omne doctorum genus au-

clyti Batteuxii diſſertationem. Ex antiquis autem praecipue tibi legendus eſt Dialogus Platonis, cui Parmenidis titulum ipſe fecit: qua quidem in re monendus es, Bruckerum non ſatis aequum Platoni fuiſſe, cum graviſſimum hunc philoſophum ob nugas, & vana ſophiſmata reprehenderet, quibus Dialogus Parmenidis undique ſcatet. Etenim, ut optime Batteuxius *l. c. p.* 315. = *il attribue à Platon ce qui, ſelon toute apparence, n' étoit pas à lui: ce ne ſont point des puérilités ou de misères Platoniques, ce ſont de misères, dont Platon nous a conſervé l' eſquiſſe* = Cur autem id Plato praeſtiterit, eodem loco Batteuxius explicat.

(*a*) Videre potes illas apud Bruck. Agatopiſt. Batteux. *loc. cit.*

ctoritas hoc poſtulare videtur, ut aliquid ipſi, de Parmenidis Uno copioſe differenti (*a*), credamus. Nihil autem in Parmenide clarius Plato ſignificat, quam celebrem Sophiſtam voluiſſe Unum, ſive Ignem, qui contineret Orbem, ſupremi Numinis proprietates habere; quod quidem propter ſummam perfectionem *Ens* dici poſſet, atque deberet, cum reliqua potius *Non Entia* dici mererentur, quod fluxa ſint, atque caduca, & in momenta ſingula mutationi obnoxia.

Meliſſus vero Parmenidis auditor, quem Ἀθεότητος Buddeus accuſat, ſed Auctor Artis Cogitandi, atque Reimmannus, aliique defendunt, in eadem navi cum Magiſtro eſt. Etenim fere eadem docuiſſe videtur. Quod enim de Meliſſo Laërtius habet = *De Diis nihil definiendum dicebat: neque enim illorum certam eſſe cognitionem* = ad Ethnicorum Deos, auctore Bruckero, referendum videtur.

De Zenone, Parmenidis etiam diſcipulo, fortiſſimo viro, quem in tormentis Eleae necatum, quod vehementius in Tyrannum invectus eſſet, accepimus, aliquid addi, locus ipſe poſtulare videretur. At doctrinas ille ſuas tricis hujuſmodi ſepivit, & inter eas tenebras abdidit, ut nihil in illum melius cadat, quam quod de Heraclito pronunciantem Cicero facit Cottam = *omnia veſtri, Balbe, ſolent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, ſequentes, quem ipſum non omnes interpretantur uno modo: quem, quoniam quid diceret, intelligi noluit, omittamus* = (*b*). Hoc etiam ſapientiſſimo viro Moshemio conſilium placuit (*c*), cum tenebricoſam Zenonis doctrinam nulla poſse jam luce perfundi ſenſiſset. Affert autem in hanc rem aureos Terentii verſus.

„ *In-*

(*a*) *In Parmenide*. Conſentanea Platoni attulerunt ad explicandam Parmenidis mentem Juſtus Lipſius *Manud. ad Phil. Stoic. L. II. Diſſ. IV.* Petrus Gaſſendus *Oper. T. I.* Rad. Cudw. *Syſt. Int. C. IV.* §. 21. aliique.

(*b*) Si tamen aliquid de Zenonis doctrina diſcere cupis, conſule Bruckerum, Agatopiſtum, alioſque Hiſtoriam Criticam Philoſophiae pertractantes.

(*c*) Ad Cudw. Syſt. *Intell. C. IV.* §. 21.

Digitized by Google

„ . . . . *Incerta haec ſi tu poſtules*
„ *Ratione certa facere, nihilo plus agas,*
„ *Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.*

Moshemium & Bruckerus tandem, & Batteuxius, & alii cordati homines imitati ſunt.'

Hoc tamen certi nos afferre poſſumus, quod, ut ſatis oſtendimus, adverſarios jugulat: ſcilicet non fere ab antiquo ullo Scriptore Zenonem in claſſem Atheorum fuiſſe compactum, & Diagorae, ſive Theodoro alicui, vel Critiae comitem addictum. Quis igitur non illud concedat; quaecumque fuerit Zenonis de Uno doctrina, quam obſcuris tantum quibuſdam vocibus a Magiſtri doctrina diſcrepaſſe veriſimile eſt: ſed quaecumque tandem ea fuerit, certe non hominis fuiſſe, qui nefarium omni Divinitati bellum inferre voluerit? Sed haec hactenus. Adverſarii enim videant, quomodo plurimi apud Graecos Athei fuiſſe dici poſſint, cum Eleatas ipſos Atheos non eſse dicendos, ratio, & veritas ipſa convincat,

CAPUT IX.

Scepticos, atque Academicos Atheos non eſſe dicendos, oſtenditur.

Ut veteres Graeciae philoſophos a ſumma quidem impietate non parum abhorruiſse demonſtremus; aliquid hic de Sectis aliis addere juvat, quae non tam injuſte videntur de illo crimine ab adverſariis inſimulari.

Nam Scepticos quidem Buddeus, atque alii, de quibus Reimmannus (*a*), accuſant, quod cum omne ſenſuum, ac rationis judicium everterent, quaerentibus, an Deus exiſtat? non aliud reſpondere poſſent, niſi ſe neſcire, vel cer-

(*a*) Budd. *de Ath. &c.* C. I. §. 14. Reimm. *Hiſt. Atheiſ.* C. XXXI. §. 1. 2. *p.* 217. *ſeq.*

certe dubitare. Alii tamen ſummi viri, de quibus idem Reimmannus, Scepticos ſtultitiae damnant, **Α'θεότητος** abſolvunt. Profecto cum judicium impietatis illius in aliquem datur, diſceptandum videtur, an peculiari quadam, ac propria ratione de nobiliſſima veritate dubitaverit. Nam ſi tantum dubitavit, quod omnia dubia, & incerta eſſe cavillaretur; praeſertim ſi hoc ipſum, quod ſit dubitandum de omnibus, non eſse rem ſatis exploratam cum Baylio noſtro reſpondere conſuevit; aut non ex animo loqui dicendus eſt, aut certe cum riſu dimittenda concio; quod is in judicium capitis vocatus fuerit, cui ſit propter inſignem dementiam, Romano more, bonis interdicendum.

Illud etiam ad rem noſtram confert, quod ipſi Sceptici nolebant Atheis annumerari. Hinc unus ex illis, nempe Sextus Empiricus, ita ſe, ſuoſque defendit. (*a*) = *Sceptici vitam communem ſequentes dicunt, Deos eſſe, eoſque colunt, & providentiam iis tribuunt, ſed adverſus dogmaticorum temeritatem etiam hac in re diſputant* = Quin etiam Sextus idem eo progreſsus eſt, ut ſcriberet, hac quidem in re = *conſtantiorem, ac ſtabiliorem inveniri Scepticum, quam eos, qui aliter philoſophantur; ſi quidem profiteatur Deos congruenter patriis moribus, & legibus, & faciat quidquid pertinet ad eos pie colendos, quod autem ad philoſophicam pertinet quaeſtionem, nihil agat temere, ac praecipitanter* (*b*) =.

Apud eumdem Sextum graviter in eos, qui Divinitatis cognitionem a conditoribus civitatum eſſe repetendam ſomniaverant, ac caeteris perſuadere nitebantur, invehuntur Sceptici, qui longe veriſimilius eſſe dicunt, univerſum genus humanum = *communem, & anticipatam de Deo notionem habere, ſecundum quam eſt quoddam beatum animal, & ab interitu alienum, & in felicitate perfectum, & in quod nullum cadere poteſt malum, eſſeque a ratione alienum, omnes forte*

(*a*) *Hypotyp. Pyrrhon. L. III. C. I. S. 2. ſeq.*

(*b*) Affert ea Bruck. *ex L. I. Sexti adv. Phyſ. & L. II. Pyrrhon. Hypot.*

te fortuna in eaſdem incidere Dei proprietates, non autem ad hoc moveri naturaliter = (*a*).

Facilius eſt Academicos ab iiſdem fere auctoribus accuſatos defendere, qui poſt Arceſilam, & maxime poſt Carneadem, modo hoc, modo illud unaquavis de re diſſerebant, prout affirmandi, vel negandi ſeſe exhibebat occaſio. Et illi quidem non id aſſerebant, nihil eſſe verum; ſed, quod valde affine videri debet, omnibus veris aliqua falſa eſſe admixta tanta ſimilitudine, ut ſatis internoſci non poſſent. Nihil ergo mirari debemus, quod de Natura Deorum nihil ſatis certum, ac firmum ſe habere dicerent, quod ſequerentur. Hinc autem factum eſt, ut unicum aliquando Deum, aliquando plures eſſe, aliquando nullum, probare conati ſint.

Iidem tamen Academici dicebant, multa eſſe probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia viſum quemdam haberent inſignem & illuſtrem, his ſapientis vita regeretur. Inter ea ſine dubio numerabant, quae ſuadent eſſe Divinitati cultum pure, atque caſte tribuendum. Quod autem ſit Divinitas, rem eſſe dicebant & maxime veriſimilem, & quo omnes duce natura vehimur. Hinc quoties contra Numinum omnium contemptores invehebantur, tantos tollebant animos, & ea verborum, ac ſententiarum gravitate utebantur, ut non tam errantem, & vagam, ut caeteris de rebus, at magis ſtabilem habere viderentur, certamque ſententiam. At vero quoties contra Divinitatis cultores diſputabant, diſerte profitebantur, ſibi parem cum illis non eſſe rationem, atque cum Atheis. Etenim ab illis multa dici fatebantur, ſi minus vera, tamen apta inter ſe, & cohaerentia. Itaque ſeſe velle dicebant non tam refellere eorum orationem, quam ea, quae minus intelligebant, requirere. Ipſe Carneades, contra Deos acerrime diſputans, monebat ſe non id agere, ut Deos tolleret;

(*a*) De iis late Sextus *adv. Phyſ. l. I. ſ.* 33.

ret; cum nihil minus eſſet philoſopho conveniens; ſed ut Stoicos nihil de Diis explicare convinceret.

Praeterea cum a Stoicis Academici graviſſime monerentur: malam, & impiam conſuetudinem eſſe contra Deos diſputandi, ſive ex animo id fit, ſive ſimulate: eadem fere ſolebant reponere, quae Lucilio Balbo apud Ciceronem (*a*) Cotta = *Non mediocriter moveor autoritate tua, Balbe, orationeque ea, quae me in perorando cohortabatur, ut meminiſſem me & Cottam eſſe, & Pontificem. Quod eo credo valebat, ut opiniones, quas a majoribus accepimus de Diis immortalibus, ſacra, cerimonias, religioneſque defenderem. Ego vero eas defendam ſemper, ſemperque defendi: nec me ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu Deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti, aut indocti movebit. Sed cum de religione agitur, T. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scaevolam Pontifices maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chryſippum ſequor, habeoque C. Laelium Augurem, eumdemque ſapientem, quem potius audiam dicentem de religione in illa oratione nobili, quam quemquam principem Stoicorum &c.* =.

Satis ex his intelligitur, Academicos, ſi unam potius, quam aliam in partem trahendi ſint, potius Atheis, quam nobis adverſari. Id etiam ex eo conſtare tibi poterit, quod illi Socratem maximo in pretio habuerint, quem diſciplinae ſuae auctorem, ac principem ſummis laudibus efferre conſueverant. Porro Socrates, etſi ſuum illud, nihil ut affirmaret, ad extremum tenuerit, tamen ita de Divinitate locutus eſt, ut nemo inter Ethnicos magnificentius, aut verius. Id ut adverſariis appareat ejus doctrinae capita quaedam afferimus, quae praeſertim ex fidiſſimo Socratis diſcipulo, Xenophonte colligit incredibilis Iacobi Bruckeri diligentia (*b*).

= *I.*

(*a*) *De Nat.* Deor. *L. III.* Conſule eos Libros, ſi vis Academiae rationem aſſequi.

(*b*) *Tom. I. H. Cr. p.* 560. *&* 561. Lis eſt inter eruditos utrum Xenophonti magis, an Platoni, Socratis exponentibus ſententias, credenduuı ſit. Pro Xenophonte ſtant veteres

fere

I. Deus inſpicienti opera ejus, licet cerni non poſſit, tamen deprehendi poteſt. Prolixa, inquit Bruckerus, *& elegantiſſima diſputatione cum Eutydemo apud Xenophontem* (*Mem. l. IV. p.* 800. *ſeqq.*) *hoc demonſtravit Socrates, & pulcherrima divinae ſapientiae, providentiae, & benignitatis veſtigia ita eruit, ut convincat, qua ratione ſui notitiam divinus rerum conditor animis hominum impreſſerit. II. Deus Mundum univerſum compoſuit, & continet, quo bona, & pulchra omnia comprehenduntur, ... III. Deus vero, non caſus, hujus mundi cauſa eſt, idque demonſtrari poteſt ex arte, quae in ſapientiſſima partium omnium conjunctione apparet, utilitati pariter, atque tutelae inſerviente, ex omnium item in conſervationem ſuam, & generis propagationem ſtudio . . . . . IV. Deus hominis in primis curam gerit, ſive corpus ſpectes, ſive animum, ſive utrumque, quod divinationes, & periculorum imminentium praeſagia ſuadent. Imo rerum particularium cura ei eſt, ut ex cujuſvis generis rerum conſervatione patet. V. Deus temporis momento, mentis acie cognoſcit omnia, id quod colligitur ex humani oculi celeritate, mentiſque ipſius, quae locis maxime diſſitis geſta, nulla interpoſita mora, conſiderat VI. Talis Deus eſt tantus, ut uno actu omnia videat, audiat omnia, ubique exiſtat, omnia gubernet. VII. Quia leges non ſcriptae dantur, quae ubivis locorum eodem modo ſervantur, nec eae ab hominibus latae eſſe dici queunt, quia homines univerſi convenire non potuerunt, ſequitur Deum iſtas leges hominibus tuliſſe, qui poenas ipſas delinquentium legibus addidit. VIII. Praemia manent apud Deum il-*

fere omnes, qui non jurant in verba Magiſtri Platonis, de cujus licentia, imo mentiendi facilitate Socrates idem conqueſtus eſſe dicitur. Caeterum ſententiae, quas ipſi Socrati tribuit Plato ab Atheiſmo longe abſunt; & cum ſententiis concinunt Platonis ipſius. E. g. in Phaedone tribuit hanc Magiſtro ſententiam = *omnibus creaturis & ut ſint* (Deus) *& ut bene ſit iis, largitur: illum quis ſit ſe quidem neſcire, hoc tamen, quid non ſit, ſcire* = De Socrate praeter auctores Hiſtor. Criticae Philoſophiae, lege *Tom. XXXII. de l' Ac. R. des Inſcr. VII. Mém. ſur le Principe actif. &c. par M. l' Ab. Batteux &c. a p.* 2. Confer tamen *ex eodem Tomo I. Mém. ſur Platon a p.* 137. *M. par M. l' Ab. Garnier.*

Digitized by Google

illos, qui placuerunt ipſi, diſplicentibus poenae decernuntur, idque probat ejus faciendi potentia, humanique animi conſcientia, ei divinitus indita, quae id facturum eſſe Deum perſuadet, & quam nulla non aetas, nulla non civitas paulo cultior prodit =.

Hactenus e Xenophonte Bruckerus de praeclara graviſſimi philoſophi doctrina; quo magiſtro Academici tantopere gloriabantur; & a quo multa prudenter diſputata, multa breviter, & commode dicta memoriter, & jucunde proferre ſolebant, nec dubitare illum in omni fere ſermone appellare ſapientem. Itaque veriſimile non eſt, donec ſaltem ratione aliqua ſatis firma probetur ab adverſariis, doctrinam adeo ſolidam, atque perſpicuam de Natura divina tantopere Academicis diſplicere potuiſſe, ut ad Atheorum impietatem, atque ſtultitiam nulli dubitarent accedere.

Quamobrem, ſatis exiguam fuiſſe manum furioſorum hominum apud Graecos, qui ſtare a Diagora, vel Critia, quam ab humano genere mallent, ac nullum relinquerent Divinitatis cognitioni locum, ſatis luculenta, niſi fallor, hactenus ratione declaravi. Nam ſi ne illos quidem Atheos fuiſſe adverſarii convincunt, qui, propius ad eam impietatem acceſſiſſe, aliquando videri poſſunt, conſequens eſt, ut multo facilius reliquos philoſophorum choros abſolvere debeamus, qui recentioribus tantum Scriptoribus, aut in arte critica parum exercitatis, aut quaerentibus impietati defenſores, atque praeſidia, aut levibus denique rationibus in fraudem inductis, Athei videri potuerunt.

Quae cum ita ſint, ſatis opinor, imo plus quam neceſſe fuerat, a nobis illa defenſa eſt, atque ab Α'θεότητος crimine liberata.

Graecia virtutumque, virûmque olim inclyta nutrix,
Nunc ſcelerum, & vitiorum omnium iniqua parens. (a)

Se-

(a) Ita eam appellat Alphonſus Nicolajus in pulcherrima Elegia, Catulli digna temporibus, quam inter *Caroli Rotii, Carmina, & Orationes*, invenias.

Digitized by Google

Sequitur, ut multa de barbaris gentibus diſſeramus, quas in Atheorum caſtris meruiſſe ſtipendia Baylius, aut alii confidenter affirmant.

CAPUT X.

De Thoibus, atque Acrothoitibus.

QUid jam de Thoibus, extremae Thraciae populo, dicemus, quem ex Theophraſto Porphyrius (*a*) Atheis adſtipulari cenſuit? Nimirum illos, non quod nullum omnino Numen eſſe concederent, ſed ob alias cauſas Atheos fuiſſe dictos: quo loco illud maxime perpendendum videtur: Theophraſtum, etſi non minus inter philoſophos gravis, quam ſuavis, & elegans inter oratores haberetur, omnique doctrina eruditus, de moribus tamen illius nationis atque ſententiis non potuiſſe, niſi ex vulgari fama, eademque debilibus conjecturis innixa, diſſerere.

Cum enim omnes Thraces parum cogniti Graecis ea quidem tempeſtate forent, tum inter Thraces minus ipſi Thoes accurate cognoſci poterant, extremis Thraciae finibus comprehenſi. Jam ergo qua ratione Theophraſtus tamquam ex tripode pronuntiare poterat, non modo ferinis imbutos eſſe moribus, non modo irreligioſos, & in Divinitatem injurios illos eſſe, verum etiam tam craſſa rerum cognitu faciliorum ignorantia occupatos, vel tam veſano furore agitatos, ut nullum omnino Mundi moderatorem Deum agnoſcere viderentur? Haec enim, cum de populis praeſertim agitur, qui neque litteris, neque monumentis alterius generis, cogitationes ſuas mandare ſoleant, quorum conſuetudines, ingenia, ſententias, ſermonem ignoramus, nemo niſi temere definire poſſit. Dicamus itaque potius philoſophorum eruditiſſimum, & elegantiſſimum, non haec accuratius definire voluiſſe, quae non adeo facile ab ipſo definiri poterant, ſed

(*a*) *L.* 2. *de Abſtin. ab animal. p.* 150.

eos tantum, quod barbaris eſſent moribus, & ab ea, quam Graeci, vel etiam finitimi, ſequebantur, religione valde abhorrerent, acriore verbo caſtigare voluiſſe, eo vel maxime quod Thraces, quibus & Thoes annumerati leguntur, non omni prorſus exutos religione fuiſſe, vetus hiſtoria teſtari ſoleat, & eruditi recentiores agnoſcant.

Porro Thoes, de quibus locuti ſumus, probabiliter ſunt iidem, ac populi, quos Acrothoitas apud Simplicium (*a*) vocatos invenias, & inter impios Numinum contemptores, ejuſdem Theophraſti teſtimonio, recenſitos. Narrat autem, apud ipſum Simplicium, Theophraſtus, eos, cum nullum colerent Numen, ſubito univerſos a terra abſorptos fuiſſe. Itaque Baylius (*b*) non modo Phlegyas Homeri, ſed eos etiam Theophraſti Acrothoitas in medium protulit, ut contra Vellejum, atque adeo Scriptores innumeros, qui divinam ab omnibus gentibus aliquo modo Naturam agnitam fuiſſe praedicant, aliquas gentes atheas extitiſſe demonſtraret.

At Baylius ipſe candide faſſus eſt (*c*), poſtquam ea dixerat, non ſatis apertum eſſe, cur impietatis a Theophraſto damnentur; utrum ſcilicet id nobilis philoſophus faciat, quod vere nulla putarent eſſe Numina, an quod, ut aliquo ſenſu Divinitatis ipſi tangerentur, tamen omnem Dei cultum, atque religionem non modo negligerent, ſed etiam intolerabili quadam arrogantia contemnerent.

Hinc tamen Baylius infert, temere ſtatui, quod olim Epicurei (melius dixiſſet univerſi fere philoſophi) ſumebant, nullam eſſe gentem, quamvis immanitate barbaram, apud quam non aliqua Deorum ſuſpicio ſit. Nos autem ex iis, quae primo libro diſputavimus, ſatis conſtare arbitramur, nihil ſententiae noſtrae Theophraſti, quamvis auctoritatis omnino magnae, teſtimonium officere. Cum enim, ipſo Baylio fatente, ſit ſatis ambiguum, & in utramque partem, quam

(*a*) *Comment. in Epictet. Enchyr. c. 38. p. 222. edit. Salmaſ.*

(*b*) *Contin. des penſées &c. §. XIII.*

(*c*) *Ibidem.*

quam diximus, trahi non incommode poſſit, nihil eſt, quamvis reliqua velimus omittere, quae capite hoc toto jam declaravimus, cur Auctores innumeros conſenſum humani generis, atque adeo gentium omnium in agnoſcenda Divinitate praedicantes, nobis deferendos eſſe arbitremur. Acrothoitas igitur, quamvis impios, aliquid de notitia Divinitatis tenuiſſe putabimus, donec certam magis, exploratamque rationem, cur non putare debeamus, adverſarii produxerint.

CAPUT XI.

De Scythis.

CUM de Thracibus verba fecerimus, locus hic poſtulare videtur, ut Scythas finibus minime disjunctos ne noſtra quidem oratione disjungamus; licet ipſorum regio non tantum fuerit Europae, ſed etiam Aſiae finibus comprehenſa.

Illis quidem eam calumniam Celſus inflixit (*a*), ut populis eos tum lege omni, tum religione carentibus, atque Atheis adjungi voluerit. Equidem neſcio, an doctum hominem vel unum inveneris, qui non vereatur unius hac in re Celſi auctoritate pugnare. Nam leviſſimus homo, cum in plauſtris potius vagari, quam certas alicubi ſedes figere Scythas accepiſſet, arbitratus eſt, brutorum more palantes in agris vitam agere, nulla religione, nulla humanitate politam; neque ſcire viſus eſt, aut ſatis advertere, quam praeclara de fide, de amicitia, de liberalitate, de jure hoſpitii, de virtute, veteribus bene multis aperte fatentibus, gens illa ſentiret, quamvis a Romanis, Graeciſque moribus aliena vel maxime.

Praeterea Celſum ea temere ſcripſiſſe vel inde conſtare poteſt, quod Scythis 'Αθέους Σῆρες (*b*) adjungat, & com-

(*a*) *Ap. Origen. l. VII. p. m.* 384.

(*b*) Eoſdem antiquos Seres a Strabone Geographo Atheos vocari Antonius Genuenſis (*P.* 3. *Elem. Metaph. App. ad C. II. p.* 124.) ſcriptum reliquit. Vellem equidem, ut locum attuliſſet, quem diligenter conquiſitum invenire non potui.

paret. At quale impudentiae genus eſt, ſummae impietatis arguere, quorum & mores, & ſtudia, quibus ille ſcribebat temporibus, tum Romanos, tum Graecos omnino latebant! Id vel ex eo patet, quod barbaras inter nationes eam gentem numerare ſolerent, quae neque imperii dignitate, neque doctrinae gloria, neque ſapientia legum, Graecis ipſis omni politis humanitate concederet (*a*).

Sed, quod pertinet ad Scythas, de quibus agimus, eos etiam in ea fuiſſe ſententia, quam Athei ſequi non ſolent; ideſt animos corporibus ſupereſſe, plurima veterum monumenta declarant. Etenim hiſtoriae parens Herodotus (*b*) refert, Scythas morti proximos inde laetari vel maxime, quod brevi ſeſe ad Zamolxin ſuum venturos eſſe confidant. Pomponius autem Mela (*c*) haec de Getis narrat, quo nomine modo Scythicae gentes omnes, modo quaedam, ut hic, peculiaris gens Scytharum venire ſolet = *Quidam feri ſunt, & ad mortem paratiſſimi, Getae utique. Id varia opinio perficit: alii redituras putant animas obeuntium; alii, etſi non redeant, non extingui tamen, ſed ad beatiora tranſire, alii emori quidem, ſed id melius eſſe, quam vivere* = Trajanus etiam Auguſtus, ſi qua Juliano fides (*d*), Getas mortis contemptores, & hinc bellis gerendis aptiſſimos laudat = *Non enim*, inquit, *ſe mori, ſed in alias ſedes transferri exiſtimantes, paratius id faciunt, quam cum iter, aut peregrinationem ſuſcipiunt* =.

Caeterum, quod caput eſt, a Scythis aliquod agnitum fuiſſe Numen facile demonſtratur (*e*). Nam & Acinacem

olim

(*a*) Cum ea, quae retulimus ſcripſiſſet Celſus, & Dionyſius Περιήγ. v. 752. Ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν eos populos nominaſſet, optime intulit Bruckerus (*H. C. T. I L. II. C. IV. p. m.* 212.) quod ſubdimus = *Quod etſi comparatis tantum Graecorum inſtitutis dici facile largimur Burnetio* (*Archaeol. Phil C.* 3. *p.* 344.) *incognitam tamen, ut litteraturam omnem, ita etiam philoſophiam Sinarum veteribus fuiſſe probat* =.

(*b*) *Lib. IV. p.* 280.

(*c*) *L. II. c.* 1.

(*d*) V. Bruckerum *L. II. C. XI.* ubi de Scythis.

(*e*) P. Caſtus Innocens Anſaldi *Tr. della Neceſſità &c. d. Relig. p.* 193. citat Olaum Dalin de Theologia Scytharum in Hiſtoria Sveciae

agen-

olim (*a*) adorare ſolitos fuiſſe, Lucianus aperte fatetur, & idem habet Eudoxus, & idem, qui citat Eudoxum, Clemens Alexandrinus (*b*). Hic autem & aſinos Marti mactare ſolitos fuiſſe narrat (*c*), & Abarim Oracula Scythica, Theogoniamque ſcripſiſſe, & Iceſium de Myſteriis librum reliquiſſe, Scythas ambos, & Philoſophiae laude florentes. Quis autem ignorat Scytham Anacharſim Deos immortales eſſe veneratum, ut ex Cicerone, & ex Plutarcho diſcimus? (*d*) Sed neceſſe non eſt in re ſatis nota plura veterum teſtimonia congerere.

Potius hic leviter videntur reprehendendi, qui putarunt (*e*) a Nicephoro Gregora narrari, Scythas olim prorſus Atheos fuiſſe, ac nullam prorſus vim, poteſtatemque divinam fuiſſe veritos. Quid enim habet Nicephorus, quod eam opinionem fovere poſſit, niſi Scythas, cum irrupiſſent in Aſiam, ad Orientalium religionem, patria impietate, vel Atheiſmo relicto, deflexiſſe (*f*)? At ea verba nihil aliud innuunt, niſi religionis, aut ſuperſtitionis potius commutationem quamdam a Scythis ea tempeſtate factam, ſive ut Bruckeri verbis (*g*) utar = *vult id tantum hiſtoricus, eos relicto contemptu religionis, qualis apud Orientales vigebat, tandem mutatis moribus Aſſyriorum Numina recepiſſe* = Caeterum, ſi quid aliud Nicephorus vellet, ejus auctoritatem omnino negligere praeſtaret, quam Scriptoribus antiquioribus, atque doctioribus, fidem non adjungere, quos indicavimus.

CA-

agentem, & unum Deum ab ipſis fuiſſe creditum Olai ejuſdem auctoritate confirmat. Vide etiam Ephemeridas Holland. *To. XL. P. I. A.* 3. *p.* 32.

(*a*) An Sauromatae Scytharum Gens, Acinaci, vel Enſi ſacrificaverint, inquirit Pelloutierius *Bibliot German. Tom XXIX. p.* 215.

(*b*) Luc. *in Iov. Tragaedo*, Clem. Alex. *in Protrept. p.* 26. qui citat. Eudoxum *in* 2. *de ambitu*.

(*c*) *In Protrept.*

(*d*) Cic. *In Tuſcul.* & alibi, Plutarch. *in Conviv Tom. I.*

(*e*) Vid. Reimmann. *Hiſt. Atheiſm. C. VII* §. 5. *p.* 80.

(*f*) *Lib. II. Hiſt. Rom. p. m.* 18. *ed. Wolf.* ubi de Scythis ἐς τὸ αὐτῶν ἴνδαλμα σέβας τὴν πάτριον ἀθεΐαν ἀφέντες.

(*g*) *Hiſt C. Phil. Tom. I. L. II. C. XI. p. m.* 353.

CAPUT XII.

De Celtis.

Celtas Atheos fuiſſe, tum Hiſtorici Juſtini, tum Pauſaniae (*a*) teſtimonio, quidam Baylio hac in re faventes homines docti probare conati ſunt. Sed caeteri facile aſſentiuntur laudatis Auctoribus, Celtas Atheos, ſive Deorum hoſtes non alia de cauſa viſos fuiſſe, quam quod Romanam Religionem, ac praecipue ritum illum bruta ſimulacra colendi deteſtabantur, quem tamen & ipſi poſtea, Romano jugo ſubditi, receperunt.

Sunt quidem nonnulli recentiores, qui ſummae fere omnes Celtas impietatis damnari vellent, quod doctrinam de Anima mundi per omnes ejus partes longe, lateque diffuſa, quae maxime praeſens eſſet Deus, teſte Bruckero, aliiſque (*b*) coluerint. Sed huic quidem crimini, tum ex iis, quae primo libro diſputavimus, tum ex iis, quae de vetuſtiſſimis Etruſcis, qui nempe ſunt in eadem cauſa, diſputabuntur a nobis, facilis, ut opinor, reſponſio patet.

Gallos quidem, qui maxime omnium nomine Celtarum venire ſolent, in Oratione pro Fontejo ſicut Atheos execratur inter philoſophos eloquentiſſimus, inter eloquentes, ea quidem aetate, maxime philoſophus Cicero. Sed illum hac in re non ſibi conſtare Voſſius (*c*) oſtendit. Videlicet illi, cum in Foro diceret, aut in Curia, non quid verum eſſet inquirere, ſed quid veri ſpecie poſſet audientium animos aliquo modo percellere, in ſtudio erat. Argumento hujus rei eſſe poteſt, ut alia omittam, quod idem aperte gloriatus ſit, ſeſe tenebras, cum pro Cluentio diceret, judicibus offudiſse; qua de re graviter a Marco Antonio Mure-

(*a*) Juſtin. *l.* 14. *c.* 6. Pauſ. *l. X.* p. 648.

(*b*) Vid. Agatopiſt. Cromat. *della Istoria &c. Vol. I. C. XI.*

(*c*) *Lib. I. de Idolol. c.* 37.

reto, quamvis diſertiſſimi oratoris cultore ſane ſtudioſo, reprehenſum in eleganti quadam oratione legimus. Itaque nemo jure mirari poteſt, Ciceronem eo loco Gallis, turpiſſimo crimine objecto, quod id cauſae, quam agebat, intereſſe videret, invidiam apud Romanos maximam conflare voluiſse.

Caeterum Gallos, non modo non atheos fuiſse, verum oppoſitae ſuperſtitionis tenuiſse apicem, nullo negotio oſtenditur. Nam, qui mores eorum, atque ſenſus melius, quam alius quilibet cognoſcere poterat, Galliae victor, ac domitor, Julius Caeſar aperte tradit (*a*) = *nationem omnem admodum fuiſſe deditam religionibus* = Ab aliis quoque Scriptoribus Latinis, Graeciſque, diſcimus, Theutatem, Heſum, & Taranem in Gallia cultos, quin & iiſdem Numinibus humano ſanguine fuiſse litatum.

Et ea quidem ipſa Numina Latini ſuos ad Deos, nempe Theutatem ad Mercurium, Heſum ad Martem, Tanarim ad Jovem revocare ſtudebant, quod probare viſus eſt Gherardus Voſſius, ſed Bruckerus, Fenelus, aliique (*b*) rejecerunt. Notarunt enim doctiſſimi Viri, ſua cuique Genti propria Numina fuiſse; Graecos autem, atque Latinos, inepto Numina peregrina cum ſuis Diis comparandi, & celebrandi ſtudio, nihil aliud egiſse, niſi ut hiſtoriam, quae veterum populorum ritus, religionemque reſpicit, foediſſime deformarent.

Quidquid autem his de rebus ſtatui debeat (neque enim ſolvendis hujuſcemodi controverſiis locus hic eſse videtur) Gallos aliquod agnoviſse Numen ſatis aperte conſtat. Certum id erat, inter veteres, doctis praeſertim homi-

(*a*) *De B. Gall. l. 6. c. 16.*

(*b*) Voſſ. *de Idol l. 1. c. 35. p. 262.* Bruck. *Tom. 1. &c. p. m.* 328. Fenel *Tom. XXIV. de l' Acad. R. des Inſcr. p. m.* 345. ubi ejus opus incipit. *Plan Syſtematique de la Religion, & des dogmes des anciens Gaulois.* Videre potes etiam, de Religione Gallorum ſi plura cognoſcere cupias, Frickium *in libro de Druidibus*, ac Jacobum Martinum, (*Iacques Martin*) *Relig. des Gaulois.*

minibus, qui Gallorum ſapientiam, aliqua ſaltem ex parte, Graecis ipſis anteferre minime dubitabant. Cum enim barbaros ante Graecos fuiſse philoſophatos, quin & ipſius auctores philoſophiae fuiſse, probare vellent, multa, Diogene Laërtio in Prooemio narrante, hanc in rem afferebant, quae ſi non id conficiunt, quod ipſis propoſitum fuerat, id ſane demonſtrant, quod nos maxime volumus: nempe mores eorum, & inſtituta laudabant, qui ſapientiae laude, barbaros inter, clareſcere viſi fuerant, ut philoſophis omnino digna fuiſse, fidem facerent: Gymnoſophiſtas ex Indis, ac Druidas ex Gallis proferebant, quorum multa fuiſſent de Virtute, ac de Religione, etſi obſcuris quandoque verbis, aut ſententiis involuta, tamen & cogitata ſapienter, & graviſſime dicta: divinam colendam eſſe Naturam, nihil mali faciendum, fortitudinem exercendam, aliaque ſimilia.

Sed quoniam nomine Celtarum etiam Germani, quin & aliquando Britanni, atque Hiſpani, auctore Bruckero, veniunt, jam de populis iis aliqua commentemur. Jam porro de Germanis Julius Caeſar ſcriptum reliquit, eos quidem Druidas non habere, neque Deos ab aliis receptos colere, ſed Soli, Vulcano, atque Lunae divinos honores tribuere. Tacitus autem, cum Germanorum referret mores, praecipue Deum, qui Tuiſton appellaretur, quem nocti praeſidentem ſui generis jactarent auctorem, veneratos eſſe declarat. (*a*) Neque vero tantum inſcia turba Religioni, ſeu potius ſuperſtitioni, ſerviebat; ſed fuiſſe, quemadmodum apud caeteros populos, ita etiam apud Germanos, paulo cultiores homines, qui ſe Miniſtros Deorum, & eorum bene conſcios jactarent, ex eodem Tacito diſcimus: Et hic quidem aetate ſcripſit, qua Germanorum mores, atque ſententiae, magis, quam aetate Caeſaris, innotuerant.

Neque tamen hic ea ſolvere, quae de Germanorum Religione dubia ſunt, in animo nobis eſt, de quibus Elias Sche-

(*a*) *De Mor. German. C.* 2.

Schedius, Bruckerus, Fenelus, Freretus, conſuli poſſunt (*a*). Nos aliqua curſim attigimus, ut aliquam ab iis populis ſervatam fuiſſe Divinitatis notionem, aequus lector judicare poſſit, etſi denſiſſima foedae ſuperſtitionis caligine depravatam.

Jam, quod pertinet ad Britannos = *moribus*, inquit Strabo (*b*), *partim Gallis ſimiles, partim ſimpliciores, magis barbaros* = nulla ratio proferri poteſt, cur a reliquis Celtis in toto negotio Religionis omnino diſſenſiſſe videantur: neque vero debet prorſus hoc loco negligi, quod idem Strabo memoriae prodidit (*c*); ideſt = *hoc tempore quidam ejus loci* (Britanniae) *principes, legationibus, & obſervantiis, Auguſti Caeſaris amicitiam comparantes, in Capitolio dona Deis obtulerunt* =.

Longe validiora ſunt argumenra, quae poſſemus ex eodem Strabone deſumere, ut Hiſpanos, aliquando Celtarum ipſo nomine venientes, ſacrificiis, atque precibus Deos veneratos fuiſse, doceremus. At id neceſsarium eſse non ducimus, cum eos populos non ab omni fuiſse religione alienos, Viri docti aſsentiantur.

Iidem facile concedere ſolent, ex incerta fama potius, quam ex animi ſui ſententia, loqui Strabonem, dum Callaicos, barbara populum crudelitate famoſum, qui veteris plerumque Luſitaniae montana teneret, Atheos habitos eſſe commemorat. Ait enim, ut Vir non minus eruditione, quam eloquentia, & diſserendi ſubtilitate clarus Valſechius advertit (*d*) = *Callaicis Deum nullum eſſe quidam ajunt* (*e*) =. Sane quod Scriptor accuratus Hiſpanorum mores, religio-

(*a*) Elias Schedius *de Diis Germanorum*, Bruck. *Tom. I. L. II. C. IX*, Fenel *Tom. XXIV. de l' Acad. R. des Inſcript.* in opere, de quo ſuperius diximus, Freret *eod. To. XXIV. de l' Acad. R. &c.* De Religione illorum, qui Daniam, finitimaſque regiones incolebant, vide librum, cui tit. = *Introduction a l' hiſtoire de Dannemarc, par M. Mallet* =.

(*b*) *Lib. III. p. m.* 400.

(*c*) *Ib. p. m.* 401.

(*d*) *Lib. I. C. IX. p. m.* 207.

(*e*) *Lib. III. p. m.* 328. In Graeco Apographo *L.* 3. *p. m.* 164. = Ἔνιοι δὲ τοὺς Καλλαϊκοὺς ἀθέους φασὶ =.

nemque deſcribens, quid ipſe ſentiat, exponat, ac de Callaicis tantum, quid aliis quibuſdam viſum fuerit, eodem loco narret, indicio eſt, nihil ipſum habuiſse, quod hac in re ſequi poſset, praeter rumores quoſdam, non ita gravibus teſtimoniis, aut conjecturis innixos.

Una ex iis conjecturis eſſe poterat, quod, eodem Strabone teſte = *nulla educatione inſtituti, ſed ad neceſſitatem magis, & brutarum animantium affectione, depravatiſque moribus vitam agant* = Quamvis autem id Strabo de populis univerſis earum regionum affirmet, facilius tamen ſuſpicionem illam de Callaicis, quam de reliquis ingenerare poterat. Etenim eoſdem efferatis praeter caeteros fuiſſe moribus, ſimulque minus, quam caeteros, Romanis innotuiſſe, facile poſſumus ex eodem Strabone colligere.

Verior haec mihi reſponſio videri ſolet, quam alia quaedam paucis verbis ab eodem Valſechio ſignificata; ſcilicet ex eodem Strabone colligi, Callaicos etiam ſacrificia peregiſſe. Hanc eamdem reſponſionem Joannes Hooke indicaverat, ſed, ut ingenue fatear, omnino debili fundamento ſubnixam. Etenim non Callaici, verum Celtiberi, vicinique populi ad Boream ſpectantes, ab eodem Strabone ſacra feciſſe perhibentur. Id autem non probat, quod eadem ſacra Callaici, Luſitaniae partem occupantes, coluerint; praeſertim cum barbaros eoſdem populos, inter ſe, perpetuas, & implacabiles inimicitias exercuiſſe, memoriae proditum fuerit.

At quidquid de reſponſione iſta doctiſſimorum hominum ſtatui debeat, certe non erat, cur Baylius tam ſaepe Callaicos maxime barbaros, proferret in medium, ac nobiliſſimum ſeſe triumphum de ſuis adverſariis, eorumdem ope, relaturum eſſe confideret. Etenim ſtultitiae genus eſſet, propter ambigua illa Strabonis verba, vel potius incertam illam famam, ac fortaſſe vulgarem, cui ne Strabo quidem ipſe fidere videtur, putare; nobiliſſimos philoſophos, & hiſtoricos, fuiſſe mentitos, vel certe fuiſſe deceptos, cum gen-

gentium omnium, ipſorumque barbarorum conſenſum, in agnoſcenda vi, Naturaque divina, tantopere praedicarent.

CAPUT XIII.

De Etruſcis

ANtiquiſſimos illos Etruſcos, de quibus aliquid memoriae proditum fuerit, Ἀθεότητος manifeſte poſtulari, ne recentiores quidem apud Scriptores, Atheis omnia complentes, adeo facile invenias. At Pantheiſmi damnant Etruſcos etiam nonnulli, qui Pantheiſtas omnes Atheos, ac Spinoſianos faciunt. Hinc, ſi conſtare ſibi velint, Etruſcos illos antiquiſſimos non aliam habuiſſe doctrinam, quod pertinet ad Religionem, niſi Atheorum propriam, concedant neceſſe eſt.

Equidem, quid proprie de Natura divina vetuſtiores illi docuerint, in tanta rerum obſcuritate, vix poſſe probabili ratione definiri, cenſeo. Etenim libros priſcorum illorum Tagetis, Labeonis, Terquitii, Aruntis, hominum videlicet Etruſcorum de religione tractantium (*a*), eadem fortuna nobis invidit, quae tot, ac tam praeclara vetuſtatis ultimae monumenta perdidit. Aliqua nobis Auctores, neque ſatis antiqui, neque ſatis, hac quidem in re, probatae auctoritatis tradunt, quae diſputandi materiam eruditis praebent.

Nam alii quidem de ſummo rerum omnium conditore Deo, mundique origine, ſatis illos recte ſenſiſſe volunt (*b*), alii contra, quod jamdudum ſignificavimus, magnam ſibi videntur in illis impietatem doctrinae deprehendere (*c*).

Porro veteres inter Auctores, qui de gentis illius do-

M 2 ctri-

(*a*) Vide de his Thomam Dempſterum *in Rom. Antiq.* Roſini *lib. III. c.* 8. *ſeqq.* Thom. Brunet. *Archaeolog. c.* 2.

(*b*) E. g. Auctores *Hiſtor. Univerſ.* Angli *p.* 139. Cudworthus *Syſtem. Intellect. C. IV.* §. 25. *p.* 538. *ſeqq.*

(*c*) Vid. Joannes M. Lampredi, *Saggio ſopra la Filoſofia degli Etruſchi*.

ſtrina loquantur, eſt Seneca Stoicus, cujus teſtimonio Cudworthus non mediocriter confidere viſus eſt. Etenim ille cum, de fulminum a Jove miſſione diverſa quid Etruſci docuiſsent olim, expoſuiſset, haec ſubdit (*a*) = *ad coërcendos animos imperitorum ſapientiſſimos viros judicaſſe inevitabilem metum, ut ſupra nos aliquid timeretur .... nec hoc quidem crediderunt, Iovem, qualem in Capitolio, & in caeteris aedibus colimus, mittere manu fulmina, ſed eumdem quem nos* (Stoici) *Iovem intelligunt, cuſtodem, rectoremque univerſi, animum, ac ſpiritum, mundani hujus operis dominum, & artificem* =. Per ea verba Jacobus Bruckerus Stoicam de Deo ſententiam non obſcure veteribus illis Etruſcis adſcribi putat (*b*). Addit enim Seneca = *nomen ei omne convenire, Fati, Providentiae, Naturae, Mundi* = ſic ut Deus ipſe nihil ſit aliud, niſi = *totum quod videmus, totum ſuis partibus inditum, & ſe ſuſtinens vi ſua* = Idem autem Etruſcis, non ſecus ac Stoicis, viſum eſſe aſſerit. Concedit quidem Bruckerus auctoritatem hac in re Senecae = *hominis Stoici ſuſpectam eſſe poſſe* = Nihilominus conjecturam hanc ſuam proponit = *de Deo ad mentem Stoae Etruſcos ſenſiſſe, eumque pro anima mundi penetrante, ſpirituque, ex quo ſunt nata omnia, parteque univerſi habuiſſe* =.

Haec Bruckeri ſententia de veterum Etruſcorum mente mihi ſatis arridet. Neque ut ab ea diſcedam illa faciunt, quae ad ſaniores iiſdem ſenſus affigendos Clariſs. Agatopiſtus (*c*) ex Suida protulit. Habet autem Suidas *Coſmogoniam* Anonymi Tyrrheni (*d*), quae potius hiſtoriae Moſaicae, quam Stoicae fabulae, quaedam, licet confuſa, lineamenta praeſeferat. Quis tamen unius auctoritate Suidae tamquam genuinum vetuſtiſſimi Tyrrheni Scriptoris opus recipiat? quod, ſi genuinum fuiſſet, credibile non eſt, tot, atque tantorum, ante Suidam, hominum, ejus generis monu-

(*a*) *Natur. Quaeſt. L. II. C. 41.*
(*b*) *H. C. Tom. I. &c. p. m. 344.*
(*c*) *Vol. I. della Iſtoria &c. d'ogni Filoſ. C. XI. p. 295.*
(*d*) Vid. Τυῤῥηνία.

numenta colligentium, ſollertiam effugere potuiſſe. Verum haec omittamus. *Noſtrum* enim non *eſt tantas componere lites*.

Hoc tantum dico: vetuſtos illos Etruſcos, aut ſententias omnino ſimiles Stoicorum placitis amplexi fuerint, aut purius, ac ſanctius de Natura divina ſenſerint, Atheos exiſtimari, niſi injuria, non poſſe. Imo quod Etruſci fortaſſe cum Pantheiſtis antiquis eadem fere docuerint, neque tamen omnem prorſus Divinitatis notionem abjecerint, id confirmat, quod primo noſtro libro tantopere moliebamur; nempe longe aliud eſſe Deum nullum inducere, ac ad mundum ipſum Divinitatis notionem, quantumvis implexam, confuſamque traducere.

Sane, quod illi vim aliquam eſſe viderint, Naturamque divinam, multis argumentis oſtendi poteſt. Etenim non modo divinandi artem jam ab antiquiſſima Tagetis aetate (*a*) coluerunt, & ea quidem ratione coluerunt, ut non a vi telluris, aut ſpecuum quorumdam halitibus, aut a certo furoris genere, ſed tantum a Deorum ope repetere potuiſſe videantur; ſed & incredibile quoddam Deos pie, ſancteque colendi ſtudium, eoſdemque ſacrificiis, ac caeremoniis placandi, praeſetulerunt. Hinc & Cicero ſaepe Romanos ab Etruſcis plurima ad religionem pertinentia accepiſſe fatetur, & a Livio Gens Etruſca dicitur (*b*) = *ante omnes alias eo magis dedita religionibus, quod excelleret arte colendi eas* = & ab Arnobio (*c*) = *Genitrix, & mater ſuperſtitionis Etruria* = nominatur.

Praeterea veteribus illis Etruſcis fuiſſe perſuaſum, in alia vita bonos manere praemia, improbos autem ſupplicia, quae doctrina ſine Divinitatis aliqua cognitione apud gentem ingenii gloria nobilem ſtare vix poteſt, non modo libri, ſed & aliorum generum monumenta declarant. Oſtendit id, praeter caeteros, Cl. Bonarrotius, quem Valſechius pro-

(*a*) Vid. Cicer. *L. II. Divin.* Ovid. *Metamorph. L. XV.* 12. Ammian. Marcellin. *L. XXI.* Lucan. *Pharſal. I.*

(*b*) *Libro V. C. I.*

(*c*) *Lib. VII.*

producit (*a*). Ait enim de tabulis antiquis, quas illuſtrandas ſuſcepit: = *Harum ergo tabularum ope diſcimus, Etruſcis communem cum Graecis, & Latinis de Inferorum cruciatibus, qui in hac pictura expreſſi videntur, opinionem fuiſſe* = Picturam autem, quam dicit, apud ipſum Bonarrotium videre potes. Idem addit = *Ut apud Etruſcos viguit Inferorum opinio, ita ipſos Beatorum loca, tamquam Graecorum, & Latinorum, Elyſios ſtatuiſſe, collocaſſeque in ultimo Oceano, ſuadere videntur anaglypha urnularum, quarum exempla appoſita ad ornamentum in fine Praefationis &c.* =

His, inquam, aliiſque rationibus, Etruſcos habendos non eſſe Atheos, facile probatur. Quod ergo ſimilia Stoicis, aliiſque Mundum ſtatuentibus Deum, ſentire viſi fuerint, non aliud ſuadet, niſi eos, qui talia ſenſerint, quamvis impios, non tamen Atheos eſſe judicandos.

CAPUT XIV.

De barbaris quibuſdam Africae populis.

IN Africam ex Italia deſcendentibus plures occurrunt gentes, injuria per Scriptores aliquos ultimae illius impietatis accuſatae, quarum patrocinium ſuſcipere debeamus. Primo quidem Numidas Afros, non ſecus atque Scythas, & Seras, Atheos habuiſſe videtur Celſus (*b*), famoſus ille non Origenis modo, ſed & Chriſtianae Religionis inimicus. Eos nimirum omnino putavit exleges, & hinc etiam Religionem omnem ignorare, vel aſpernari judicavit: nempe arbitratus eſt in agris, & in ſilvis vitam ferino more tolerantes nihil agnoviſſe, quod ad fovendam ſocietatem, quocumque tandem modo, pertineret.

At nihil tale veteres tradunt, qui gentis illius meminerunt in hiſtoria Romana ſatis cognitae. Ex iis enim ſuos habuiſſe Reges, atque hinc Societatis aliquod genus coluiſſe,

quae

(*a*) *L. I. C. VIII. p. 197.*

(*b*) *Ap. Orig. l. 7. contr. Celſum.*

Digitized by Google

quae ſine Religione coire, atque conſiſtere numquam viſa eſt, ſatis apparet. Quare & Virgilius (*a*) Jarbam, Numidis etiam illis imperitantem, Deos agnoviſſe, ac rerum humanarum penes eoſdem procurationem eſſe putaviſſe, ſignificat, & Cicero (*b*) Maſiniſſam exhibet grates agentem Soli, reliquiſque Coelitibus, quod antequam ex hac vita migraret, conſpiceret in ſuo regno, ſuiſque tectis P. Cornelium Scipionem, cujus ipſo nomine recrearetur.

De Maſiniſſa quidem ipſo, quem Reges multi praeceſſerant Numidiae dominati, haec ſcribit Strabo (*c*) = *Ipſe Numidas civiles, & agricultores reddidit, & pro latrocinio eos militiam docuit. Sed profecto peculiare quiddam hominibus iis contigit. Nam cum regionem foecundam incolerent, quamquam feris abundantem, iis omiſſis, & agri colendi ſtudio, licentius inter ſeſe convertebantur: & regione feris dimiſſa, vagam, & inſtabilem vitam agebant, non ſecus, quam qui ob inopiam, & locorum ſterilitatem, & aëris inclementiam, ejuſmodi vitae genus eligunt. Quare Maſſaeſilii id nomen aſſecuti ſunt (Numidae enim vocantur). Neceſſe quidem hos inopes eſſe, & plerumque radices edere, & carne, & lacte, & caſeo nutriri. Cum vero diu Carthago deſerta permanſiſſet, eodem fere tempore, quo & Corinthus rurſum a Divo Ceſare per id fere tempus inſtaurata eſt, miſſis eo colonis, quicumque vellent, & ex militibus nonnullis, & nunc quoque bene habitatur, ſi qua alia Libyae urbs &c.* = Haec Strabo de Numidis, cui Scriptores alii conſentiunt.

Ex iis autem omnibus nihil minus apparet, quam legibus prorſus omnibus Numidas, aetate Celſi, caruiſſe, quibus vel ab inſidiis, & injuriis, cum vitam, tum vitae commoda, vel ſanctitatem alicujus Religionis ab impietate tuerentur (*d*).

Na-

(*a*) Virgil. *Æneidos lib.* 4.

(*b*) *In Somnio Scipionis.*

(*c*) *L. XVII. p. m.* 709. Similia dixerat *L.* 2. *p. m.* 262.

(*d*) Joannes Boccaccius (*Boccaccio*) *in Praef. Geneal. Deor.* ſumit, ut rem ſatis certam, quod = *inſania veterum, ſcilicet cupientium*

Naſamones tamquam Atheos Dionyſius Periegetes arguit (*a*). Reſpondet Hookius (*b*), ea, quae Dionyſius habet = *nullo alio teſtimonio confirmari, & ad impios illorum populorum mores referenda eſſe* = Profecto norunt eruditi homines non adeo ſpectatam, his praeſertim in rebus, eſſe Scriptoris illius auctoritatem, ut, ne quidquam ei detrahatur, populo, cujus mores non ita facile notiſſimos habere poterat, adeo turpis nota ſit infligenda.

Sed hic Baylius occurrit, ac Naſamones conſenſui, de quo loquimur, humani generis, non minus quam ſuos illos Callaicos, opponi arbitratur (*c*). Etenim de Augylis haec ſcribit Plinius (*d*) = *Augylae inferos tantum colunt* = Pomponius autem Mela (*e*) = *Augylae Manes tantum Deos putant: per eos dejerant: eos oracula conſulunt: precatique, quae volunt, ubi tumulis incubuere, pro reſponſis ferunt ſomnia* = Jam vero Augylas eoſdem eſſe atque eos, quos Herodotus (*f*) Naſamones appellat, ad eum Pomponii locum Iſaacus Voſſius oſtendit. Quid vero de Naſamonibus habet Herodotus? Nimirum eos per Majores ſuos fuiſſe jurare ſolitos, & putaviſſe futura ſe poſſe Majorum eorumdem beneficio praeſcire, dum ſomnum ſuper illorum ſepulchra caperent.

His autem animadverſis en tota Baylii ratio. Majores a Naſamonibus culti ſunt iidem, ac Manes, de quibus Pomponius Mela. Hic autem tantummodo Manes apud eam gentem cultos fuiſſe teſtatur. Majores igitur tantum, hoc eſt vita functi homines, culti ſunt a Naſamonibus. Non igitur illi Divinitatem venerabantur, aut agnoſcebant. Etenim, quae ducitur ex Pomponio ratio, ſimili modo ex illo Plinii teſtimonio ducitur.

At

tium ſe baberi divino procreatos ſanguine = totum orbem invaſerit = *ſic*, inquit, *& omnem Lybiae, atque Syrtium, & Numidiae oram labefactavit, & Atlantiacos, occiduique maris ſinus, & Heſperidum bortos &c.* = Eadem de Garamantibus &c

(*a*) *Perieg. v* 210.

(*b*) *Rel Nat. To. I. &c. p.* 13.

(*c*) *Réponſ. aux queſtions &c. III. Part. C. XII. p.* 930. *To. III. Oeuvr.*

(*d*) *L. V. c.* 8.

(*e*) *L. I. c.* 8.

(*f*) *L. IV. c.* 172.

At primo quidem, quamvis, quod maxime ✓ t Baylius, concederem, hoc eſt Majores tantum a Naſamonibus fuiſſe cultos, non tamen ea, quam elicit, optima conſecutio dicenda eſſet. Etenim reponi poſſet barbarum populum in eadem, qua vulgus Ethnicorum inter Graecos, atque Latinos, quos tamen Critici emunctae naris inter Atheos numerari non ſinunt, fuiſſe ſtultitia; ut magnos putarent, homines in Deos poſſe converti, &, qui antea mortales erant, immortalis cujuſdam fieri, praeſtantiſſimaeque Naturae participes.

Deinde Baylii ratione quid afferri poteſt infirmius, cum id ſumat potius, quam probet, in quo totus controverſiae cardo ponendus eſſet? ideſt Majores illos Naſamonum, de quibus Herodotus, eoſdem eſſe atque Manes, de quibus Pomponius, aut Inferos, de quibus Plinius. Poterat enim ille populus & Majores colere, & alia quaedam Tartarea Numina Manium illo, vel Inferorum, longe, lateque patente, nomine comprehenſa. Neque enim Herodotus ullo modo teſtatur, praeter Majores ſuos, non alia Naſamones Numina fuiſſe veneratos.

Vidit, niſi fallor, ipſe Baylius hanc reſponſionem adhiberi facile poſſe. Itaque, ut eam praeverteret, non magnopere ſe pugnaturum ait, ſi quis pertinaciter Manes illos a Majorum umbris diſtingui jubeat: id enim non magnopere ipſi adverſario profuturum. Nam ſtultitia, inquit, nec levis eſſet, cum nullam in Coelo, vel in Aëre, aut in Mari, aut in Tellure dominantem Divinitatem eſſe putaveris, ſi eamdem in Inferis regnantem agnoſcas.

Haec omnia ultro concedi poſſunt. Quid tamen hinc ſequitur, niſi ſtultiſſimos fuiſse Naſamones, de quo non agimus, ſed tamen ſtultiſſimis hominibus aliquam illuxiſse Divinitatis notionem, etſi valde confuſam, de quo maxime agimus?

Cave enim putes, Infernos Deos, improbos, aut humano generi noxios a Naſamonibus fuiſse habitos. Illi enim

potius, ut ex eodem Pomponio, ac Plinio diſcimus, Solem execrabantur, & orientem, & occidentem, ut ſibi, agriſque ſuis iniquum. Nocte igitur illi delectabantur, ac propterea Tartareis Numinibus, quae Nocti praeeſsent, & bonorum omnium, quibus fruantur homines, certiſſimi eſsent auctores. Nempe ſtultitia fere tenebantur eadem, qua vetuſtiſſimi Germaniae populi, Tuiſtonem illum parentem ſuum, cui Plutonem Latini reſpondere putabant, ſumma religione, diviniſque honoribus proſequuti.

Alia omittimus ex primo noſtro libro facile colligenda, quibus liceret nobis nullo fere negotio Baylii conatus infringere.

Ex iis autem, quae diximus, vides, cur fama, quam Dionyſius Periegetes ſecutus videtur, Naſamones Atheos ferret, qui ſcilicet Deos, a caeteris populis maximo in honore habitos, averſarentur. Vides etiam quid ſibi Strabo voluerit, gravior Dionyſio ſcriptor, & eruditione, judicioque praeſtantior. Etenim Æthiopum ille mores deſcribens, ac religionem, haec habet (*a*) = *Ex iis qui ad torridam habitant, nonnulli ſunt, qui Deos non colunt; quos etiam Soli dicunt infenſos eſſe, & deteſtari, cum eum exoriri vident, propterea quod eos urat, & oppugnet, atque ob id in paludes fugere* =.

Reſpondere quidem poſſumus, non de aliquibus populis, at de aliquibus hominibus Strabonem verba facere. Hoc ſi concedatur, quid jam Baylii diſcipuli, aut clientes, teſtimonio Strabonis evincent? Aliquos, credo, apud Æthiopas Atheos fuiſſe. Quid inde? Non omnes ergo populi Deum eſſe aliquem confeſſi ſunt? Mirum ſane conſecutionum genus hoc eſſet, & cauſa, cui Baylius ſerviebat, quam Baylii ingenio, dignius. At poſſumus etiam, ut ſignificavimus adverſario largiri de populo quodam integro, ac ſi forte vult de Naſamonibus omnibus, non de paucis quibuſdam hominibus, eſſe Strabonem intelligendum. Ipſi tamen haerebit aqua, ſi cum Io. Alberto Fabricio, & cum Joanne Hookio

(*a*) *L. XVII. p. mihi* 688. *Bruckero* 779. *Hookio* 813.

kio (*a*) Atheos dicamus, apud Strabonem, eadem illa de cauſa, quam attigimus, fuiſſe vocatos, quod ſcilicet ipſum, qui tantus, ac tam praeſens a reliquis populis habebatur Deus, Solem execrarentur.

Alia conjectura magis arridet duobus item clariſſimis Viris Gherardo Voſſio, & Jacobo Bruckero (*b*), quam ipſius Bruckeri verbis propono = *De Diis, rebuſque divinis ita ſtatuiſſe dicuntur* (Æthiopes) *ut quidam, qui ad zonam torridam habitant, exiſtimentur Athei. Ita Strabo lib. XVII. p.* 779. *Non tamen haec ita intelligenda ſint, quaſi nullius Numinis ſenſu tacti fuerint: ſed opponitur id moribus caeterorum Æthiopum, quos Deorum numina Ægyptiaco more ſub variis imaginibus coluiſſe ſupra monuimus* = Quaenam ex iis conjecturis verior ſit, dijudicare parum refert.

Potius hic advertendum injuſtos, aut certe leves homines illos fuiſſe, qui nationem Æthiopum univerſam, tam amplas Africae regiones occupantem, in Atheorum numerum venire cenſuerunt. Etenim Scriptores optimae notae (*c*) non modo Deorum cultores Æthiopas exhibent, ſed pietate quadam in Deos omnino ſingulari ſpectatos fuiſſe teſtantur.

Inſtar omnium ſit nobis Homerus, qui Jovem illum Opt. Max. apud *integros vitae, ſceleriſque puros* Æthiopas convivium, cum caeteris Numinibus ipſum ſequutis, celebraviſſe ſcribit (*d*); ad quem Homeri locum legendus Jo-

 ſephus

(*a*) Fabr. *Bibliogr. Antiq. C.* 8. §. 3. *p.* 229. *Hook. T. I. p.* 13.

(*b*) Voſ. *de Idol. L. I. C. I. p.* 6. Bruck. *H. C. T. I. l.* 2. *C.* 8. §. 4. *p.* 308. *&* 309.

(*c*) Ex. gr. Diodorus Siculus, & Strabo.

(*d*) Hom. Ιλιαδ. α

> Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
> Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Eum locum ita vertit (*Canto I. Stanza* 81. *p.* 21.) Joſephus idem Bozolus, cujus ore ſpiritus Ludovici Arioſti, ſed verecundi jam, & pudici, canere videtur.

> *Ma di Saturno andò l' augusta prole*
> *Pur jer, dell' Etiopia al lito aduſto,*
> *Con la ſchiera celeſte, che quì vuole*
> *Col popol convitar ſemplice, e giuſto.*

ſephus Bozolus, Vir eruditiſſimus, mihique amiciſſimus, quem neſcio tamen utrum elegantia doctrinae, an ſuavitate morum cariorem habere debeam (*a*). Is enim Diodori teſtimonio probat, Æthiopas pomparum, ſacrificiorum, ac magnifici, feſtique cultus auctores fuiſſe, quo Deos Ethnici proſequebantur. Hinc pietatem ipſorum a doctiſſimo poëta celebrari. Quod autem Jupiter cum caeteris Diis in Æthiopiam deſcendiſſe dicatur, ejus temporis celebritatem reſpicere, quo tempore, ſi fides Euſtathio, Dioſpolim quotannis, in urbem ingenti Templorum numero diſtinctam, ſeſe conferebant Æthiopes, ut Jovis, Deorumque caeterorum ſimulacra, per totam Lybiam inde aſportata, circumferrent: quo quidem ipſo tempore ludis, atque conviviis, per duodecim dies vacare conſueverant. Hinc illud, apud Homerum, duodecim dierum intervallum, quo Jupiter ad Æthiopas digreſſus abeſt Olympo.

Melior haec, a Clariſſimo Viro prolata, fabulae totius enucleatio mihi videri ſolet, quam altera, quae Macrobio placuit. Ille enim, Platonicorum recentiorum more, nihil non molitur, ut arcanos quoſdam, abditoſque ſenſus, in ea ſchola probatos, philoſophis Ethnicis, ipſiſque poëtis, aliqua ratione ſupponat. Ait autem (*b*) = *Hoc eſſe volunt, quod Homerus, divinarum omnium inventionum fons, & origo, ſub poëtici nube figmenti verum ſapientibus intelligi dedit, Jovem cum Diis caeteris, ideſt cum ſtellis, profectum in Oceanum, Æthiopibus eum ad epulas invitantibus. Per quam imaginem fabuloſam Homerum ſignificaſſe volunt, hauriri de humore nutrimenta ſideribus, qui ob hoc Æthiopas Reges epularum participes coeleſtium dixit: quoniam circa Oceani oram nonniſi Æthiopes habitant, quos vicinia Solis uſque ad ſpeciem nigri coloris exuſſit* =.

Caeterum ſi cui tam alte repetita, atque adeo contorta, ſatisfaciat explicatio Macrobii, videbit tamen, opinor,

(*a*) *Annotazioni al Canto I. St. 81. p. 205.*
(*b*) *Lib. II. Saturn. Cap. 10.*

nor, divinum poëtam nullo modo decorum, ac vero ſimile ſervaturum fuiſſe, ſi, cum nullis reprehenſionibus obnoxios, tum Deorum immortalium hoſpites, atque convivas induxiſſet Æthiopas, qui juſta impietatis ſuſpicione premerentur.

CAPUT XV.

Ægyptium ſaltem populum jure Atheum haberi non poſſe probatur.

QUI veterum libros, Graecorum, ac Latinorum, verſare aſſueverit, fortaſſe mirabitur, cur gentem Ægyptiam, ita ſuperſtitioni deditam, ut ob hanc maxime cauſam Scriptoribus illis ludibrio, nec ſine magna ratione, fuerit, ab impietatis oppoſitae nota vindicandam hoc loco ſuſcipiamus. Sed in ea jam incidimus tempora, quibus ii praecipue, qui ſtant a Spinoſa (*a*), vel a Baylio, cum patrocinium Atheis ex omni aetate, gentibuſque fere omnibus quaererent, etiam Ægyptios in illud illuſtre collegium referre, minime dubitarunt (*b*).

Nituntur autem ii praeſertim Chaeremonis, quem Euſebius Caeſarienſis ſecutus eſt, auctoritate. Etenim Chaeremonem citat Euſebius (*c*), ut ab Ægyptiis ſidera tantum, & homines in Deorum numerum relatos cultos fuiſſe demonſtret, & hinc eoſdem Ægyptios ipſe inter homines atheos, ac maxime impios, non injuria referre videatur.

An mentem Ægyptiorum illorum, quos carpit, Euſebius aſſecutus fuerit, mox videbimus. Nunc advertere praeſtat,

(*a*) Agatopiſtus Cromat. *V. I. della Iſtoria ec. c.* 13. in fine = *Benedetto Spinoſa con quella ſua fronte, che non ſeppe mai arroſſire, diſſe un tratto, che avea preſo il ſuo ſiſtema dalla più antica Filoſofia, e una folla di Libertini eſteſe sfrenatamente quella voce, e infamò tutta l'antichità* =. Haec optimus ille Scriptor, cum de Ægyptiis verba feciſſet.

(*b*) Praeter illa, quae Baylius innuit *Reponſe &c.* vid. Jo. Fr. Reimannum *Hiſt. Ath. S. II. c.* 1.

(*c*) *Praeparat. Evang. L. III. c.* 4.

ſtat, quod ille refert ex Chaeremone non ad univerſos Ægyptios, ſed ad paucos quoſdam Sacerdotes tantum, qui ſapientiſſimi caeteros inter omnes haberi volebant, pertinere poſſe. Etenim diſerte fatetur, ea, quae producit ex Chaeremone, arcana quadam Ægyptiorum doctrina contineri (*a*). Non igitur omnis eam ſequebatur Ægyptus. Hinc, etiamſi Atheos Euſebius appellet Ægyptios, non tamen univerſam gentem, ſed eos tantum, qui peſſima, quam deſcribit, doctrina delectabantur, carpere voluiſſe, mihi videri ſolet: praeſertim cum Euſebius idem, aliis in locis, ſententias alias Ægyptiorum exponat, quae non tantum ſidera, vel homines, ſed cauſam aliam, conſilio, ſapientiaque vigentem, ab iis cultam fuiſſe declarant.

Nam & in eodem Euſebius opere, cum de Numine, quod ſummum Phoenices habebant, ac ſub imagine ſerpentis venerabantur, verba faceret, hoc idem ab Ægyptiis fuiſſe receptum, & Κνὴφ vocatum affirmat, ac primum ab illis, atque maximum inter Deos habitum fuiſſe, non obſcure ſignificat (*b*). Haec libro primo. Sed clarius libro tertio Mundi conditorem Κνὴφ ab Ægyptiis agnoſci tradit, qui magnum ex ore illud ovum emiſerit, in quo rerum haec univerſitas tota concluderetur (*c*).

Hanc eamdem de ſummo mundi auctore, ac parente quem Κνὴφ appellabant, doctrinam, quae mundi ortum a prima intelligente cauſa indicat, aut potius obſcurat, ſed aliqua tamen ratione ſumit, ſaltem plurimis Ægyptiis placuiſ-

(*a*) Ibidem = Ἡ τῶν Αἰγυπτίων ἀπόῤῥητος θεολογία οὐδὲ ἄλλους πλὴν τῶν κατ' οὐρανὸν ἀστέρων, τῶν τε ἀπλανῶν ἐθεολόγει &c. =.

(*b*) *Praep. Evang. L. I. c.* 10 = Φοίνικες δὲ αὐτὸ ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν ὁμοίως καὶ Αἰγύπτιοι Κνὴφ ἐπονομάζουσιν ... τὸ πρῶτον ὂν θειότατον ὄφις ἐστὶν ἱέρακος ἔχων μορφὴν =.

(*c*) *Praepar. Evang. L. III. c.* 9. = Τὸν δημιουργὸν, ὃν Κνὴφ οἱ Αἰγύπτιοι προσαγορεύουσιν ... τὸν δὲ θεὸν τοῦτον, ἐκ τοῦ στόματος προϊέσθαί φασιν ὠὸν ... ἑρμηνεύουσι δὲ τὸ ὠὸν τὸν κόσμον = Hinc ovum mundi ſymbolum in veteribus Ægyptiis monumentis non raro invenias. Similis Orpheo doctrina tributa eſt. Etenim, ut hic docuiſſe dicitur apud Athenagor. *Legat. pro Chriſt. n.* 18. = Ὁ Ἡρακλῆς ἐγέννησεν ὑπερμέγεθες ὠὸν, ὃ συμπληρούμενον ὑπὸ βίας τοῦ γεγεννηκότος ἐκ παρατρίβης εἰς δύο ἐῤῥάγη &c. =.

cuiſſe, multis aliis argumentis oſtendi poteſt. Nam primo quidem Cl. Mignotius, Vir in hiſtoria Philoſophiae magnam partem illuſtranda non ſine magna laude verſatus, cum ingenitum mundum a veteribus Ægyptiis fuiſſe poſitum, ex eadem, quam nobis adverſarii objiciunt, Euſebii auctoritate colligat, &, eodem Euſebio, & Horo Apolline (*a*) teſtibus, non alias rerum cauſas, quam ſidera, cognitas ab iiſdem fuiſſe confirmet, ex eo tamen numero Thebaidis incolas, hoc eſt Ægyptios, neque obſcuros profecto, neque paucos, eximendos eſſe, non modo fatetur, ſed etiam probat (*b*). Affert enim Plutarchum, qui Thebaidis incolis numquam perſuaderi potuiſſe ſcribit (*c*), ut mortalem quemquam haberent, aut vocarent Deum, ſed tantum hoc nomine dignum iis fuiſſe viſum, quem Κνὴφ appellant, ingenitum eumdem, & immortalem. Hunc autem Deum a Phoenicibus eos accepiſſe putat Mignotius, qui ſub imagine Serpentis (etenim ſub ea Κνὴφ exhibebant) primam hujus mundi cauſam, intelligentia, ſapientiaque praeditam, agnoſcerent, atque colerent.

Alia poſſent etiam proferri monumenta, quae Mundi auctorem, quamvis non dignis tanto Numine figuris (*d*) delineatum, apud Ægyptios in honore fuiſſe demonſtrarent. Sed

(*a*) *Hierogl. I.* Scriptor eſt non ſatis firmae auctoritatis, de quo vide Scriptores hiſtoriae Philoſophiae.

(*b*) *L' Abbé* Mignot. *Vid. T. XXXI. de l' Acad. R. des Inſcript. IV. Mém. ſur les Auciens Philoſ de l' Inde p. m.* 227. 228. *M.*

(*c*) *De Iſid. & Oſir.*

(*d*) In Monumentis Ægyptiacis ſaepe Deus ille Serpentis in caudam erecti, qui tamen accipitris habeat caput, & ovum habeat, mundi σύμβολον, ut diximus, invenitur. Vide *apud Auctorem de l' Antiq. expliquée To. II* tabulam 156., & apud Auctorem operis, cui titulus = *Explication de divers monumens ſinguliers, qu' ont rapport à la Religion de plus auciens Peuples &c. à Paris*, 1739 = vetuſtiſſimum vas cupreum, quod Ægyptia Numina, & alia ad Religionem Ægyptiorum pertinentia exhibet. Hic Auctor etiam affirmat *p.* 199. quae ſubjicimus = *Les Egyptiens donnoient auſſi à Cneph une forme humaine, de la bouche du quel, diſoient-ils, eſt ſorti un oeuf, d' où eſt éclos le Dieu Phta, qui eſt le Vulcain des Grecs: & cet oeuf étoit le monde, à la Divinité du quel on conſacroit une brebis, en mémoire du lait,*

Digitized by Google

Sed & alia plurima ſunt, quae celeberrimae genti Divinitatis aliquam cognitionem, quamvis enormi ſuperſtitione depravatam, fuiſſe oſtendunt. Etenim ipſae leges, quas a veteribus illis, tantopere laudatis hominibus, Mercurio, Mnevete, Seſoſtri, Boccori, Amaſi, latas inexpiabili religione cuſtodiendas arbitrabantur, ut patria colerentur Numina graviſſimis verbis praecipiebant, & piis eorumdem Numinum cultoribus aeternam, beatamque vitam ſimul cum iis tranſigendam, ſi quidquam credimus Porphyrio (*a*), promittebant. Itaque morientes Ægyptios a ſuis aeternae ſpe felicitatis non raro fuiſſe recreatos veteres apud auctores non ſemel legimus. Eaedem Ægypti leges perjuros morte mulctari jubebant, non modo quod vincula diſſolverent ſocietatis, ſed etiam quod non levem Diis immortalibus irrogarent injuriam, cujus rei gravis, ac locuples teſtis Diodorus Siculus (*b*) conſuli poteſt.

Quin etiam in ipſa populi religione tot ridiculis minorum Gentium Numinibus unum ſummum Hammona, quem Graeci Jovem ſuum eſſe voluerunt, fuiſſe praefectum ab Ægyptiis, Vir eruditiſſimus Cudworthus oſtendit (*c*). Quamquam autem non omnia, quae ad vindicandam Ægyptiorum religionem ille protulit, acerrimo Critico Moshemio (*d*) probari potuerunt, aliqua tamen probabili non eſſe reſponſioni obnoxia videntur; aut, ſi non illud efficiunt, quod ipſe vult, ſaltem, quod nos volumus, aperte declarant.

Etenim ſupremum Numen ille videt, ipſumque Deum a Moyſe praedicatum tantum non agnoſcit, in illa notiſſima in-

lait, qui avoit ſervi de nourriture aux premiers hommes = ad hoc poſtremum confirmandum affert Eus. *Pr. Ev. L. III. c.* 11. *p.* 115. Aliquando ille Deus exhibetur ſub hominis figura plumis involutum gerentis caput, quod rerum divinarum obſcuritatem ſignificare dicunt eruditi. Nomen ipſum Κνφ idem atque latina vox *Obſcurus*, aut *Non viſibilis*, notare volunt. Aliis etiam ſymbolis Ægyptii ad ſupremum Numen adumbrandum utebantur, quae nimis longum eſſet hoc loco perſequi.

(*a*) *De Abſtin. L. VI. c.* 10.

(*b*) *Lib. I.*

(*c*) *Syſtem. Int. C. IV.* §. 18.

(*d*) *Ad Cudw. ib. n.* 92.

Digitized by Google

inſcriptione (*a*), qua Templum oppidi *Saide*, vel ab ipſo populo celebratum, ab Ægyptiis inſignitum fuiſſe legimus. Habebat autem inſcriptio = *Ego ſum, omne quod exiſtit, eſt, & erit, meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit* = (*b*) Cudwortho repoſuit Bruckerus inſcriptionem illam ad *Neith*, Ægypti Deam, imo neque totius Ægypti, ſed unius tantum provinciae, pertinuiſſe: quae duae res efficiunt, ut ſummum illud Numen per eam indicatum fuiſſe, nullo modo putandum ſit.

Hanc mihi controverſiam diſceptare non vacat. Illud tantum aſſero: Inſcriptionem illam, eo loci praeſertim collocatam, atque ſervatam, involvere confuſam aliquam Divinitatis, & ſapientis, & providae, notitiam, quam vulgares etiam Ægyptii ſibi pie, ſanctеque colendam arbitrabantur.

Neceſse non eſt pluribus oſtendere, veteres Ægyptios, non impietati, quae Atheorum eſt propria, ſed oppoſitae potius, eidemque foediſſimae, ſuperſtitioni mancipatos fuiſſe (*c*), cum id Auctores probatiſſimi, Cicero, Diodorus, Suetonius, Tertullianus (*d*), aliique doceant.

Plutarchus ipſe doctrinarum Ægyptiarum venator acerrimus ea de ſuis Ægyptiis non ſcribere non potuit (*e*), quae ſubjicimus = *Ægyptiorum pleroſque colentes ipſa animalia, &*

(*a*) Placuit eadem ſententia Cl. Oleario *in Diſſert. de reb. geſtis Pauli in urbe Athen.* §. 17. *p.* 20. *ſeqq.*

(*b*) Cl. Batteuxius *To. XXVII. de l'Acad. R. des Inſcript. II. Mém. ſur le principe actif de l'Univers p.* 191. *M.* haec habet de illa inſcriptione notatu digna = *Les Savans ont trouvé une tournure trop grecque à cette inſcription pour la croire vraie dans tous ſes points. Proclus l'a rapportée dans un goût plus ſimple, & plus convenable aux Egyptiens* = Τὰ ὄντα, καὶ τὰ ἐσόμενα, καὶ τὰ γεγονότα ἐγὼ εἰμι. Τὸν ἐμὸν χιτῶνα οὐδεὶς ἀπεκάλυψεν. ὃν ἐγὼ ἔτεκον, ἥλιος ἐγένετο *&c. Lib. I. in Tim.* = Ea verba, in latinum converſa ſermonem, ita ſonant. = *Quae ſunt, quae futura ſunt, & quae facta ſunt, Ego ſum. Meam tunicam nemo detexit. Quem Ego peperi, Sol factus eſt* =.

(*c*) De variis Ægyptiorum Diis, praeter antiquos, videre potes Marſhamum *Can. Chr. Sec IV.* Pluchium, (*Pluche*) *Hiſt. du Ciel. To. I.* Gcguet. *L. II. C. IV.*

(*d*) Cic. *de Off. L. I.* Diod. *L. I & II.* vide *C. IV. b. l.* Suet. *in Tib.* Tertull. *Apolog. C. VI.*

(*e*) *Lib. de Iſ. & Oſir.*

Digitized by Google

tractantes, tamquam Deos, non ſannis modo, & irriſioni totam pene ſacrorum objeciſſe rationem, ſed & vehementem animis ingeneraſſe opinionem, quae infirmis, atque ſimplicibus meram inducit ſuperſtitionem, vehementiores autem, atque audaciores ad negandum Deos, belluinaſque cogitationes propellit =.

Juvenalis quidem (*a*) ſanctas illas gentes, in quarum hortis Numina, nempe Porrum, & Caepe, naſcerentur, ſale multo, & aceto perfricandas duxit, cui ſimilia Lucianus (*b*) habet. At non deſunt inter Criticos recentiores, qui nolint iis duobus auctoribus ea portenta credere, cum porrum, & caepe cultum ab Ægyptiis fuiſſe, Scriptores alii credulitatem, ac ſuperſtitionem ejus gentis deſcribentes, ac perſtringentes, omni aetate ſiluerint; imo gravior auctor Plutarchus, in libro de Iſide, & Oſiride adverſari videatur. Ait enim Sacerdotes Ægyptios caepam averſari fuiſſe ſolitos. Rationem illam rejicit, quam nonnullis placuiſſe innuit; quod Reginae Iſidis alumnus Dictys, dum caepas captaret, inciderit in fluvium, atque perierit. Veriorem, ut ipſe putat, eam cauſam ſubdit = *quia ſola haec planta, Luna decreſcente, vigere, & augeſcere ſolet, & caepae uſus neque caſtimoniam exercentibus commodus eſt, neque dies feſtos celebrantibus; alteris, quia ſitim creat, alteris quia lacrymas elicit* =: Jam vero, cum Sacerdotes, quorum exteriorem diſciplinam eo loco deſcribit, a caepis tantopere abhorruerint, non eſt admodum credibile, tamquam Numina eaſdem fuiſſe vulgaribus ab hominibus obſervatas.

Sed, ut haec omittamus, ſatis ex omnibus, quae diximus, conſtat, eos omnino deſipere, qui populum Ægyptios Atheum (*c*) haberi volunt. Itaque ſi doctrina, quam Ægyptiis tribuit Euſebius, non poſſet Ἀθεότητος omni ſuſpicione liberari, non aliud evinci poſſet, niſi paucos quoſdam Ægyptios Atheos fuiſſe.

Nam ad paucos tantum arcana illa doctrina pertinebat. Cer-

(*a*) *Sat. XV.*
(*b*) *In Iove Tragaedo.*
(*c*) Apud Agatopiſt. Cromat. *della Iſtoria &c. V. I. C. XIII.*

Digitized by Google

Certe narrat Clemens Alexandrinus (*a*), arcanam, atque reconditam eam diſciplinam tam ſancte fuiſſe cuſtoditam, ut non modo in vulgus emanare, qui tenebant ipſam, nulla ratione paterentur, ſed Sacerdotibus ſolis eam traderent, iiſdemque non omnibus, ſed iis tantum = *qui judicati fuerant probatiſſimi, & educatione, & doctrina, & genere* = (*b*).

Conſentit his Diodorus Siculus *Libro I. Bibliothecae*. Conſentit etiam Plutarchus in libro *de Iſide, & Oſiride*, ubi narrat = *eum, qui a bellicoſis Rex creatus eſſet, ſtatim ſe Sacerdotibus dediſſe, ac philoſophiae participem factum fuiſſe, pleraque fabulis occultantis, ac ſermonibus, obſcura veritatis indicia, & argumenta habentibus* =. Id etiam Bruckerus (*c*) ejuſdem Plutarchi, atque Clementis teſtimonio ſignificatum ait ab Ægyptiis per Sphingas illas, quas ante fores Templorum collocare conſueverant.

C A P U T XVI.

Quid ſentiendum ſit de ſententia Euſebii arcanam philoſophiam Ægyptiorum exponentis?

Veritatis ipſe nos amor cogit, ut etiam Ægyptios illos, qui recondita, quam diximus, diſciplina delectabantur, ab impacta per non levem injuriam ἀθεότητος calumnia vindicemus. Sed, ut id praeſtemus, aliqua de arcana eadem doctrina commentemur oportet, de qua tam varia docti homines mandarunt litteris, ut apud Baſnagium, Witſium, Bruckerum, Agatopiſtum (*d*), videre potes. Illud autem praecipue probare contendemus; quamcumque velimus inter eas omnes, quae ſunt in honore, ſententiam amplecti, veteres illos, eo ſenſu, quem in hac tota controverſia ſervare

O 2 de-

(*a*) *Strom. L. V. p. m.* 566.

(*b*) Τοῖς κριθεῖσιν εἶναι δοκιμωτάτους ἀπό τε τῆς τροφῆς, καὶ τῆς παιδείας, καὶ τοῦ γένους.

(*c*) *Tom. I. L. II. C.* 7. *p. m.* 280.

(*d*) Jacq. Baſnage *Hiſt. des Iuifs c.* 17. & 18. Wits. *de Ægyptiacis*, Bruck. *H. C. T. I. L. II. C. VII.* §. 13. Agat. *Vol. I. C. XIII.*

debemus, Atheos haberi nulla ratione poſſe; ne, ſi forte ſententiam noſtram minime perſuaſerimus, optima cauſa noſtra, ſaltem ex aliqua parte, ſuccumbere videatur.

Ac primo quidem loco ſententia Euſebii, quam attigimus, ad trutinam revocanda eſt. Etenim ille ſtatuit (*a*) Ægyptios, de quibus loquimur = *nec corporis expertem aliquem hujus univerſi architectum ſtatuiſſe, nec rationi effectrici* (Graecum habet οὐδὲ λόγον δημιουργικὸν; quae verba ita reddi poſſunt, ut ab Ægyptiis Dei Verbum, ſumma producendi virtute praeditum, quale vel ipſi cum Euſebio agnoſcebant Ariani, cognitum fuiſſe negent) *ſed uni tantum aſpectabili Soli ejus molitionem attribuiſſe* = Quin etiam clarioribus verbis habet Euſebius, eam doctrinam = *non alios Deos agnoſcere praeter hunc mundum aſpectabilem, ejuſque partes, atque ſidera* = Colendos etiam propoſuiſſe homines in Deos relatos, quod parum profecto noſtram cauſam juvat. Haec, inquam, atque ſimilia Euſebius Chaeremonis potiſſimum teſtimonio confiſus.

Quid vero Chaeremon docuerit, ſi cupis, videre potes etiam in epiſtola Porphyrii, ad Anebonem Prophetam Ægyptium, quam Theophilus Galeus libro Jamblichi *de Myſteriis Ægyptiorum* praemittendam curavit (*b*). Ait enim Porphyrius de Chaeremone, aliiſque loquens = *nihil quidquam agnoſcunt ante mundum hunc aſpectabilem, nec alios Ægyptiorum in ipſis ſuorum ſcriptorum exordiis ponunt Deos, praeter vulgo dictos Planetas, & Zodiaci ſigna, & ſtellas ſimul cum his in conſpectum venientes, & ſectiones Decanorum, & Horoſcopos...... qui Solem Univerſi architectum eſſe dicerent.... cuncta denique in res naturales, nihil in corporea mole carentes, viventeſque naturas* (*c*) *ipſorum interpretatione conferri* =.

Ait

(*a*) *Praep. Evang. L. III. c. 4.*

(*b*) Porph. *in ep. ad Aneb.* = Χαιρήμων μὲν γὰρ, καὶ οἱ ἄλλοι οὐδ᾽ ἄλλο τι πρὸ τῶν ὁρωμένων κόσμων ἡγοῦνται, ἐν ἀρχῇ λόγων τιθέμενοι, τῶν Αἰγυπτίων οὐδ᾽ ἄλλους θεοὺς πλὴν τῶν πλανητῶν λεγομένων, καὶ τῶν συμπληρούντων ζωδιακὸν, καὶ ὅσοι τούτοις παρανατέλλουσι &c. =

(*c*) Haec verba in latina interpretatione lego, ſed Graeca quam ſequi-

Ait etiam Chaeremonem, ex illorum Ægyptiorum ſententia, noſtras voluntates a ſideribus, ac fato pendentes exiſtimare. Quin etiam ſubdit = *Sed & ipſis quoque Diis fatum annectunt, quos interim uti fati ſolos vindices..... in templis venerantur* =.

Alia ſunt etiam teſtimonia veterum, licet non ejus, qua Chaeremon ille pollet, auctoritatis, quae ſententiam Euſebii confirmare videantur. Nam Diodorus Siculus, dum *Coſmogoniam* Ægyptiorum exponit, nullam ſupremi Numinis a mundo diverſi, qui mundum ipſum condiderit, mentionem facit, ſed ea tantum habet, quae paucioribus comprehenſa verbis Genuenſis exhibet: (*a*) = *I. extitiſſe chaos quoddam primigenium. II. deinde motu partes univerſi ſingulas locum ſuum accepiſſe, ita ut vi mechanica ignis ſublimem locum, terra infimum, media corpora medium obtinerent. III. animantia omnia ex molli adhuc tellure nata, & adaptata locis, in quibus naſcebantur* =.

Conveniunt etiam cum Euſebii teſtimonio, quae tum ex Manethone, tum ex Hecataeo de philoſophia Ægyptiorum Diogenes Laërtius retulit libro primo = *Materiam principium fuiſſe rerum: Solem, & Lunam Deos eſſe; alterumque Oſirim, alteram Iſidem appellatos* =.

Jam ſi a me quaeratur, quid de hac prima opinione ſentiam, Euſebium puto non recte mentem Ægyptiorum, qui non aliud curabant magis, niſi ut de mente ſua celarent exteros homines, aſſecutum fuiſſe, & Euſebio, hac quidem in re, cenſeo Plutarchum anteferendum (*b*), qui multo diligentius, ut ex ejus operibus aperte conſtat, Ægyptio-

quitur Euſebius, habet alia, quae valde diverſum ſenſum referre poſſunt, ideſt νοερὰς, καὶ ἀφανεῖς δυνάμεις; hoc eſt, ut equidem interpretor, *intelligibiles, & non apparentes virtutes*, ſeu *naturas, quae ſola intelligentia, non autem ſenſibus percipiuntur*. Sane vox Graeca Νοερὸς, etſi saepius ſignificat, quod νοῦν ἔχων, tamen aliquando idem ſignificat, quod Νοητὸς, ut apud Auctorem, qui dicitur Dionyſ. Areop. cum νοερὰ, & αἰσθητὰ opponit.

(*b*) *In Diſſ. de rer. corp orig. §. VI. p. 17*

(*a*) Vid. totum libellum *de Iſid. & Oſir*.

ptiorum arcana, quam Euſebius, aut qui cum Euſebio ſentiunt, ſcrutatus erat. Itaque Vir doctiſſimus Batteuxius, cum doctrinam Ægyptiorum arcanam inveſtigaret, Plutarchum ſibi ducem unum elegit, & ejus contra obtrectatores auctoritatem validis argumentis aſſeruit (*a*). Jam vero Plutarchus ab iis, quae habet Euſebius, omnino diverſa prodidit, quin & homo cognitione Divinitatis imbutus, a ſideribus & aſtris omnino diſtinctae, ſcribere non dubitavit, nihil in Ægyptiorum myſteriis alienum eſſe a ratione, nihil quod fabulam, aut ſuperſtitionem redolere videretur. Idem Plutarchus ait, Ægyptios, arcanae doctrinae cuſtodes (eam namque doctrinam evolvit) τῷ πρώτῳ Θεῷ preces, ac ſacra facere, quem tamen obſcurum, occultumque vocent; quin & rituum Iſiacorum hunc eſſe veluti ſcopum = *primi nempe rerum domini, ac ſola mente percipiendi cognitionem Dei* =.

Equidem non inficior aliquas a Plutarcho loquendi rationes adhiberi, quae potius Graecanicam, atque Platonicam, quam Ægyptiam ſapiant philoſophiam, quod poſt Voſſium, & Witſium, Bruckerus (*b*) adnotavit. At non inde ſatis intelligo, cur auctoritatem Plutarchi negligere Bruckerus debuerit, ut quaſdam ſuas, ut levius dicam, incertas conjecturas, & argumenta ſequeretur.

Nam, quod acute notat Batteuxius, (*c*) quamvis aliqua Plutarchus Platonico ſtylo ſcripſerit, aut leviter etiam ad Platonicos traxerit ſenſus, tamen in ea, quam dat, explicatione, ſummam ipſius doctrinae non fuiſſe corruptam omnino credendum eſt. Id Clariſſimo Gallo Scriptori, quem laudamus, vel ipſa gravitas perſuaſit religionis plena (*d*), qua materiam eam totam ſibi tractandam Plutarchus aſſumpſit. Ea enim vel diligentiae vel fidei, quam doctus auctor ad ſcribendum attulerit, haud levi eſſe videtur indicio.

Ipſe

(*a*) V. *Tom. XXVII. de l' Acad. R. des Inſcr. II. Mém. ſur le Principe &c. par M. l' Ab. Le Batteux.*

(*b*) Voſſ. *de Idol. Gent. L. I. c.* 5. Witſ. *in Ægypt.* Bruck. *Tom. I. &c. p.* 286.

(*c*) *L. c. p.* 211.

(*d*) Vid. *p.* 188.

Ipſe Cl. Jablonskius, qui partes Euſebii ſequitur, dum mundum ab Ægyptiis ingenitum fuiſſe poſitum longa oratione defendit, tamen Plutarcho ſeſe praebet aequiſſimum. Ait enim (*a*) = *Neque enim dubito, quin ſi rei ſummam ſpectes, optimus hicce auctor omnem adhibuerit ſidem, atque accurationem, ut nobis doctrinam Sacerdotum a majoribus acceptam genuinam conſervaret, & pro virili ſollicite exponeret* =.

Plutarcho ſatis, quod pertinet ad rem noſtram, conſentit Apulejus (*b*), homo Africanus, quem in Iſiacis Myſteriis, hoc eſt in ipſa Ægyptiorum arcana doctrina fuiſſe verſatum, eruditi norunt. Nam qua ratione Plutarchus ſummo, ac principi rerum omnium Numini laudes in Iſiacis Myſteriis fuiſſe tributas indicat, etiam Apulejus id non obſcure ſignificat. Etenim Divinitatem a Sacerdotibus cultam invocat, & iis laudibus exornat, quae ſuperiorem Aſtris, & ipſo Sole, cui lumen tribuere, ac Mundo, quem regere dicitur, poſitam fuiſſe declarent.

At quid, inquies, ad Chaeremonis auctoritatem reſpondebimus, qua fulcitur Euſebius, hominis videlicet & antiquioris, quam Plutarchus, aut Apulejus, & Ægyptii, & ipſos inter Ægyptios Sacerdotis? Hic enim doctrinam ſuorum melius, quam Plutarchus, aut alius quilibet externus, noſcere potuiſſe videtur. Reſpondet videlicet Jamblichus (*c*), quem, etiamſi graviorem Euſebio non habeam auctorem, tamen in hac controverſia ſileri non debet, Alexandrinae Scholae praeſidem in Ægypto fuiſſe, & in veterum philoſophorum ſcriptis diurna, nocturnaque manu verſandis occupatum, & ex Jamblicho reſpondet Cudworthus, (*d*), cujus verba proferimus = *eum, & quotque alii tangunt cauſas rerum mundanarum primas, principatus tantum infimos deſcribere, & qui de planetis tractant, particulares tantummodo diviſiones oſtendiſſe. Nec Ægyptios dicere omnia naturalia eſſe*; nam

(*a*) Panth *Ægypt. L. V. c.* 2. *p.* 59.
(*b*) Apulej. *Aſin. Aur. L. XI.*
(*c*) *De Myſter. Ægypt. Sect. VIII. c.* 4. *p.* 160.
(*d*) *Syſtem. Intell. C. IV.* §. 18.

Digitized by Google

nam vitam animalem, atque intellectualem a naturali diſcernere non ſolum in mundo, ſed etiam in nobis, & credere mentem, & rationem per ſe exiſtere =.

Non omnia, quae ſubdit Cudworthus ad probandam ſuam reſponſionem amplectimur. Tantum adverſarios rogamus, ne reſponſionem eam ſpernant, donec ipſi vel meliorem doctrinam attulerint, vel aptis eam convellant argumentis. Nam hujuſmodi reſponſio non ingenioſae tantum conjecturae innititur, ſed ſimilibus exemplis ab hiſtoria philoſophiae deſumptis maxime roboratur. Nihil enim, quod alio loco monuimus, veteribus quibuſdam philoſophis antiquius erat, quam ut cauſa prima, non excluſa quidem a mundi fabrica, ſed praetermiſſa, vel potius ſuppoſita, cauſas rerum ſecundas, ac maxime, quas *mechanicas* vocare ſolemus, inveſtigarent.

Hac eadem ratione Diodori Siculi Genuenſis excipit auctoritatem. (*a*) Et Genuenſis quidem eo loco ita pronunciat = *Non recte igitur Euſebius Atheiſmi hanc Ægyptiorum Coſmogoniam accuſat* = Sed Euſebii auctoritas ea nobis eſſe videtur, ut cum ejus verba congruum aliquem, verumque ſenſum recipere poſſint, explicari potius, quam reprehendi debeant.

Equidem Euſebii verba dum ad examen revoco, non alio ferme ſenſu Sacerdotes Ægyptios ab eodem Atheos vocari arbitror, quam eo, quem habet Apoſtolus, dum Ἄθεοῦς ἐν τῷ κοσμῳ generatim Ethnicos appellat; quod verum ſcilicet Iſraëlis ignorarent Deum, & quam utcumque gerebant animo Divinitatis notionem, craſſiſſimis erroribus inquinarent. Nam, quod pertinet ad ſenſum eiuſdem vocis Ἄθεος, quem in hac, ut primo libro diximus, controverſia ſequi debemus, potius maxime ſuperſtitioſos, quam Atheos habendos eſſe reconditae apud Ægyptios diſciplinae cuſtodes, Euſebius, niſi fallor, arbitratus eſt. Nam dum ait Ægyptiorum arcana theologia non alios, quam ſidera, Deos agnoſci,

(*a*) *Diſſert. de rer. corp. orig. §. VI. p. 17.*

ſci, ſidera Deos ab eadem habita fuiſſe teſtatur. Non igitur magis Athei fuiſſent ejus diſciplinae cultores, quam tot aliae nationes, quae profanis ritibus, ac caeremoniis, aſtra, maximeque Solem, & proſequebantur priſcis aetatibus, & noſtro etiam hoc tempore proſequuntur.

Quae ſubdit Euſebius, non aliud innuunt, niſi neque divinum Verbum, aut Virtutes, aut Mentes ullas corpore carentes, neque Deum, aut Deos, ſcilicet a caeteris gentibus, & a vulgaribus maxime cultos Ægyptiis, ſed tantum viſibilem Solem, & Aſtra rerum omnium cauſas a paucis illis hominibus fuiſſe judicata.

Satis etiam, quod volumus, Chaeremon ipſe declarat, quem ducem hac in re ſequitur Euſebius, licet illum adverſarii non ea, qua Jamblichus, & Cudworthus, ratione velint interpretari. Nam & ipſe diſertis verbis eoſdem Ægyptios, de quibus quaeſtio vertitur, Sideribus Deorum nomen, ac Diis exhiberi ſolitam venerationem, tribuiſſe commemorat.

His autem omnibus efficitur, ut intelligentiam in Sideribus, atque ſapientiam, ſummamque perfectionem, iidem Sacerdotes inſitam putaviſſe dicendi ſint. Neque enim iis, quos ratione, virtute, ac veri nominis potentia carentes globos, in Coelorum immenſitate fortuito quodam ac temerario caſu natantes crederent, cultum, atque preces homines non omnino vecordes adhibuiſſent.

Haec omnia ſatis ex eo confirmari poſſunt, quod Auctores, qui maxime videntur Euſebii ſententiae favere, Solem, & Lunam ab Ægyptiis habitos fuiſſe Deos, & aeternos, & omnium primos, clariſſimis verbis narrare ſoleant (a).

Quamvis igitur Euſebii ſententia, quam rejecimus, probanda videretur, non ideo tamen Ægyptii populi par-

(a) Prophyr. *l. c.*, Diod. Sic. *l.* 1. *p.* 7. Τοὺς δ' οὖν κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους ἀναβλέψαντας ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεοὺς ἀϊδίους τε, καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην. Hinc in monumentis Ægyptiacis Æternitas ipſa Solis, ac Lunae imaginibus adumbratur. Hor. Apoll. *Hierogl. I.* Αἰῶνα σημαίνοντες ἥλιον, καὶ σελήνην γράφουσι, διὰ τὸ αἰώνια εἶναι στοιχεῖα.

tem, ſine dubio non exiguam, aut contemnendam, Atheis adſtipulatam fuiſſe concederemus.

CAPUT XVII.

Sententia Bruckeri proponitur de arcana Ægyptiorum doctrina.

MAgnum illud ingenium Jacobi Bruckeri, cum expoſitam Euſebii ſententiam probare non poſſet, neque Cudwortho aſſentiretur, ſatis pios Ægyptiis de Divinitate ſenſus tribuenti, novam excogitavit opinionem, ac multis conjecturis, & argumentis adornavit (*a*). Ac primo quidem vetuſtiſſimos Ægyptios ab aliis, de quibus poſtea dicemus, diſtingui jubet. Vult autem illos ita de Divinitate ſenſiſſe, ut Spiritum eſſe dicerent, per omnes mundi partes longe lateque diffuſum, & commeantem, quas divinis operibus efficiendis pares efficeret; ita tamen, ut ejuſdem virtus, atque potentia in Coeli Aſtris maxime cerneretur. Sed & ejus partes = *ſive effluvia*, inquit Bruckerus, *nam qua ratione id intellexerint in tanta antiquitate rei, & monumentorum definiri non poteſt* = in magnis quibuſdam hominibus eſſe credebant, eoſdemque magnos homines ad eumdem, vel in eumdem Spiritum, depoſita denique mortalitate, redire arbitrabantur. Itaque divinis honoribus eos proſequi ſolebant, qui praeclaris quibuſdam inventis, ac maxime utilibus, humano generi conſuluiſſent, & Oſiridem illum antiquiſſimum Ægypti Regem, & Reginam Iſidem, & filium eorumdem Horum, & fratrem Oſiridis Typhonem, relatos in Deos, tantopere venerabantur.

Ægyptiorum vero minus antiquorum doctrinam Bruckerus aliam fuiſſe putat. Cum enim divinae Providentiae ſigna viderent adeo praeclara, ab illis admiſſum fuiſſe opinatur = *principium aliquod infinite potens, quod tamquam Spiritus, vel Anima per omnes univerſitatis partes commearet, eas pene-*

(*a*) *H. C. Phil. T. I. L. II. C. VII. p. 287.*

penetraret, iiſque adeſſet, atque ſecundum naturam ſuam neceſſariis legibus regeret (*a*) = Ex hoc autem conſequi putabant Ægyptii, ſi Bruckero fides, ut res omnes agendi virtute praeditae divini Spiritus illius particulam veluti decerptam haberent, quae rebus ipſis pereuntibus in eumdem rediret. Praeter hoc principium *activum*, credebant, aliud eſſe, quod *paſſivum* Vir Clariſſimus vocat, in quo Spiritus, ut ita dicam, habitaret, ac rerum formas imprimeret. Principium paſſivum his verbis deſcribit Bruckerus = *quod naturali ſua diſpoſitione recipiendis quidem, & generandis rebus aptum eſſet, non tamen ipſum eas efficeret, deſiderio tamen principii activi teneretur, & ſic arctiſſimo, & connubiali quaſi, & inſolubili vinculo ei jungeretur. Et hoc quidem principium in materia, quam naturam univerſi paſſivam eſſe putabant, quaeſiverunt* = Jam vero cum ea doctrinarum portenta foverent Ægyptii, pronum fuit in errores alios maxime turpes, ac perniciosos incurrere. Eos ita deſcribit Bruckerus = *Materia cum in ſe mali, ſive imperfectionis ſemina habeat, enata inde Ægyptiis occaſio de origine mali ex materia diſputandi, ex quo Perſarum hac de re Theologumena in Ægypto nota eſſe coeperunt. Adjectum tum his duobus principiis tertium, malum, utrique infenſum, ſeque iis opponens, eorum opera dilanians, malique omnis cauſa* =.

Hanc autem doctrinam Ægyptiae plebis religioni, patriiſque *traditionibus* aptare Sacerdotes conati ſunt. Nam illae, ut obſcurae, ita in omnes partes verti facile poterant. Ferebant autem eae narrationes, inter caetera, maximum Regem Oſiridem cum uxore Iſide in Ægypto regnaſſe, multis a crudeliſſimo fratre Typhone bellis petitum: ſed Oſiridis, Iſidiſque filium Horum, pietate inſignem & armis, parentibus praeſto fuiſſe, regiamque poſtea ſobolem propagaſſe (*b*). Jam ergo, Bruckero interprete, in Sacerdotum

 ar-

(*a*) *Ibid. p.* 289.

(*b*) Vid. Banierum (*l' Ab. Banier*) Scriptorem eruditiſſimum, & κριτι-κώτατον *T. VI. de l' Acad. R. des Inſcript. Mémoir. ſur le Typhon.*

arcana doctrina = *Oſiridis Regis ſymbolo principium illud activum, divina in mundo anima, delineabatur; Iſidis vero, ea naturae pars, quae formas recipit, ſive materia; malum contra perfectionem principii formantis obluctans Typhonis imagine expreſſum; formarum impreſſionem, & productionem Horus filius indicavit* = Utrum vero principium illud malum, Typhonis expreſſum imagine, quem idcirco ſacrificiis, ac victimis placabant, Anima fuerit quaedam omnino bruta mali cauſa, qua ratione Platonem quoque Plutarchus explicat (*a*), an Spiritus malus, quem Arimanium Perſae vocabant, Bruckerus ipſe definire non audet.

Idem Vir acutus, ac diligens non omittit poſteriora tempora, quibus Alexandriae ſchola Platonica viguit, & Platonico ſenſu bonam illam mundi Animam intellexerunt Ægyptii Philoſophi, a mediis, de quibus locuti ſumus hactenus, aperte diſtinguere, quin & Platonicos arguit, quod cum magiſtri ſui ſententias in ipſa Oſiridis, & Iſidis fabula invenire voluerint, alienam antiquioribus Magiſtris mentem, ſenſuſque ſupponere non dubitaverint.

Haec aliaque multa Bruckerus uberrimo orationis filo perſecutus eſt, multa veterum auctorum, Diodori, Plutarchi, Laërtii, quin & Hori Apollinis, & Philoſtrati, teſtimonia collegit, & inter ſe comparavit, multas conjecturas, & argumenta nexuit, quibus tam ſevere cuſtoditam a veteribus Ægyptiis ſapientiam poſt annorum fere quatuor millia compilaret.

Sed Agatopiſtus Cromatianus rem non pro voto ceſſiſſe Bruckero putat, ac magis deſiderium, ait, quam fortunam docti hominis eſſe laudandam (*a*). Parum eſſe, vult Agatopiſtus, auctoribus fidendum, quos ille duces in ea inveſtigatione ſequitur. Nam aut erant, inquit, Ægyptiorum Myſteriis initiati; neque ſecretum, interpoſita jurisjurandi religione cuſtodiendum prodere voluiſſe, credibile accidit; aut

(*a*) *Della Iſtoria &c. d' ogni Filoſofia Vol. I. C. XIII.*
(*b*) *Syſtem. Intell. C. IV. §. 18.*

Digitized by Google

aut non erant initiati; neque aliud, niſi ſuas attuliſſe conjecturas, & externam tantum diſciplinam, plebejamque doctrinam Ægyptiorum explicare potuiſſe, credendum eſt.

Praeterea cum Plutarchus ſcripſerit, ut alio loco retulimus, nihil in Ægyptiorum eſſe Myſteriis, quod fabulam, aut ſuperſtitionem ſaperet, inde colligit Agatopiſtus, nihil myſticae illi doctrinae cum vulgari alia fuiſſe commune. Ex his probat, non poſſe, quod Bruckerus tentavit, ab Ægypti fabulis ad arcanam doctrinam inveſtigandam quidquam luminis capi. Neque enim credibile videtur acuto, ac prudenti Viro, Sacerdotes illos, ope fabularum, ad ſapientiae ſuae theſauros, quos tantopere celandos arbitrabantur, cum aditum patefacere voluiſſe, ut illuc Bruckerus aliquis, nihil & locorum, & maxime temporum intervallo deterritus, penetrare ſe facili negotio poſſe, conſideret. Ad extremum Agatopiſtus conjecturas Bruckeri convellit, ex eo petitas, quod mos Ægyptiorum, tot commentitia Numina colendi, Divinitatem per omnes mundi partes diffuſam, atque commeantem, ab hominibus inter ipſos doctrinae, ſapientiaeque laude florentibus fuiſſe creditam, indicare videatur. Ait enim, potius, ſi fuiſſent in illo errore, nullam Divinitatem Ægyptios fuiſſe veneraturos. Nam & ipſi fuiſſent Numina, cum & ipſi fuiſſent Spiritus illius omnia invadentis aliqua ratione participes. Abſurdum eſt autem Numina Numinibus cultum exhibere.

Haec Agatopiſtus, quibus omnibus non ita facile reſpondeas, ſi Bruckeri ſententiam velis amplecti. Sed quamvis amplectaris, non tamen inde conſequens eſſe debet, ut Ægyptios, de quibus loquimur, Atheos exiſtimes. Fatetur enim ipſe Bruckerus, doctrinam illam, quam inter Ægyptios arcanam fuiſſe putat, a Spinoſiano errore differre, quamvis eadem & impia ſit, & ab impietate illa ſumma non multum abeſſe videatur. Certe quod unicam admiſerint illi veteres eodem ſenſu, quo Spinoſa, mundi ſubſtantiam, Bruckerus ne ſomniavit quidem; neque enim res erat, quae

tan-

tantae doctrinae, atque ingenio, perſuaderi poſſet. Ita temere poſſunt de veteribus philoſophis effutire Scriptores quidam revera minuti, at ſua, ſuorumque ſimilium, opinione magni, qui Spinoſae potius credere, quam Spinoſae mendacia detegendi laborem ſubire velint, aut poſſint.

CAPUT XVIII.

Alia ſententia de veterum Ægyptiorum arcana doctrina perpenditur.

RAdulphi Cudworthi (*a*), quam non leviter jam indicavimus, ab aliis quoque probata Scriptoribus, opinio eſt, veteres illos Ægyptios, reconditae ſapientiae alumnos, Supremi Numinis, rerum omnium domini, fuiſſe cultores, quod in illa celeberrima Saidani Templi tabula putat adumbrari. Itaque illos & a foeda populi ſuperſtitione abhorruiſſe cenſet, & ad mentem fere Platonicorum, Deum τὸ πᾶν eſſe dicentium, de nobiliſſima illa, praeſtantiſſimaque Natura ſenſiſſe.

Jam profeſſi ſumus, non omnia, quae Cudworthus ad ſententiam ſuam conſtabiliendam affert, nobis poſſe probari. Vir enim eruditus in primis, at nimio Platonicae doctrinae amore occupatus, nimis Platonicos recentiores audit, qui veterum ſenſus, ut doctrinae ſuae favere probent, torquent potius, quam explicant. Nimis Horo Apollini, auctoritatis omnino dubiae Scriptori, cujus etiam verba, ut Moshemius oſtendit, non ſatis bene interpretatur, nimis quoque libris incertorum auctorum, quos Hermeticam diſciplinam, atque doctrinam comprehendere putat, aliiſque monumentis id genus confidere videtur.

Sed eam Cudworthi opinionem pene jam ſpretam atque jacentem Scriptor hac aetate ſane nobilis Agatopiſtus Cromatianus erexit, & verbis aliis propoſitam, rationibus etiam,

(*a*) *Syſtem. Intell. C. IV. §.* 18.

Digitized by Google

etiam, argumentiſque aliis illuſtravit. Putat enim ab arcanae philoſophie Doctoribus multa, quae Deum exiſtere, eumdemque unicum, ac providum eſſe perſuaderent, fuiſſe tradita, multa officiorum praecepta propoſita, multa de immortalitate animorum, multa de alterius vitae praemiis, ac poenis explicata (*a*).

Conjecturis aliis omiſſis, ea mihi videtur eſſe palmaris graviſſimi Scriptoris ratio, quam propono. Doctrina, ſine dubio, de qua loquimur, Iſiacis Myſteriis continebatur. Jam vero Myſteria Eleuſina, primis Athenarum temporibus ab Ægypto in Graeciam fuiſſe translata, & ideo eadem, quae Iſiaca Myſteria, eſſe cenſenda, qui Diodorum Siculum (*b*), & Apulejum (*c*) legerit, ignorare non poteſt. At in Myſteriis Eleuſinis ea fere doctrina tradebatur, quam indicavimus. Eadem igitur tradebatur in Myſteriis Iſiacis, atque hinc erat ea veterum Ægypti Sacerdotum vel maxime propria.

Si de Myſteriis Eleuſinis id probet, quod aſſeruit, confecta res eſt. Probat autem Ciceronis, cui Myſteria Eleuſina nota fuiſſe dicit, graviſſimo teſtimonio. Nam *l. de Natura Deorum* haec habet = *Omitto Eleuſinen* (religionem) *ſanctam illam, & auguſtam,*

Ubi initiantur gentes orarum ultimae.

Praetereo Samothraciam, eaque quae Lemni nocturno aditu occulta coluntur, ſilveſtribus ſepibus denſa, quibus explicatis, ad rationemque revocatis, rerum magis Natura cognoſcitur, quam Deorum = Jungit autem cum iis alia, quae Cicero habet ſecundo de legibus; ubi de Myſteriis Athenienſibus = *Initia*, inquit, *ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus. Neque ſolum cum laetitia vivendi rationem accepimus, ſed etiam cum ſpe meliore moriendi* = Jam ergo Agatopiſtus hunc in modum argumentatur. Nihil in iis Myſteriis de Numinibus Romanis, aut Graecis agebatur: *Polytheiſmus* ergo qui dici-

(*a*) *Vol. I. C. XIII.* (*b*) *L. I.* (*c*) *Aſin. aur. L. XI.*

Digitized by Google

citur in iis non habebat locum. In iis tamen de Deo ſermo erat, tum quia ſanctam, auguſtamque religionem continebant, quae Dei cognitionem imbibit, tum quia naturas rerum, ac vitae principia inveſtigabant, quod niſi de Divinitate incidat, ac ventiletur quaeſtio, fieri non poteſt. Ex his efficit, ut unicam Divinitatem, & indiviſam in Myſteriis Eleuſinis cultam fuiſſe, credendum omnino ſit.

Sed, quod bona cum venia doctiſſimi hominis dixerim, ex eo Ciceronis loco *de Natura Deorum* nihil probari poteſt, aut potius oppoſitum probatur ejus, quod probandum fuerat. Nam tum ea, quae praecedunt allatam orationis particulam, tum ea, quae ſubſequuntur, eo collimant, ut aliquorum ſententiis religionem funditus, atque radicitus ſublatam fuiſſe, demonſtrent. Affert Cotta, qui eo loco ſermonem habet, Diagoram, Theodorum, Protagoram, Prodicum Ceum, Evhemerum, de quo tandem interrogat = *utrum hic confirmaſſe videtur religionem, an penitus totam ſuſtuliſſe?* = tum ſtatim ea ſubdit, quae tanti facit Agatopiſtus = *Omitto Eleuſinen* = & reliqua. His autem dictis continuo de Democrito loquitur, tum de Epicuro, quos ex animis hominum religionem radicitus extraxiſſe arguit. Nonne ſatis iſta declarant, non aliud eo loco velle Cottam, niſi vel ipſa Eleuſina Myſteria, quae ſanctam, & auguſtam religionem continere vulgo putarentur, eſſe religioni vel maxime adverſa, quod in iiſdem rerum Natura magis, quam Deorum, explicaretur?

Nimirum aut *ſanctam illam, & auguſtam* dicit, quod ſpeciem quamdam ſanctitatis auguſtam, atque verendam ipſa illa ſacra praeferrent, aut quod in iiſdem ſanctitatem religionis maximam coli, fama percrebuiſſet.

Reliqua facile corruunt. Nam & ab Atheis rerum cauſae poſſunt inquiri, & de Natura divina quaeſtio ita reſolvi, ut nullam hujuſmodi Naturam ſua vel opinione, vel oratione relinquant, & principia vitae vel in atomis Epicureis, nulla intelligentia dirigente volitantibus, vel in ipſa rerum

Na-

Natura, ſeu potius caeca quadam, ipſis inſita rebus, neceſſitate conſtitui.

Spem vero bene moriendi, quae ſit prudentibus, ac ſapiente homine dignis, innixa rationibus, ii tantum haurire poſſunt, qui Deum & verentur, & colunt, & ad ſanctiſſimas leges ipſius, atque praecepta omnia, mores, vitamque componunt. At qua ratione ſtultiſſimos homines, quos Atheos dicimus, ita deſipere non poſſe ſumis, ut cum nullum velint eſſe generis humani totius Dominum, atque Judicem, tamen & dolore animi vacuam, & felicem ſapientis hominis fore mortem, arbitrentur? Nam & ea omnia etiam profitebantur Epicurei, qui cum nullum ſperarent poſt mortem futurum eſſe dolorem, ſapienti praecipiebant, ut ſi forte vitam aerumnis oppreſſam ferre non poſſet, necem ipſe ſibi conſciſceret. Mortem autem & felix vocabant, ac tutum, & aeternum nihil ſentienti receptaculum. Praeterea probandum Agatopiſto fuiſſet contra Baylium, Buddeum, aliosque adverſarios profecto non paucos, ipſam de animorum immortalitate doctrinam, etiam ubi de Graecis Philoſophis ſermo eſt, cum Divinitatis cognitione tam neceſſario nexu videri conjunctam, ut ſtultus etiam homo, qui primam illam amplectatur, alteram reſpuere non poſſit. Si reſpuat, ais, non ſibi conſtabit. Accipio. Sed quam multi ſunt homines, qui ſibi in ſententiis, ac doctrina non conſtent!

Non igitur Ciceronis auctoritate, Deum unum in Eleuſinis myſteriis fuiſſe cultum, probari poteſt. Equidem haud ſcio, an Cicero tam ridiculas de Natura divina ſententias propoſiturus in libris *de Natura Deorum*, ac tantopere proſecuturus fuiſſet, ſi pulcherrimam doctrinam, quod unicus exiſtat Deus, rerum omnium dominus, ac gubernator, penitus animo combibiſſet.

Quod pertinet ad Sacra Cereris Eleuſinae, ab Agotopiſto memorata, in quibus ea figura, quae caeteras inter emineret, a figuris aliis Solem, Lunamque referentibus, obſervari videretur, conjecturam eſſe video, quae cum aliis

ad aliquid efficiendum afferri poſſit, at ſola, ſibique relicta ſe tueri non poſſit.

Auctoritas autem Apuleji, quam & nos attulimus, hominis myſteriis Iſiacis initiati, Divinitatem aliquam, Sole, Lunaque, & ipſo mundo majorem ab illo cultam fuiſſe probat. Sed & eodem ille loco minores Deos, ac Numina memorat, & quidquid ille dicit, etiam in ea ſententia, quam Ægyptiis Bruckerus (a), Agatopiſto improbante, tribuit, omnino dici potuiſſet.

CAPUT XIX.

Arcana Ægyptiorum doctrina, ſimulque alia inter Ethnicos celebrata Myſteria, aetatibus antiquioribus, auctoritate Graecorum, ea laudantium, defenduntur.

Quamquam, ut ex dictis facile vides, auctorem omni laude praeſtantem Agatopiſtum Cromatianum in eo valde probare non poſſum, quod allatis ex Cicerone ſententiis doctrinam Eleuſinorum Myſteriorum de Natura divina rimari ſe poſſe putaverit: tamen in eo vel maxime probo, quod veterum Ægyptiorum ſapientiam in Myſteriis Iſiacis, aut in aliis, quae duxerint ab Iſiacis originem, eſſe quaerendam, ſatis idonea ratione demonſtraverit. Itaque viam hanc eſſe mihi tenendam facile video, quamvis ad Myſteriorum reconditam, arcanamque ſapientiam addiſcendam, alios a Cicerone Doctores adhibendos, aliis argumentis ab iis, quae retulimus, inſiſtendum putem.

Ac primo quidem adverti maxime velim, doctrinam in Iſiacis Myſteriis traditam, una cum ipſis Myſteriis, non in ipſa tantum Ægypto conſtitiſſe, paucis quibuſdam ejus regionis Sacerdotibus cognitam, ſed & exteris quibuſdam hominibus innotuiſſe, ſplendore generis, ac divitiarum copia,

(a) Viderit lector an argumenta piſto facta in ipſum Agatopiſtum plura contra Bruckerum ab Agato- retorqueri potuerint.

pia, maxime vero probitatis opinione, ac ſapientiae gloria commendatis. Conſtat enim Graecos etiam Philoſophos ad Ægyptios Sacerdotes, ut eorum reconditae ſapientiae participes fierent, acceſſiſſe.

Diodorus enim Siculus (*a*) = *Homerus*, ait, *qui ad Ægyptios profectus eſt, multaque ab eorum Sacerdotibus percepit &c.* = Idem Diodorus alibi (*b*) = *ſcribunt*, inquit, *eorum* (Ægyptiorum) *Sacerdotes, in ſacris contineri libris, tranſiſſe primum ad Ægyptios Orpheum, Muſeum, Melampodem, Daedalum, Homerum poëtam, & Spartanum Lycurgum. Deinceps Solonem Athenienſem, Platonem Philoſophum, & Sapium Pytagoram, Eudoxum quoque mathematicum, ac Democritum Abderitem, & Inopidem Chium. Omnium vero monſtrantur veſtigia, quorumdam imagines, nonnullorum loca, tum ab eis, tum a doctrina, quam ſecuti ſunt, denominata. In Ægypto certe perceperunt omnia, quae illos apud Graecos admirabiles fecere. Nam Orpheum hymnos Deorum plurimos, Orgia, & Inferorum fictionem attuliſſe tradunt. Oſiridis ſane ceremonias, & Dionyſii easdem eſſe, ſimileſque eſſe Iſidis, Cereriſque, nominibus tantum differre* = Hactenus Diodorus.

Jamblicus quoque *de Myſteriis* ſub initium = *Pythagoras, Plato, Democritus, Eudoxus, & multi ad Sacerdotes Ægyptios acceſſerunt* =. Conſentit Lactantius, ea ſcribens in ſuis *Inſtitutionibus* (*c*) = *Cum Pythagoras, & poſtea Plato amore indagandae veritatis accenſi ad Ægyptios, & Magos, & Perſas uſque penetraſſent, ut earum gentium ritus, & ſacra cognoſcerent: ſuſpicabantur enim ſapientiam in religione verſari &c.* = Conſentit & Diogenes Laërtius, ubi de Pythagora haec narrat = *Patriam linquens, cunctis fere Graecis, barbariſque Myſteriis initiatus eſt: denique Ægyptum petiit* =. Similia Diogenes idem de Philoſophis aliis memoriae prodit.

Jam vero ſapientes illos, ac majoris ſapientiae cupidos, in Ægypto non fuiſſe contemptos, etiam ex eo diſcimus, quod poſterioribus aetatibus, in antiquiorum Sacerdo-

(*a*) *L. I. Bibl. Cap. II.* (*b*) *Lib. II. C. VI.* (*c*) *Divin. Inſtit. L. IV.*

Digitized by Google

tum libris, aliiſque monumentis, eorum nomina diligenter ſervata, & multa de ipſorum ſtudio, multa de ingenio, atque doctrina, litteris mandata legerentur. Neque vero credibile eſt, Graecos & magna ingenii calliditate praeditos, & divitiarum, quibus omnia patent, copia non mediocri pollentes, & artibus cujuſcumque generis ad animos vincendos inſtructos, nullo modo, quod optarant, a Sacerdotibus iiſdem impetrare, vel extorquere potuiſſe. Noverant igitur illi Graecorum ſapientiſſimi Philoſophi, quid ferret arcana Sacerdotum Ægyptiorum doctrina.

Ex hoc facile concluditur, ut non meram impietatem, & cujuſvis Numinis contemptum Myſteria, quae doctrinam eamdem, ut vulgo eruditi conſentiunt, ſumebant, aut etiam exprimebant, texiſſe dicenda ſint. Nam ſi res ita ſe habuiſſet, cum illi graviſſimi Viri non modo divinam Naturam agnoſcerent, ſed impios, ac perniciosos homines, qui non agnoſcerent, eſſe judicarent, ut ex iis quae diximus, niſi fallor, ſatis apparet, numquam ea myſteria tanto apud Graecos, ac ſuos maxime diſcipulos, eſſe in honore voluiſſent.

Quod autem in honore apud Graecos, etiam Philoſophis illis auctoribus, myſteria fuerint, tum Diodori, quem citavimus, teſtimonium, tum libelli, quem *de Iſide, & Oſiride* Plutarchus conſcripſit, lectio ſuadere poteſt. Ut enim alia praetermittam, cum Plutarchus teſtatus eſſet, quanta Sacerdotum illorum in divinarum rerum contemplatione accuratio eſſet, haec ſubdit = *Teſtimonium perhibent etiam Graecorum ſapientiſſimi, Solon, Thales, Plato, Eudoxus, Pythagoras, & quorumdam opinione etiam Lycurgus: qui in Ægyptum venerunt, & cum Sacerdotibus verſati ſunt . . . . Pythagoras autem maxime, ut apparet, in admiratione habitus, admiratuſque Sacerdotes iſtos, imitatus eſt rationem eorum, res notis quibuſdam, & per ambages proponendi* =.

Hoc eodem argumento conjici non abſurde poteſt, multo meliora Sacerdotes, quam populum de Natura divina ſen-

ſenſiſſe, cum ſine dubio Graeci ſapientes multo meliora, quam populus, de Natura divina ſenſerint. Ac ſane ratio non alia probabilis afferri poteſt, cur tantopere doctrinam in myſteriis traditam profanos celandam eſſe duxerint, quam quod vulgares illos contemneret Deos, ac multa detegeret, quibus animi hominum a foeda illa ſuperſtitione terras late omnes occupante liberarentur (*a*).

CAPUT XX.

Myſteria Ægyptiorum ex eo defenduntur, quod eadem fuerint ut alia aliarum Gentium, ac praecipue Graecorum, quae non contemnendam de Natura divina doctrinam, ſi cum aliis Ethnicorum placitis comparetur, texiſſe nobis videntur.

QUod propoſitum nobis fuit, ut ab impactis calumniis Ægyptiorum antiquiora myſteria vindicemus, & illos, qui ſcholas tantum impietatis ultimae, vel Atheiſmi fuiſſe ſcribunt, arguamus, ratione alia faciliore conficere poſſumus.

Etenim Oſiridis, & Iſidis myſteria eadem erant, ut jam Agatopiſtum audivimus monentem, ac myſteria Eleuſinae Cereris, nec non Athenienſis Minervae in Graecia celebrata; quin etiam eadem ubique terrarum ſaltem initio fuiſſe myſteria docti homines facile aſſentiuntur. Eadem igitur erant Ægyptia, de quibus locuti ſumus, ac myſteria Bacchi, Matriſque Deorum in Thracia, Atydia, atque Cybelis in Phrygia, Veneris, & Adonidis in Cypro, & in Phoenicia, Dianae in Scythia, Mithrae in Perſide, Cabirorum in Samothracia, Telchinum apud Rhodios, Jovis apud Creten-

(*a*) Hinc ſatis vides, quam erraverit Buddeus *Trait. de l'Athéiſ. &c.* ſcribens *C. I. §. IX p. 9.* = *il me ſemble fort probable, que la Religion du ſecret tant vantée par les Grecs aboutiſſoit à l'Athéiſme* =.

Digitized by Google

tenſes, Bacchi apud Boeotios, Vulcani apud Lemnios, Caſtoris atque Pollucis apud Amphiſſaeos, & non modo Cereris, ſed & Proſerpinae apud Athenienſes; quae quidem ex loco, in quo templum poſitum erat Cereris ejuſdem, atque Proſerpinae, omnia Eleuſina dicebantur.

Ea myſteria nunc pluribus explicare neque vacat, neque neceſſe eſt. Plura, ſi vis, apud Meurſium, qui omnia fere monumenta veterum ad haſce res pertinentia collegit, apud Bugenvillaeum, apud Warburtonum, Silhuettum, Lafitojum, Batteuxium (*a*), alioſque videre potes.

Hoc loco rationem aliquam, ut myſteriorum ſimilitudo probetur, afferam, quae ſcribenti occurrit. Etenim conjecturam hujus rei vel ex eo capio, quod antiqui Cretenſes myſteria per totum orbem diffuſa majoribus ſuis, tamquam auctoribus, accepta referri vellent, ac rationibus, argumentiſque congeſtis demonſtrare conarentur. Itaque ſenſiſſe videntur eadem, aut certe valde ſimilia, ubique terrarum fuiſſe myſteria, ſaltem, antequam receptis, & initiatis levioribus hominibus corrupta eſſent: nam poſterioribus temporibus fuiſſe corrupta, tum ex Clemente Alexandrino, aliiſque Patribus, tum ex Auctoribus Ethnicis eruditi colligunt.

Clarius id patet, quod oſtendere cupimus, ex iis, quae, Diodoro Siculo graviſſimo auctore narrante (*b*), proferebant plures Ægyptii, ut Athenienſes Saitharum Ægyptiae gentis eſſe colonos affererent. Etenim, ut alia praetermittam, Ægyptium genere fuiſſe dicebant Erichteum, qui docuerit Athenienſes = *ceremonias, ac myſteria Cereris Eleuſinae ab Ægyptiis tranſlata* = Addebant, ut eadem Athenienſium Myſteria non alia fuiſſe, quam quae apud Ægyptios celebrarentur, aperte demonſtrarent = *& Eumolpides ab Ægyptiis Sacerdotibus traductos eſſe, & a paſtophoris praecones* = Haec, inquam Ægyptii, quos eruditos homines vel ex iis,

quae

(*a*) Meurs. *de Myſt.* Bougainville *Mém. de l' Acad. des Inſcript. Warb. Differt.* Silhouet. *Diſſ. tir. de Warb.* Laf. *Moeurs des Sauv. To. I. a p.* 220. Le Batt. *III. Mém. ſur le Pr. act. To. XVII. de l' Ac. R. des Inſ.*

(*b*) *L. I. Bibl.*

quae dicunt apud eumdem Diodorum in eo capite, fuiſſe conſtat, tanta confidentia nunquam aſſeruiſſent, niſi magnam inter Ægyptia, & Graeca illa myſteria ſimilitudinem intercedere, qui eſſent in illis initiati, facile conſenſiſſent.

Quamvis autem Diodorus magis ambitioſe, quam vere, quae capite illo narravit, ab Ægyptiis dici aſſerat, iis tamen verbis eam tantummodo levitatem caſtigare videtur, qua populos fere omnes originem ab Ægypto ducere, levibus innixi conjecturis jactabant. Nam quod myſteria fuerint Ægyptiis, aliiſque populis, etiam Graecis communia, vel ipſe Diodorus innuit, cum (*a*) eadem Oſiridis, & Bacchi, Iſidis, & Cereris eſſe myſteria doceat, & Orpheum ipſum, qui = *novum in gratiam Thebanorum conſtituit ſacrificiorum ritum* = ab Ægyptiis percepiſſe *theologiam, & ſacra, & myſteria Dionyſia* commemoret.

Praeterea Graecorum, aliarumque gentium myſteria fuiſſe ab Ægyptiis profecta Herodotus, quem Batteuxius teſtem in hanc rem vocat, aperte confirmat.

His autem omnibus efficitur, ut magna fuiſſe dicenda ſit inter Ægyptia, & apud alios populos, ipſoſque Graecos celebrata myſteria, doctrinae ſimilitudo: quod, praeter indicatas rationes, illa etiam, quae Meurſius diligentiſſime collegit, & Batteuxius graviſſime laudavit, monumenta declarant.

Quis igitur jure nos reprehendere poſſit, ſi velimus ex horum doctrina de doctrina illorum conjecturam capere? Si multa, inquam, in myſteriis Graecorum, quae ſupremi Numinis infinitam explicarent ſapientiam, atque virtutem, ſi multa, quae commentitiorum Numinum contemptum inſpirarent, & ab illa populari ſuperſtitione arcerent, graviſſime dicebantur, quis aut eaſdem, aut certe ſimiles doctrinas in Ægyptiorum myſteriis fuiſſe traditas non facile concedet?

Atqui omnia, quae diximus, aliaque praeclara in Graeco-

(*a*) *Lib. I. Biblioth.*

Digitized by Google

corum myſteriis fuiſſe propoſita, conjecturis, niſi fallor, haud levibus aſſequi poſſumus. Batteuxius (*a*) quidem Hymni fragmentum affert ab Euſebio, & Clemente Alexandrino ſervatum, quod ipſo myſteriorum initio Hierophantes, precipuus nempe in myſteriis Miniſter, ac *Demiurgi*, ſive rerum omnium auctoris, & ordinatoris Dei referens imaginem, canere ſoleret. In eo carmine, praeter graviſſima quaedam praecepta de officiis, Rex mundi laudatur, qui unus eſſe dicitur, & a nemine conditus, a quo nata omnia dicuntur, qui & in omnibus, & ſuper omnia ſit, & intentos habeat oculos in mortales omnes, nec tamen a mortalibus ipſe videri poſſit (*b*). Si nihil contra Euſebii, & Clementis Alexandrini hac in re auctoritatem afferri poſſet, nihil eſſet, quod amplius in ſublimi eorumdem oſtendenda doctrina laborarem. Sed cum objici multa poſſint, difficilia videlicet, atque moleſta; ut rationem aliam ſequar, facile moveor.

Conſtat nimirum, illa myſteria maximo fuiſſe quondam apud ſapientes homines in pretio habita. Nam quod in eis obſcena quaedam, ac maxime turpia fierent, quae Patres, praeſertim Clemens Alexandrinus (*c*), Ethnicis objecere, ad poſteriores pertinet aetates, de quibus hoc loco non quaerimus. Itaque inter Ethnicos antiquiores, qui philoſophiae ſtudio flagrabant, eorum doctrinam cognoſcere tentabant, ſi qua ratione poſſent: potuiſſe vero praecipue nobiliores, ac magna doctrinae, ingeniique laude florentes, credibile omnino eſt; neque tamen eos, poſtquam myſteria cognoverant, eadem contempſiſſe legimus. Ut alia praeteream, quod ait Cicero (*d*) de myſteriis = *a quibus initia vitae, atque virtus, legum, morum, conſuetudinis, humanitatis exempla hominibus, & civitatibus data, & diſpertita eſſe dicuntur* = famam ſatis indicat ſapientium hominum, qui myſteria noſſent,

(*a*) *L. cit. p.* 229.
(*b*) Vid Chriſt. Eſchembach *p.* 136. *de poëſ. Orphica.*
(*c*) *Adhortat. ad Gentes.*
(*d*) *Act. V. in Verrem.*

ſent, teſtimonio confirmatam. Doctrina igitur myſteriorum doctrinae ſapientum valde diſſimilis, atque diſcors eſſe non potuit. Etſi ergo ſapientes quid proprie didiciſſent in myſteriis, dicere non auderent, tamen ſi doctrinam ipſorum teneamus, ad myſteriorum inveſtigandam doctrinam veſtigia ſatis certa deprehendemus.

Quid autem Sapientes de Natura divina docebant? Triplicis generis invenio ipſorum fuiſſe doctrinam.

Nam primo quidem aliqua dicebant, ac ſpargebant in vulgus, quae κρατοῦση ſuperſtitioni, ac fictis illis, & commentitiis Numinibus patrocinari viderentur; quod nimirum nollent, ut facete dixit fugiens Athenis, cum impietatis inſimularetur, Ariſtoteles, alteram injuriam irrogari Philoſophiae (Socrati vero Deorum contemptori mortem illatam Ariſtoteles innuebat); aut ſaltem, quod Socratis ipſius carcerem ſibi timerent, quem quidem non ſatis dignum homine ſapiente metum Ciceroni Lactantius exprobravit (*a*).

Jam hoc doctrinae genus, ſuis etiam auctoribus non valde probatum, in myſteriis non habuiſſe locum, vel ex eo, quod myſteria fuerint, multi conjiciunt: neque enim intelligi ab illis facile poteſt, quaenam alia futura fuiſſet ea ſacra tantopere celandi ratio, niſi quod patriis Numinibus inimica viderentur.

Praeterea, quod in iiſdem myſteriis multa contra fictos Deos haberentur, vel ex iis conjicere poſſumus turpibus, obſceniſquae caeremoniis, quae poſterioribus aetatibus, fere ubique, in iiſdem invaluerunt. Quis enim ſubacti Vir ingenii putet, Graecos, atque Romanos non vidiſſe in contemptum eas Deorum ipſorum, non autem in honorem cedere? Pudore prohibeor, ne clarius ea innuam, quibus & Jovis, & Bacchi, & Cereris, & Proſerpinae, ne Veneris, & Adonidis dicam, flagitia vel proletariis hominibus inuſitata exprimebant. Jam nulla mihi videtur hujuſmodi profanorum rituum ratio vero ſimilior aſſignari poſse, quam ſi di-

(*a*) *Lib. II. Inſt. Div. c. 3.*

ſi dicamus, primis quidem temporibus multa in myſteriis dicta, vel habita fuiſse, quibus fictos illos Deos a poëtis, & a populo celebratos riderent, atque contemnerent, ſed paulatim licentia progrediente, tandem initiatos ea peregiſse, quae neque Pythagoras ille, neque Plato, neque Alcibiades, neque alii veteres myſteriorum laudatores probare potuiſſent.

Deinde multa de Natura divina, de figuris, inquam, Deorum, de locis, atque ſedibus, totaque illorum vitae actione, philoſophi docebant, aut ſuis, aut magiſtrorum ſuorum ingeniis excogitata; quo quidem in genere tam variae fuerunt doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes ſententiae, ut hinc intulerit Cicero, prudenter Academicos a rebus incertis, ac dubiis aſsenſionem cohibuiſse. Alia nimirum Eleates, alia Platonici, alia Stoici, alia Peripatetici, alia alii afferebant, de quibus, haud mediocri doctorum hominum diſsenſione, certaretur.

Jam philoſophorum hujuſmodi doctrinas, adeo inter ſe diverſas, in myſteriis auditas minime fuiſse, acris ingenii homines, & emunctae naris facile ſentient; tum quia ſingulae doctrinae ſuis ab auctoribus, nemine reclamante, tamquam propriae venditabantur, tum quia tanta ipſa diverſitas, atque varietas, & plerumque recentiorem, graecamque referens originem ipſa cogitandi ratio, in myſteriis antiquiſſimis, & ad unguem inter ſe, quantum conjicere poſſumus, omnino ſimilibus, inveniri non poterat.

Reſtat igitur tertium doctrinae genus, quod ſapientibus, atque philoſophis maxime placuiſſe videmus. Hoc autem praeclaras illas amplectitur de Divinitate ſententias, quas ab hominibus Ethnicis efferri potuiſſe, non mediocriter mirari conſuevimus. Nam & Deum laudant, cum quo vulgaris ille Jupiter conferri nullo modo poſſit, bonitate, ſapientia, virtute omni praeſtantiſſimum, ac vere optimum, vere maximum, eumdemque unum eſſe ſummo dignum honore praedicant, cui tota rerum haec univerſitas pareat, &

ipſae

Digitized by Google

ipſae dicto audiant intelligentiae, quas, ut vulgarem loquendi rationem ſequantur, Deorum nomine appellare non dubitant (*a*). Sane quid magnificentius, aut gravius de praeſtantiſſima Dei Natura dicere poſſumus, quam quae variis locis ſcripta reliquit Princeps ille Philoſophorum Plato? Quid Pythagorae ſententiis aliquibus illuſtrius? Quid carmine Cleanthis, nobiliſſimi Stoici, quid verſibus Sophoclis, aut Euripidis, aut Menandri ſplendidius, atque Deo dignius? Quid tot inſignium philoſophorum oratione ſublimius, aut verius, Scriptores etiam Chriſtiani, cum Dei laudes proſequuntur, afferre conſueverunt?

Itaque ſi non diſſimiles hiſce ſententias, in myſteriis illis tantopere celebratis, pronunciatas fuiſſe contendimus, non id profecto dicimus, quod nulla ſumi ratione videatur.

Rogo etiam adverſarios, ſi qui jam exiſtant, quis eſſet *Ignotus* ille *Deus*, cui poſitam ab Athenienſibus aram novimus? (*b*) quis Deus ille, qui ſolus eſſet aeternus, veteribus Graecis, Cl. Boevino comprobante (*c*), cognitus, a quo caeteri Dii producti fuerint, & cujus uſurpare nomen, nulla mortalibus ratione concederetur? Ille, inquam, Deus, cui Coelum omne, cui Tellus, & ipſa Tartara ſubderentur, verſibus illis a Statio adumbratus (*d*)

(*a*) P. Maurus in Ariſtotelis *Paraphraſi*, valde digna, quae Philoſophis etiam recentioribus prebetur, cum θεοὺς nominat Ariſtoteles, *Subſtantias ſeparatas*, aut *Intelligentias* vertere ſolet. Equidem aſſentior hac in re Auguſtino Steuco Eugubino *de Perenn. Philos L. III. C. XIII. p. m* 54. ſcribenti de Ethnicis Sapientioribus = *Unum ſingularem Deum eos confiteri; caeteros autem, quos Deos dicerent, ita dixiſſe, ſicut in noſtra religione dicuntur Angeli Dii, quaſi Dii minores, Dii facti, creati, verum, omnipotentemque Divinitatem non habentes* = Reliqua apud ipſum.

(*b*) *To. IV. de l'Acad. des Inſcript. p.* 560. *M.* valde digna eſt, quae legatur, Diſſertatio = *Sur le Dieu inconnu des Athéniens*, = *par M. l'Ab. Anſelme*. Probat enim verum, atque unicum Deum a Sapientibus Athenienſibus fuiſſe cognitum, quamvis & Diis litarent, quos commentitios eſſe noverant, ut populo morem gererent, & omni periculo liberarentur. Vide etiam in idem argumentum Diſſertationem Hellerii, & Heinſium *in Exerc.* 8. *ad Apoſtoli* locum indicatum.

(*c*) *To. III. de l'Hiſt. de l'Acad. R. des Inſcript. p.* 1.

(*d*) *Thebaid. L. IV. v.* 316.

Digitized by Google

„ *Et triplicis mundi ſummum, quem ſcire nefaſtum eſt,*
„ *Illum ſed taceo &c.* (*a*)

An a vero aberrare videbitur, qui ſummum illum Deum fuiſſe dixerit, de quo ſapientes quidem homines inter ſe multa ſolerent graviſſime loqui, licet, ne de ſermonibus illis quidquam efferrent in vulgus, aliqua interpoſita religione prohiberentur? Cum vero myſteria, de quibus loquimur, & a Sapientibus fuiſſe celebrata, memoriae proditum fuerit, & in ipſis de Natura divina ſermones habitos, quos profanis aperire hominibus religioni ſibi ducerent; nonne ſatis hinc apparet, aut certe vero ſimillimum videri debet, in iiſdem myſteriis Numen illud *Ignotum* paucorum hominum admirationi fuiſſe, ac venerationi propoſitum?

Non enim hinc ſequitur, ut *ſicut Deum glorificaverint, aut gratias egerint*. Etenim, ut alia ſileam, iidem pauci homines *veritatem Dei in injuſtitia detinebant* vel maxime, cum populi timore correpti, Numinibus illis argenteis, aut lapideis, quae tantopere ſpernebant, adolere thura, victimaſque mactare non recuſabant. Neque vero dignus ille ſupremo rerum Domino cultus ulla ratione videri debuit, quem nocturno aditu ſilveſtres intra ſepes abdebant, cum ſeſe potius Cereri, vel Proſerpinae, aut Baccho, aut Veneri, aut Adonidi ſacra facere mentirentur.

CA-

(*a*) Idem Cl. Boevinus (*Boivin*) ib. « *Lactance, Scholiaſte de Stace, dit que ce Dieu s' appelle Daimogorgon, & c' eſt en effet le nom, que luy donnoit Pronapides précepteur d' Homére, comme on peut le voir dans un fragment de Théodontius, que Bocace nous a conſervé dans ſa généalogie des Dieux* ».

CAPUT XXI.

Difficultati occurritur, quae contra noſtram de Myſteriis opinionem ex laudato Cottae apud Ciceronem de Nat. Deor. teſtimonio repeti poſſet.

NEminem ab hac noſtra opinione probanda deterrere debet, quod in Eleuſinae Cereris, ac Samothraciae myſteriis rerum magis naturam, quam Deorum fuiſſe cognitam, & hinc Religionem omnem funditus everſam, apud Ciceronem Cotta teſtetur; cujus quidem verba noſtram potius infirmare, quam juvare ſententiam, ultro confeſſi ſumus. Sed priuſquam de myſteriis alia dicamus, pauca de ipſo.

Quod enim Eleuſina myſteria Cottae omnino patuerint, quis rem ſatis certam, & exploratam arbitrabitur? Neronem illum Caeſarem initiatum non fuiſſe myſteriis, & ipſorum veneratione tactum in eadem irrumpere non auſum fuiſſe, Veteres tradunt. Multo magis eadem Cottae myſteria, quamvis & Romano, & Nobili Viro, a Sacerdotibus, ipſius omnia carpendi libidinem averſantibus, occultari poterant.

At idem Cotta, inquis, quid in myſteriis fieret, ſibi notum eſſe indicat. Equidem concedo. Verum ea res, niſi fallor, potius id confirmat, quod ego ſuſpicor. Etenim verbis multo clarioribus utitur Cotta, quam initiati myſteriis conſueverint. Iis, ait, quae fiunt in myſteriis iiſdem explicatis, rerum potius natura cognoſcitur, quam Deorum. Quis inde non colligat, praeſertim ſi continuationem, & quaſi contextum ſermonis attendat, in iis, quae nocturno aditu occulta coluntur, ſilveſtribus ſepibus denſa, doceri multa Romanae Religioni contraria? Quis non videat, ea verba ſatis innuere, neque mundi auctores agnoſci Deos, neque noſtrarum rerum ipſis providentiam tribui, neque demum eos induci, a quibus ad infinitum tempus omnia regantur,

atque

atque moveantur? Jam ſi Cotta juramentis illis initiatorum, quae violare nefas erat apud omnes, obſtrictus ea protuliſſet, praeſertim ubi tam levis occurrebat proferendi cauſa, nonne perjurus, & omnis religionis expers, &, quam notam etiam impii fugiunt, perfidus, atque proditor habendus fuiſſet? Dicamus igitur, ut Cottam ab hac infamia, nec non Ciceronem, qui Cottam diſputare facit, ab imprudentiae maximae nota liberemus, Cottam ipſum non ex certa ſcientia, quam initiati tantum de myſteriis habere poterant, loqui; ſed id afferre, quod ab aliis narratum audiverat, aut conjecturis quibuſdam, atque rationibus, ipſe ſibi aſſecutus eſſe videbatur.

Nimirum Ciceroni non aliud eo loco propoſitum fuit, quam Academicos facere objicientes, quod argumentis ipſi colligere tentabant; ideſt funditus omnem per multas philoſophorum ſententias, & per ipſa Eleuſina myſteria religionem everti. Porro, ut ingenue fatear, quod ſentio, quamvis aliquorum ex eo genere hominum ingenia plurimi faciam, tamen eorum argumentis, &, ſit verbo venia, eorum judiciis non plurimum tribuo.

Etenim in omni diſputatione non tam promebant, quid ipſi ſentirent, quam quod adverſariorum convellere ſententias, quacumque tandem ratione, poſſet. Hinc quod uno in loco ſatis certum, atque perſpectum habere videntur, in alio multis argumentis exaggeratis oppugnant, ut non erubuerit idem Cotta (*a*) humanam rationem, qua nihil praeſtabilius homini datum, non inter bona hominis, at potius inter mala eſſe numerandam, magno verborum, ac ſententiarum apparatu contendere. Itaque cum is Cotta fuerit; quis jam praeſtabit, ipſum, dum curioſius myſteriorum ſenſus inveſtigaret, de quibus adeo ſtudioſe profanos initiati celabant, omnes artis criticae regulas tam bene tenuiſſe, ut nihil a veritate, quam aſſequi cupiebat, aberraret?

Neque eſt cur Ciceronis potius, quam Cottae auctoritatem

(*a*) *L. III. de Nat. Deor.*

tatem hac in re ſpectandam eſſe quiſquam opponat. Nam primo quidem, cum in ſecundo libro *de Natura Deorum* a Lucilio defenſa religio eſſet, ejus, non autem Cottae, diſputatio Ciceroni, ut in extremo tertio ſcribit, ad veritatem eſt viſa propenſior. Non igitur ea, quae Cotta dicit, omnia, vel pleraque a Cicerone probantur. Deinde audacter affirmo, quod graviſſimi homines jamdiu litteris mandare non dubitarunt: Ciceronis ingenio dividentis orationem, & expolientis, & verborum, ac figurarum velut inſignibus illuſtrantis, nihil eſſe praeſtantius: at Ciceronis ejuſdem rationes, & argumenta concludentis judicio non multum eſſe tribuendum.

Itaque illum inter *philoſophaſtros*, ſic enim ait, potius quam inter genuinos philoſophiae alumnos habendum eſſe, cenſuit Auguſtinus (*a*), & multa Ciceronis judicia reprehendit Richardus Simon (*b*); in multis eum turpiter errare demonſtrat Heumannus (*c*); & quam parum in philoſophiae ſtudio poſſet, Bruckerus oſtendit, cujus aliqua verba proferimus (*d*) = *Cauſam*, inquit, *cur hanc potiſſimum philoſophandi viam* (quam nempe Academia tenebat) *Cicero ingreſſus ſit, praeter ſcopum ſe foro parandi, recte in ingenii ejus charactere quaeſiveris; quod ut imaginationis magis foecunditate, quam judicii acie valuiſſe ſupra obſervatum eſt, ita mirum non eſt Ciceronem ad inveniendas magis probabiles rationes, & diſputandum in utramque partem, quam ad dijudicandum ſyſtematum nexum, natura & proclivem, & aptum, Academicae philoſophiae nomen dediſſe. Ubique etiam in ſcriptis ejus philoſophicis haec ingenii Ciceroniani indoles ſe prodit. Videas enim vivis quidem coloribus, & verborum eximio quodam delectu depingi philoſophorum opiniones, afferri rationes in contrarium, cauſſamque, ut ſolent oratores, etiam in Accademia, in Tuſculo, aliiſque eruditorum congreſſibus ornari, rationum vero pondera nec*

ad

(*a*) *De Civ. Dei lib. II. c.* 27.

(*b*) Ap. Stollium *H. Litt. P. II. c.* 1. §. 55. *p.* 370.

(*c*) *Act. philoſ. Vol. II. p.* 441 *ſeqq.*

(*d*) *Hiſt. Cr. Philoſ. To II. Per. II. P. I. L. I. C. I.* §. 18. *p.* 49.

ad trutinam examinari, nec ex certis principiis deduci concluſiones, nec ſyſtematis nexum, & quaſi vincula exhiberi, ſicque male multa cohaerere, dicique, quae examen non ſuſtinent =. Hactenus Bruckerus, quae nos attulimus, ut pateat ipſius Ciceronis judicium a nobis, ſine temeritatis aliqua nota, negligi poſſe, ſiquidem ille judicium Cottae de myſteriis magni facere videatur.

Sed quoniam reſponſionem hanc noſtram non omnibus, imo neque pleriſque placituram eſſe confidimus, validiorem alteram jam ſubdimus, cujus jamdudum fundamenta poſuimus: ſcilicet Cottae temporibus illa myſteria, tantopere olim Pythagorae, Platoni, Eudoxo, aliiſque philoſophiae luminibus probata, corrumpi jam incepiſſe, ac miſere depravari.

Sane cum Chriſtiana Religio, in Romanum Imperium invecta, profundas ubique radices ageret, ſaepiſſime Sancti Patres Ethnicis myſteriorum objecere flagitia, quae, credibile omnino eſt, jam a ſaeculis aliquibus ſenſim invaluiſſe. Neque enim repente tanta rerum converſio facta eſſet, ut quae myſteria, jure quodam, ac merito ſui, principum philoſophiae virorum admirationem habuerint, jam adeo turpia, atque obſcena (*a*) exhiberent, ut ea laudare ne viliſſimi quidem potuerint, dummodo noverint,

„ *Lenonum pueri, quocumque in fornice nati*.

Credibile eſt etiam, Athenis, cum rerum ſummam homines philoſophiae ſtudiis dediti obtinerent, myſteriis aliquando praefuiſſe homines vel Democriti, vel Epicuri, balbutientis, ut ait Cicero (*b*), de natura Deorum, vel alterius ejuſdem farinae philoſophi, pravis opinionibus mancipatos. An vero nulla ratione poterant hujuſmodi homines in ipſa myſteria tandem ſuas opiniones intrudere, ſaltem ſi facile ſibi conſentientes paucos illos initiatos haberent? An, in-

(*a*) *V. Clem. Alex. in Protrept.* (*b*) *L. I. de Divin.*

inquam, nulla ratione poterant caeremonias eas ita interpretari, ſacraſque immutare, ac detorquere ſententias, ut omnibus, quae fierent in myſteriis, aut dicerentur, explicatis, & ad rationem revocatis, rerum potius, quam Deorum natura cognoſceretur?

Quod autem addebat Cotta, per eadem Eleuſina myſteria tolli funditus religionem, facilius explicatur. Non enim ille vult, ſi verba ipſius diligenter attendas, Eleuſina myſteria, religionem eſſe omnem abjiciendam, docuiſſe, quod ne Democritus quidem unquam, aut Epicurus docuit, ſed tantum argumentando colligit, id ex myſteriis iiſdem, qualia nempe Athenis ipſe cognoverat, obvia quadam, ac tuta conſecutione deſcendere. Itaque ſuſpicor, non quidem Ἀθεότητα proprie dictam, ſed quamdam Epicureae ſimilem origines rerum explicandi rationem in myſteriis iiſdem a Cotta, ſi quidem iis interfuit, fuiſſe deprehenſam.

Nihil tale de myſteriis antiquiſſimis a tot inſignium Philoſophorum ſapientia celebratis, ſuſpicari poſſumus, ſi, quae ſunt hactenus dicta, perpendamus. Jam cum ea doctrinam non continuerint a Sacerdotum Ægyptiorum arcana diſciplina abhorrentem, neque prorſus atheam hanc diſciplinam fuiſſe, neque Numinis unius, rerum omnium conditoris, atque moderatoris cognitione vacuam, ſatis apta, niſi fallor, ratione colligimus.

C A P U T XXII.

De Veteribus Arabibus, atque Sabaeis.

Ægypto tandem relicta in Arabiam transfretemus, oportet, ut veteres illos populos ab omni Ἀθεότητος crimine vindicemus. Eos enim Vir graviſſimus, & Chriſtianae ſanctitatis gloria celeberrimus arguit Nilus (*a*) quod omnem penitus Religionem abjeciſſent; ex quo factum, ut aliqui (*b*) eoſdem Atheis tamquas ſocios addici juberent.

Tom. II. S ali-

(*a*) *Narrat. Tert.* (*b*) Ap. Hooke *Rel. Nat. To. I. P. I. &c. p.* 12.

Digitized by Google

Sed advertere debuerant, quid, paucis interjectis, in eadem oratione Nili ſubjiciatur. Arabes enim illos religione carentes graviter reprehendit, quod = *ſtellam matutinam adorare, & ſacra illi facere* = aſſueverint. Quid ergo ſibi vult aliud, cum a Religione alienos Arabas exhibet, quam illos voluiſſe craſſiſſimis profanae ſuperſtitionis tenebris adhuc obvolvi, cum Oriens jam fere totus germanae, Deoque placitae Religionis luce frueretur?

Caeterum quid certi Arabum antiquiſſimi de philoſophia (*a*), quid de Theologia naturali, ac de tota religione ſenſerint, definiri non poteſt, niſi leves conjecturas, fallaceſque rationes, quam gravium ſcriptorum teſtimonia, ſequi malimus.

Aliqui Zabios, Arabum genus, antiquiſſimos faciunt, quorum hiſtoriam ad leges a Moyſe latas illuſtrandas Vir eruditiſſimus Joannes Spencerus adhibuit (*b*). Et ii quidem non modo non Atheis adſtipulantur, ſed a craſſioribus quibuſdam Ethnicorum erroribus abhorruiſſe videntur (*c*). At immortalis memoriae Vir Jacobus Bruckerus ſatis oſtendit (*d*), eoſdem non ad vetuſtiores, de quibus quaerendum eſſet, Arabum aetates, ſed ad tempora ipſo Muhammede non antiquiora pertinere.

Itaque Agaropiſto aſſentior, Zabios eoſdem a Sabaeis antiquiſſimis omnino diſtinguenti (*e*). Etenim Zabiorum quidem in Alcorano mentionem primum eſſe factam accepimus. Sabaeos autem a Scriptoribus Latinis non raro nominatos invenimus. Erant enim florentiſſimi Arabiae Felicis populi, quos Pomponius Mela Perſici ſinus oras tenere, Plinius autem, & Arabicum ſimul, & Perſicum litus attingere ſcribit (*f*). At

(*a*) Vid. Henric. Urſinum *de Zoroaſtre Sect. VI.*, Pocockium *Spec. Hiſt. Arab. P. II.* Agatop. *Vol. I. C. X.* praeter Bruck. *To. I. alioſque*.

(*b*) *De Leg. Hebr. Ritual. L. II. c. 1. p. 178. ed. rec.*

(*c*) Vid. Agatop. *l. c.*

(*d*) *To. I. L. II. C. 5. p. 210. ſeq.*

(*e*) *l. c.*

(*f*) Plin. *L. VI. c.* 28. Vid. *eumd. L.* 30. C. 1. *de Sabaeis* Magis agentem, & Ptolemaeum ap. Thomam Stanlejum *de Sabaeor. Philoſ.* C. II. & Agatop. *l. c.*

Digitized by Google

At Sabaeos non modo cum Zabiis, ſed & cum Sabaitis confundere videtur Buddeus (*a*). Ait enim Sabaeos, ſi quibuſdam ſit auctoribus fides, per Orientem totum diſſeminaſſe ſuperſtitionem. Qui fecerint Arabes antiquiores, atque Sabaeos, ſerpentis per Orientem ſuperſtitionis auctores, aut propagatores; omnino me latet. Hoc tantum ſcio; probatis a Scriptoribus aſtrorum, & elementorum cultores induci Sabaitas, qui ſuperſtitionem eamdem per multas Orientis provincias, ac regna dilataverint. Cum ergo quod Sabaitis tribuitur ab optimis auctoribus, Sabaeis Buddeus tribuerit, prona ſuſpicio eſt, Buddeum, aut aliquem certe, quem Buddeus deſcripſerit, Sabaeos cum Sabaitis, quos diximus, confudiſſe.

Atqui Sabaitas non a Saba, Arabiae Felicis urbe, ſed ab Hebraica voce *Tſaba*, quae legionem, aut exercitum, ſignificat, nomen habuiſſe, neque alios, quam homines illius celeberrimae Sectae fuiſſe, quae, mortuorum, atque ſimulacrorum cultum deteſtata, & elementa, & coeleſtem illum venerabatur exercitum, quem videntur aſtra componere, neque in alia regione, quam in ipſa Perſide quaerendos eſſe, demonſtrat Cl. Fucherius (*b*), quo nemo, niſi fallor, aut elegantius, aut nitidius, aut clarius quaeſtiones explicavit & ſpinoſas, & obſcuras, ad Criticam philoſophiae, ac religionis Hiſtoriam pertinentes.

Quod autem dixi, Zabios cum Sabaeis a Buddeo perperam confundi, ſimili ratione colligo. Nam de Sabaeis a Moſe Maimonide dictum accipit, quod is de Zabiis tantummodo dixit.

At Buddeo jam geramus morem, & Sabaitis, & Zabiis, cum Sabaeorum gente confuſis, quoniam ille confundi jubet, quod magis ad rem noſtram pertinet perſequamur. Quos accuſat, ut diximus, Maimonides, non quidem ſicuti

 cer-

(*a*) *Trait. de l'Athéiſm. Ch. I. §. 7. p. m. 7.*

(*b*) *To. XXV. de l'Acad. R. des Inſcript. Traité Hiſtoriq. de la Relig. des Perſes, par M. l'Ab.* Foucher. *Vid. I. Mémoir. p.* 110. *M. &c.*

certum affirmat, ſed vehementer ſuſpicatur Buddeus Atheos, ac Spinoſiſtas ante Spinoſam fuiſſe (*a*). Equidem ab eo valde diſſentio, qui nullam prorſus aut gentem, aut ſectam, aut etiam philoſophum, in eadem fuiſſe puto, quam poſtea Spinoſa propugnaverit, nefaria, & abſurda ſententia, etſi aliquos ad eamdem remotius, aut proximius, impietatem acceſſiſſe concedo.

Sed quid tandem de Zabiis habet Maimonides? Ipſe ſcilicet, & Shariſtanus, & Abulfeda, Zabios poſuiſſe dicunt Deum quidem unum in Eſſentia, ſed qui ſe in ſidera etiam, & ipſos homines diffunderet: Deum ſupremum eſſe Dominum Dominorum, quem nobis propitium ſidera, bonique daemones facere poſſint; ideoque & illos a nobis colendos, & obſervandos. Cum eadem ſidera Divinitate plena ſtatuerent, multa ad Aſtrologiam *ludiciariam* pertinentia leviſſimi homines inde colligebant, ac magnam in eo ſtudio curam, operamque ponere conſueverant. Haec, & alia hujuſmodi, Zabii tradebant, ſi fides auctoribus habeatur, quos diximus.

Quid in mentem venerit Auctori nobiliſſimo, cui poëticus in ipſa philoſophia furor, & in hiſtoria tractanda fabulae placuerunt (*b*), dum Arabicis iſtis erroribus magis naturalem, ac ſimplicem, ut ait, religionem, quam reliquae ſint omnes, contineri ſcripſit, divinari non audeo. Hoc tantum video, planeque ſentio: non aliud Voltaerio, cum librum, in quo illa ſunt, exararet, fuiſſe propoſitum, niſi ut doctrinas divinae Scripturae contrarias laudibus eveheret, & ipſius auctoritatem Scripturae, ſi fieri poſſet, labefactaret, atque proſterneret (*c*).

Cae-

(*a*) Idem ſenſerat *in Diſſert. de Spinoſiſmo ante Spinoſam*.

(*b*) *Philoſophie de l' Hiſtoire C. XV.* Auctor ejus libri eſt Voltaerius, ut omnes jam exploratum habent, qui curioſius haec inquirunt.

(*c*) Auctor egregius libri, cui titulus = *Défenſe des Livres de l'Ancien Teſtament, contre l' Ecrit intitulé: la Philoſ. de l' Hiſt. Amſterd.* 1767. = haec habet *C. I. p.* 1. = *Des Incredules, avant l' Auteur de la Philoſophie de l' Hiſtoire, ont attaqué les Livres de l' Ancien Teſtament avec un ſçavoir ſupérieur au ſien, mais peu l' ont fait d' une manier auſſi inſidieuſe.* =

Caeterum, quamvis ii ſint errores, non modo a verâ fide, ſed & a recta ratione prorſus alieni, non tamen Spinoſianam doctrinam, ſed potius Orientalem inferioris aetatis, aut Cabbaliſticam ſapiunt.

Certe Divinitatis & intelligentis, & providae, & immortalis, & perfectae, atque beatae notionem aliquam relinquunt. Neque *unicam* in ea doctrina *ſubſtantiam* deprehendo, cum potius, praeter *ſubſtantiam* Divinitatis, tot reliquae *ſubſtantiae* in ea poſſint agnoſci, quot ſunt inertis brutaeque materiae particulae; neque mundum ipſum fieri Deum, cum potius a Deo ſupremo vel per virtutem ſuam, ac poteſtatem, vel per inferiores Deos gubernari dicatur; neque alia, quae ſunt innumera, cerebri Spinoſiani deliramenta. Igitur illa Buddei ſuſpicio levi prorſus innititur fundamento.

Illa etiam ratio dubitandi rejicienda eſt, quam Buddeus idem inſinuat, ex eo petita; quod plures Philoſophi Simulacris illis, quae venerabantur Ethnici, (ſuperſtitione videlicet a Sabaeis, ut ipſe putat, dimanante) varias mundi partes, Divini ſcilicet, atque Dei, adumbrari contendebant. Sumit hic Buddeus, omnes, qui Mundum haberent Deum, fuiſſe Spinoſiſtas ante Spinoſam. At rem longe aliter ſe habere, quidquid Graeculi nonnulli, etiam librorum, ſi ſuperis placet, auctores, aut potius auctorum deſcriptores, hac aetate ſenſerint, ex iis, quae primo libro diximus, conſtare arbitramur.

Jam quod Sabaei non ſint inter Atheos numerandi, ſatis ex eo conſtat, quod nullam eſſe gentem omni deſtitutam cognitione Divinitatis ii ſcripſerint, qui Sabaeos in Arabia florere non ignorabant. Porro doctrinas eorumdem a Chaldaeorum, ac Perſarum placitis non abhorruiſſe, conjicit Agatopiſtus, quod non modo Magi fuerint inter Sabaeos, Plinio, ac Ptolemaeo teſtibus, ſed & Magorum Sinus in eorum regionibus quaerendus eſſe videatur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

De Phoenicibus.

PHoenices, non Mercatura tantum, ſed & Aſtronomia, ut quidam ſentiunt, & Arithmetica inventis (*a*), atque coloniis in multas ac longe diſſitas terrarum plagas deductis (*b*), nobiliſſimam gentem, ii demum videntur in Athearum numero ponere, qui Sanchuniathonis *Coſmogoniam* genuinum opus putant, ac per eamdem arbitrantur omnem Divinitatem exterminari. Etenim ab eadem *Coſmogonia* non propriam hominis doctrinam, ſed ipſius gentis exprimi, eruditi conſentiunt.

Nos, qui certa nolumus ab incertis, cum non levi Criticae Artis regularum inverſione, pendere, ſtatim poſtulamus, ut, ſi monumenta, numquam in medium vocata, non deſint, quibus, quid Phoenices in religione ſenſerint, cognoſcere poſſimus, ea conſulantur: quod ſi forte cum illis Sanchuniathonis *Coſmogonia* nullo modo concinat, non haec illis fidem detrahere debeat, ſed potius haec magis negligi, cum ejus auctoritas aliis etiam rationibus minime contemnendis nutare videatur.

Ac tacitus quidem, ut brevitati ſerviam, argumenta praetermittam, quae poſſent a coloniis Phoeniciis deduci, quas cum & auſpicato poſitas, & eadem fere omnes, & in eoſdem Deos, religione detentas, & ipſis Phoeniciam originem referentibus Deorum nominibus delectatas fuiſſe conſtet, quid majores illi ſui docuiſſent, non obſcure ſignificabant (*c*).

Sane

(*a*) Vid. Strab. *L. XVI. Geogr. p.* m. 570.

(*b*) Diodor. *L. VI. c. 9.* = *Hoc lucro Phoenices admodum opulenti facti plures colonias, tum in Siciliam, propinquaſque inſulas, tum in Libyam, Sardiniamque, ac Iberiam deſtinarunt* =.

(*c*) Praeſertim Carthaginienſes, de quorum ſuperſtitione Rollinum, (*Rollin*) praeter alios, legere potes.

Digitized by Google

Sane quod ipſi Phoenices venerarentur Deos, graviſſimi teſtantur Auctores, de quorum vel diligentia vel fide nihil ſiniſtrum ſuſpicari poſſimus.

Diodorus ille Siculus, qui triginta annos in adornanda hiſtoria ſua ſeſe inſumpſiſſe teſtatur, & majorem Europae, Aſiaeque partem peragravit, quo, locis in eadem hiſtoria deſcribendis pleriſque conſpectis, certiora mandaret litteris (*a*), non ſemel, quod nos quaerimus, aperte declarat. Ut alia ſileam Libro Sexto (*b*) narrat Phoenices, cum Gadiram condidiſſent = *in ea, inter caetera aedificata, templum Herculi, quod ad noſtram uſque aetatem ſumma in veneratione, honoreque eſt habitum, ſtatutis de more Phoeniciorum ſacris, ſumptuoſo opere conſtruxiſſe* =.

Herculis quidem cultui Tyrios fuiſſe maxime addictos etiam Scriptores alii tradunt, ex quibus hoc loco Strabonem laudare ſufficiat. Ait enim (*c*), de Tyriis verba faciens = *Colitur apud eos Hercules mirum in modum* = Idem Strabo Barutum inter, & Sidonem in Phoenicia collocat (*d*) Æſculapii lucum, quem ſummo honore ab illarum regionum incolis obſervatum fuiſſe conſtat.

Nihil neceſſe eſt ad Phoenicum ſuperſtitionem probandam afferre, quae Porphyrius narrat (*e*), dum ait = *Plena autem eſt hiſtoria Phoenicia eorum, qui ejuſmodi ſacrificia* (mactatorum hominum) *obtulerunt, quam Sanchuniathon lingua Phoenicum ſcripſit* =.

Graviores Porphyrio, & illo Sanchuniathone, cujus libri, ut leviter dicam, valde ignotus pater eſt, atque incerta natalia, Scriptores eadem de cruentis Phoenicum ſacrificiis tradunt, ex quibus barbarus ille mos ad Carthaginienſes fortaſſe profluxit Saturno teneros infantes immolandi (*f*).

Eu-

(*a*) *Lib. I. C I. Bibl. ſuae.*
(*b*) *C. VII.*
(*c*) *L. XVI. p. m.* 570.
(*d*) *Id. ibid. p. m.* 568.
(*e*) Porphyr. *de Abſtin. L. II.* apud P. Alphonſum Niccolai *Diſſ. e Lez. di S. Scritt. Tom. I. p.* 95.
(*f*) Vid Rollin. *Hiſt des Carthag.* & AA. Anglos *H. Univ.*

Euſebius etiam Caeſarienſis, qui maxime omnium inter veteres Sanchuniathonis *Coſmogoniam* premit, de Diis Phoenicum (*a*) habet plurima, quae probant quidem, quod ille vult, peſſime Phoenices de Divinitate ſenſiſſe, at ſenſiſſe tamen aliquam eſſe Divinitatem, eadem opera ſtatuunt. Nam Philonis Biblii teſtimonium recipit, qui de Phoenicibus ita loquitur = *Solem, Lunam, reliquaſque ſtellas cum elementis, ac caeteris cum iiſdem affinitate conjunctis, ſolos ex omnibus agnoſcebant, ut mortales quidem alios, alios autem immortales Deos haberent* = Praeterea Serpentem illum ab Ægyptiis Κνὴφ appellatum, quem fuiſſe mundi Conditoris imaginem diximus, etiam a Phoenicibus habitum Deum, & eo nomine inſignitum, quod ἄγαθον δαίμονα Graece ſignificet, idem Euſebius tradit (*b*).

Et Cl. quidem Mignotius, Ægyptios illos, Thebaidis incolas, de quibus alio loco diximus, putat ab ipſis Phoenicibus illum ſuum Κνὴφ accepiſſe, quin & apud Phoenices ipſos per eam imaginem Mundi univerſi Architectum, ſeu cauſam intelligentia praeditam, ac producendi virtute, fuiſſe adumbratam (*c*).

Furmontius etiam, Vir erudititiſſimus, eoſdem Phoenicibus, & Ægyptiis fuiſſe Deos oſtendit, & hinc totam Graecorum *Mythologiam* ab Ægyptiis, Phoenicibuſque manaſſe, cum Euſebio, Porphyrioque, pronunciat (*d*). Bruckero quidem fabulas Graecorum, ſaltem fere omnes, a Phoenicibus eſſe repetendas probari non potuit. Sed Furmontii ſententiae non pauca, neque ſpernenda monumenta favent, quae *libro X. Praeparationis Evangelicae* idem collegit Euſebius.

At, ſi minus ea monumenta id efficiunt, quod Furmontius voluit, Atheos quidem certe non habendos eſſe Phoenices potius, quam Graecos, aut alios quoſcumque populos Ethnicos, facile perſuadent. Jam

(*a*) *L. I. Praep. Evang.*

(*b*) Vid. *Praep. Ev. L. I. c.* 10.

(*c*) *Tom. XXXI. de l' Ac. R. des Inſcript. IV. Mém. ſur les Anciens Philoſ. de l' Inde, par M. l' Abbé* Mignot *n.* 20. *p.* 228. *M.*

(*d*) *Reflex. ſur l' Hiſt. des anc. peup.*

Jam omnia, quae diximus, ad popularem Phoenicum religionem pertinere monemus. Nam doctrinam aliam apud ipſos fuiſſe, tantum Sapientibus cognitam, Cl. Agatopiſtus conjicit (*a*), cui prorſus aſſentior; & illa quidem doctrina multo meliores fuiſſe traditas de Natura divina ſententias, non ſine ratione ſuſpicatur.

Nolim tamen illud argumentum adhibere, quod Vir doctiſſimus habet, ex eo deſumptum, quod Phoenix ille Cadmus in Graeciam myſteria tranſtulerit. Nam reponi facile poſſet, ab uno Cadmo, vel, ſi vis, etiam a ſociis illius, de Phoenicibus reliquis conjecturam non eſſe capiendam. Certe quidem incolae Samothraciae, Diodoro teſte (*b*), narrabant, in ea regione Cadmum caeremonias, ac myſteria percepiſſe, antequam Thebas in Boeotia conderet. Quare dici poſſet, quod Cadmus in Graeciam eaſdem caeremonias invexerit, argumento non eſſe, quod apud Phoenices antea floruerint.

Sed, hac ratione praetermiſſa, Veneris, & Adonidis myſteria fuiſſe a Phoenicibus celebrata, ſatis ex antiqua conſtat hiſtoria. Cum ergo myſteria, ſaltem antiquioribus aetatibus, eadem ubique terrarum fuiſſe viderimus, cumque, tametſi commentitiorum Deorum, ut fortaſſe profanis adhuc magis occultarentur, nomina praeſeferrent, tamen non adeo abſurdas de Natura divina ſententias continuiſſe probaverimus, ſententias eaſdem ſapientioribus Phoenicibus placuiſſe colligimus.

CAPUT XXIV.

An doctrina, quae Sanchuniathonis Coſmogonia traditur, ullum relinquere videatur Divinitati locum?

PRopoſita quaeſtio tum ad id, quod agimus, valde utilis, tum ad agnitionem animi ſatis jucunda, & ad impios quoſdam refutandos de Divina Scriptura obloquentes,

(*a*) C. *X.* quod confer cum *XII.* & *XIII.*

(*b*) *L. VI. c.* 11.

hac praeſertim aetate, fere neceſſaria, reſolvi non poteſt, niſi ejus *Coſmogoniae*, de qua loquimur, doctrinam totam optime teneamus. Eam verbis exhibemus, quibus ipſam in pauciora contraxit Bruckerus, & faciliorem effecit, atque clariorem (*a*) = *I. Principium*, inquit, *hujus Univerſi fuit aër tenebricoſus, & ſpiritalis, ſive ſpiritus aëris tenebroſi, & chaos turbidum, atque caligine involutum. II. Haec infinita fuere, multoque tempore ignara termini. III. Ubi vero Spiritus propriorum principiorum* (τῶν ἰδίων ἀρχῶν) *amore exarſit, factaque eſt inde commixtio, huic nexui nomen factum deſiderii, ſive cupidinis: hocque principium creationis rerum omnium fuit. IV. Spiritus hic non cognovit ſuam generationem* (τὴν αὐτοῦ κτίσιν). *V. Ex connexione autem ejus Spiritus prodiit Mot. VI. Mot autem limum nonnulli, alii aquoſae mixtionis putredinem eſſe volunt. VII. Hinc factum eſt ſeminium omnis creaturae, & omnium rerum creatio. VIII. Inde orta certa animalia, ſenſu carentia, ex quibus facta ſunt animalia intelligentia praedita, quae vocata ſunt Zophaſemin, ideſt coeli contemplatores, in figuram ovi conformata. IX. Poſt Mot autem Sol, Luna, Stellae, & reliqua ſidera illuxere. X. Aëre vehementer illuminato per igneum, & vehementiſſimum calorem terrae, mariſque, enati ſunt venti, & nubes, unde magnae effuſae pluviae. XI. Aquae hae ſegregatae, & calore Solis ſuo loco depulſae, in aëre denuo concurrentes, ſuo conflictu tonitrua, & fulgura effecerunt. XII. Hoc ſonitu animantia excitata, & territa ex limo, quaſi ex ſomno proſilierunt, & eruperunt, tam ex terra, quam ex mari, mas, & foemina. Hactenus generalia Coſmogoniae principia, quibus poſtea additur, quomodo ex vento Colpia nominato, & muliere Baau, ideſt nocte, primogeniti homines nati ſint, ex quorum generatione Phoenices tandem deſcenderint* =.

Jam ad hujus doctrinae ſummam interpretandam variae ſunt excogitatae ſententiae, quas breviter explicamus. Nam primo quidem aliqui tum Veteres, tum etiam Recentio-

(*a*) Bruck. *T. I. &c. p.* 240. 241.

tiores (*a*) = *magnam*, inquit Bruckerus, (*b*) = *cum Syſtemate Moſaico convenientiam ſe inveniſſe rati, non dubitarunt Sanchuniatonem, non ex Ægyptiis, ſed Hebraeis potius annalibus ea ſurripuiſſe, & ita Moſaicam geniti mundi hiſtoriam fabulis Phoenicum, more gentis intertextam exhibuiſſe* (*c*) =.

Prima pars hujus ſententiae, quod ſcilicet ſit inter eam doctrinam, atque Moſaicam ſimilitudo non levis, placuit auctori ejus libri, qui Philoſophia Hiſtoriae inſcribitur, cum potius Philoſophiae perverſio, & Hiſtoriae corruptio inſcribi debuiſſet (*d*). Sed partem alteram homo acutus, cum impietati ſuae non ſatis commodam eſſe videret, invertere maluit, ac Moſem a Sanchuniathone, non Sanchuniathonem a Moſe ſuam accepiſſe doctrinam, ea ſcripſit impudentia, cui vix ulla ſaecula tulere parem.

T 2 Equi-

(*a*) Ex. gr. Grotius *L. I. de Ver. Relig. Chriſt.* Cudworth. *Syſtem. Intell C. I.* §. 22. quibus favet Anton. Genuenſis *in diſſert. de rerum corpor. orig.*

(*b*) *Ibid. p.* 241.

(*c*) Quotquot inter Moſis, & Sanchuniathonis doctrinam agnoſcunt ſimilitudinem, de qua loquimur, ultro fatentur, a Sanchuniathone agnitam fuiſſe Divinitatem. Etenim Spirirum, de quo Sanchuniathon, eumdem eſſe volunt, ac *Spiritum Domini, qui ferebatur ſuper aquas*, de quo Moyſes. Similia de aliis illius doctrinae capitibus pronunciant. Quare non poſſunt illa ſatis inter ſe cohaerere, quae ſcripſit Baylius (*Répon*ſ*. aux queſtions &c. C.CXI. p.* 726.) = *Sanchoniathon même, qui avoit lû, à ce qu'on prétend, les écrits de Moyſe* (hoc de Sanchuniathone ii dicunt, qui magnam, quam diximus, inter utriuſque Scriptoris doctrinam, affirmant ſimilitudinem intercedere) *expliqua la primiere formation des choſes, ſans y faire intervenir aucune Divinité. On dit qu'il vivoit avant le ſiege de Troje; & puis qu'il avoit fait une collection de plus anciens monumens des Phéniciens, il faudroit conclure que la vraie tradition ſe perdit bientôt, de ſorte qu'il ne conſidera que comme une fable les premiers chapitres de la Geneſe &c.* =. Caeterum haec omnia tam confidenter a Baylio pronunciata ex aliis etiam corruunt, quae de Phoenicibus hic diſputamus.

(*d*) Optime de hoc auctore, ideſt Voltaerio, pronunciat auctor operis, quod ex gallico ſermone verſum in italicum habeo, = *Il Filoſofo moderno, o ſia l'Incredulo condannato al Tribunale della ſua ragione. Lucca* 1769 = Scribit enim = *Non è uſcita opera alcuna dalla penna di queſt' Autore, che l'empietà non abbia condita .... L'eſca, con cui ſi acquiſta lettori, e partitanti, è la deciſione, e lo ſcherzo. Raziocinio, e Filoſofia ſono coſe bandite preſſo di lui* =.

Digitized by Google

Equidem cum ſententias ejus auctoris, quas nihil, praeter impietatem, commendare ſoleat, aut poſſit, deſcribere cogor, vix orationem continere queo, ne ſatis importune in amaras de miſera noſtrae hujus aetatis conditione querelas excurrat. Quid enim bonis artibus, atque adeo religioni triſtius accidere poterat, quam auctores incautae praeſertim juventuti in deliciis eſſe, qui non quaeſitam meritis, at vana opinione partam, & aliena fotam inſcitia, ſuperbiam eo uſque perducunt, ut non argumentorum robore, ſed laſcivientis orationis calamiſtris, atque lenociniis, & veritatem, & religionem perdere, & quoſcumque velint errores obtrudere ſe poſſe confidant? Quid Saeculo, quod *Illuminatum*, ſi ſuperis placet, appellant, majori potuit eſſe dedecori, quam in eo tam multis Scriptores tam malos fuiſſe probatos, ut aliquando vel in adoleſcentibus culpandam ignorantiam, negligentiamque praeſeferant? (*a*)

Sed haec omittamus, & Viros illos longe graviores refutemus, qui Moſis doctrinam a Sanchuniathonis *Coſmogonia* referri, ſuſpicati ſunt. Nam ſi res attentius inſpiciatur non

alia

(*a*) Exemplum habes in ipſo nomine Sanchuniathonis. Lege auctorem optimi libri, cui titulus = *Défenſe des Livres de l'Ancien Teſtament, contre l'Ecrit intitulé: La Phyloſ. de l'Hiſt. Amſt.* 1767. = Ad Caput illius 13. haec notat = *Il eſt dit dans ce Chapitre, que ſelon Euſebe Sanchoniathon ſignifie en ancien Phénicien, Amateur de la vérité. Or je trouve dans le texte de Porphire produit par Euſebe* (*L. I. Pr. Ev.*) *non pas que le nom de Sanchoniathon ſignifie l'Amateur de la vérité; mais que Sanchoniathon a écrit en Phénicien avec beaucoup d'exactitude ...* φιλαλήθως *Et ſi l'on excuſe le Philoſophe, qui n'entend pas le Grec ſur quelque traduction, qu'il aura ſuivie; j'obſerve que celle du P. Viger ...... porte ſingulari veritatis ſtudio: Georges de Trabiſonde traduit exquiſitiſſime* = . Vide alium de libro Sadder, quem hominem eſſe putat, ejuſdem auctoris non minus pudendum errorem, ab elegantiſſimo Fucherio notatum, *Tom. XXVII. de l'Acad. R. des Inſcrip. Sécond. Mémoir. Les Ecrits de Zoroaſtre p.* 331. Vide puerile argumentum, quo neque Belum, neque Nilum in Aſia fuiſſe probat, quod nempe Aſianorum Regum nomina non exirent in US. (*Phil. de l'Hiſt C. X.*) Vide etiam inſigne opus, *Les Erreurs de Voltaire*, in quo plurima ejuſdem Voltaerii errata, tam ſapienter notata ſunt a Cl. Nonnottio, ut nihil, niſi novos errores, ille, dum reſpondere vellet, proferre potuerit.

alia ſimilitudo videtur, quam quod & ſpiritus, & tenebrae, & chaos, & aquae tum apud Moyſem, tum apud Sanchuniathonem, dum rerum ortus exponunt, memoratae inveniantur. At ſi ea ratio valeret, ait Agatopiſtus (*a*), *Coſmogoniae* fere omnes inter ſe dicendae ſimiles eſſent. Mihi quidem, ſi quibuſdam in verbis eae doctrinae conveniunt, multo major apparet in rebus ipſis diſcrepantia, ut etiam ob hanc rationem nihil neceſſe ſit, alteram ab altera derivari.

Alia ſententia *ſyſtema*, ſic enim ait, *athomiſticum* per eamdem *Coſmogoniam* proponi putat. Placuit id Oleario (*b*), non autem Bruckero, ingenioſam eam opinionem, ſed nullo modo probabilem omnium exiſtimanti.

Equidem, quamvis Moſchum illum Sidonium (*c*), de quo tot inter eruditos Viros controverſiae, atque tam graves, primum Atomos excogitaſſe Poſſidonio crederem, non poſſem tamen eamdem in Sanchuniathonis *Coſmogonia* doctrinam, niſi forte divinando, deprehendere.

Tertia ſententia ea eſt, quam ſecuti ſunt ex antiquis Euſebius, ex recentioribus Richardus Cumberlandus, Moſhemius, Auctores Angli Hiſtoriae Univerſalis, Bruckerus, Agatopiſtus (*d*). Ea fert, Divinitatem a mundi fabrica per illam Coſmogoniam excludi, & impietatem omnino foveri. In eo ſpiritu, qui deſcribitur, animam potius illam videt mundi *mechanicam*, caeco quodam impetu agitatam, ac neceſſitate naturae. Multa Bruckerus in hanc rem notat, quae perſequi fuſius omnia, nihil neceſſe eſt.

Genuenſis quidem, ut hanc ſententiam impugnet, obſervat (*e*) in ea *Coſmogonia* = *Principium poni naturam non geni-*

(*a*) *Vol. I. della Iſtoria &c. C. X.*

(*b*) Apud Stanlejum *P. IX. C. XV. p. m.* 658.

(*c*) Vide de Moſcho inter antiquos Strabonem *XVI. Geog.* & Sext. Empyr. *L. I. adv. Phyſ.* inter recentiores Iſaac. Caſaubon. *in Athen* Voſſium *de Hiſt. Graec.* Burnet. *in Archeol. p.* 360. alioſque; praet. Bruc. Agat. Batteux.

(*d*) Euſ. *L. I. Pr. Ev.*, Cumberl. *in lib. angl. de Sanchuniath;* Mosh. *in diſſ. de Creat. ex nih. p.* 992. Cudw., AA. Hiſt. Un. *Introd. p.* 49. *ſeqq.* Bruck. *To. I. &c. p.* 242. 243. Agat. *V. I. &c. C. X. p.* 259.

(*e*) *Diſſert. de rer. corp. orig. C. I. §. V. p. m.* 12.

genitalem ſolum, ſed & intelligentem, uti ex vocabulis ἰδιῶν ἀρχῶν liquidum eſt = Hinc infert = *Non recte igitur Euſebius hanc Phoenicum Coſmogoniam Atheiſmi inſimulat* =.

Ingenue fateor, me Genuenſis argumentum, quin & ipſa ejus verba non ſatis percipere. Quomodo voces τῶν ἰδιῶν ἀρχῶν cauſam intelligentem deſignant? Nam *propriorum principiorum*, non autem *principiorum intelligentium* eſſe vertendas, illi etiam norunt, qui leviter Graecas litteras attigerunt. Sed aliquid humani forſitan Genuenſis hoc loco paſſus eſt, & vocem illam τῶν ἰδιῶν a verbo ἰδεῖν ita deduxit, ut *videntium* ſignificaret.

Si jam quaeratur, quid ego de hac tota re ſentiam, primo quidem illa *Coſmogonia* ſtultius aliquid, & ineptius ad rerum origines explicandas, afferri poſſe nego. Maximam quoque video, ab iis, qui fuerint eadem delectati, Deo Optimo Maximo injuriam irrogatam fuiſſe. Non hinc tamen ſequitur, ſi Criticos potius, quam Oratores agere volumus, ut homines eoſdem prorſus Atheos exiſtimare debeamus.

Nam aut ſapientes erant myſteriis initiati, aut rudes, atque profani, cultores Herculis, atque Siderum. Si de primis quaeramus, facile mihi perſuadeo, totam eos hanc doctrinam ita intellexiſſe, ut nihil haberet cum Atheorum impietate commune. Etenim iis, quae probavimus alio loco, ſatis eſt conſentaneum, a ſapientibus myſteria celebrantibus, & Herculem illum, & *Zophaſemin*, ſive ſtellas a *Mot* ſpiritus, ac materiae filio productas, divinis & nominibus, & honoribus indignas exiſtimatas, & unum potius maxime praeſentem, ac praepotentem habitum fuiſſe Deum, profanis incognitum. Quis jam praeſtare auſit, hunc eumdem ab illis Deum toti rerum Univerſitati formandae non fuiſſe praepoſitum? (*a*) Nam *Coſmogonia*, quam explicamus, hoc pati

(*a*) Si vis certior etiam hac de re fieri, lege eruditiſſimam Mignotii Diſſertationem, cui titulus = *Septieme Mém. ſur les Phénic &c.* = *Tom. XXXIV. de l' Ac. R. des Inſcrip. a p. 352. M.*

Digitized by Google

pati poteſt, ut Deus eſſe dicatur, a quo ille ſpiritus, (aut anima quaedam bruta, aut aër tenebroſus appelletur) neceſſario pendeat, & impetum illum acceperit, quo materiam invaderet, atque tam varias ex ea rerum formas exprimeret. Iidem dicere poterant, certos illos divina ſapientia motus fuiſſe gubernatos, quos idem ſpiritus in materia produxerit, ut in has rerum omnium pulcherrimas aliquando ſpecies ejuſdem materiae informes, & indigeſtae particulae converterentur. Ut paucis omnia complectar, non minus in *Coſmogonia* Sanchuniathonis, quam in alia Cartelii, aut Malebranchii, aut alterius cujuslibet per *mechanicas*, ut ajunt, leges rerum corporearum origines explicantis, Supremae Intelligentiae locus inveniri poteſt, quae cuncta numine ſuo diſponat, ac per cauſas, ut vocant, ſecundas infinita ſapientia moderetur.

Atqui mentio, inquis, ulla de Deo a Sanchuniathone non fit. Aſſentior. At primo quidem, quae dicebantur in myſteriis, non efferebantur in publicum. Deinde morem dici poteſt aliorum ille ſecutus, rerum omnium ſecundas, cum primam ſatis notam haberent, cauſas inveſtigandi.

Jam rudes alios Phoenices non Philoſophiae, ſed quaeſtui potius operam dantes facilius excuſamus. *Zophaſemin* enim illa, Euſebio teſte, putabant eſſe Deos, qui tum calore, ac virtute ſua produxerint homines, vento *Colpia* immiſſo, tum hominibus iiſdem quamplurima bona quotidie conferrent.

Neque dicas, intelligi non poſſe, quomodo Divinitatis notionem illi ſervaverint, qui tam ridiculos fovebant errores. Eadem enim eos Ἀθεότητος ſuſpicione ſtultitiae nota liberare poteſt, quae, doctis fere omnibus aſſentientibus, Ægyptios, quae Chaldaeos, quae Graecos; atque Romanos. Naturae quidem Divinae omnia ſumma tribuenda eſſe videbant. At leviſſimi homines ea quandoque laudi dabant, aut certe non ponebant in vitio, quibus creatae cujuſque naturae infirmitatem patefieri, mulieres etiam, puerique Chriſtiani non ignorant. CA-

Digitized by Google

C A P U T XXV.

An ea Coſmogonia Sanchuniathonis genuinum opus haberi debeat?

HActenus ita diſputavimus, ut Sanchuniathonis, quae dicitur, *Coſmogoniam*, & eſſe genuinum opus, & placita Phoeniciae antiquiſſimae gentis exhibere concederemus. Sed jam ad examen eam quaeſtionem revocemus oportet, ut aliquid certi, ſi fieri poſſit, in tanta rerum obſcuritate ſtatuamus.

Nam inter veteres quidem Euſebius, quem ſaepe memoravimus, ac Theodoretus, inter recentiores Grotius, Huetius, Gundlingius, Goguetus, Furmontius, Nicolajus, Mignotius, &, quem gravibus, doctiſque viris jungere pene me pudet, Voltaerius, genuinum illud opus arbitrantur (*a*).

At adverſarios habent Urſinum, Montfoconium, Calmetum, Dodwellum, Stillingflitum, Vandalium, Richardum Simonium, Joannem Albertum Fabricium, Witſium, Bruckerum, Ephemeridum Trevoltienſium Scriptores, Agatopiſtum Cromatianum, alioſque non paucos (*b*). Equidem ut certa ſeparem ab incertis, primo quidem Richardum Simonium, & Joannem Henricum Urſinum cenſeo refutandos, quorum alter aut a Porphyrio, aut circa Porphyrii tem-

(*a*) Euſ. *in Prooem. ad lib.* 2. *Praep. Ev.* Theod. *de curaud. Graec. affect. Serm. II.* Grot. *L. I. de Ver. Rel. Chr.*, Huet. *Dem. Ev. Pr. IV.* Gundling. ap. Bruck., Fourm. *Reflex. ſur l' Hiſt. des anc. Peup.* Gog *Diſſ. ſur Sancon.* Niccol. *Diſſert. e Lez. &c. Diſſ. proem. III. a p.* 85. Mignot. *VII. M. ſur les Phén. To. XXXIV. de l' Ac. R. des Inſcr.* Volt. *Phil. de l' Hiſt. Ch. XIII.*

(*b*) Urſin. *de Zoroaſ. &c. Exerc. III.* Montf. *Antiq. expl. L. IV. n.* 6. Calm. *Diſſ. ſur la Circonciſ & Dict. Bibl.*, Dodw. *in* 2. *ep. de Sancon.* Stilling. *Orig. S. L. I. c.* 2. Vand. *Diſſ. ſur Sancon.* Fabr. *Bibl. Gr. L. I. c.* 28. Sim. *Bibl. Crit. Tom. I. c.* 9. Bruck. *l. c.* Wits. *Ægyp. L. III. c.* 1., Trev. *M.* 1714. *Fevr. p.* 323. Agat. *V. I. c.* 10. His adde Auctorem *de l' Incert. de les Scienc. c.* 10. & Antonium Genuenſem *Diſſert. de Rer. Corpor. Orig.* qui rem in medio relinquit.

tempora, alter ab ipſo certe Porphyrio ſcripſit opus illud fuiſſe confictum. Nam Sanchuniathonem inter Phoenices Auctores fuiſſe relatum, & ejuſdem opus aliquod, ſeu potius operis fragmenta quaedam extitiſſe, ſignificat Athenaeus (*a*), qui ſub Marco Antonino claruit, & uno ferme ſaeculo Porphyrii praeceſſit aetatem.

Ille quidem non Sanchuniathonis nomen habet, at Souniethonis, quem ſimul cum Moſcho laudat. At recte ſcribit apud Genuenſem Caſaubonus = *peregrinus ſit oportet in republica litteraria, qui negat pro* Σουνιαίθωνι *ſcribendum eſſe* Σαγχουνιαθώνι = Melius tamen hoc idem Caſaubonus, quam Sanchuniathonem & a Joſepho, & a Philone, ſcriptoribus Hebraeis, fuiſſe memoratum = *in quo*, inquit Fabricius, *procul dubio memoria excidit* =.

Verum alia quaeſtio, an ea *Coſmogonia* fuerit ab alio aliquo Sanchuniathoni ſuppoſita multo difficilius reſolvi poteſt. Hoc tamen conſtat, Philonem quemdam Biblienſem Hadriano *σύχρονον* librum edidiſſe, quo cum Sanchuniathonem ipſum impenſe laudavit, tum ſe *Coſmogoniam* ab illo conſcriptam e Phoenicio ſermone in Graecum vertere profeſſus eſt. Porphyrius autem, juratus ille Chriſtianorum hoſtis, & Philonem, & Philonis opus innumeris ad coelum laudibus extulit, & quaedam excerpſit ab eodem auctore, ſuiſque libris inſeruit, quibus divinam illam antiquiſſimi e Phoenicia Scriptoris doctrinam cognoſcere poſſemus. Porphyrio aurem praebuit Euſebius Caeſarienſis, ac ſuo *Praeparationis Evangelicae* libro (*b*) non exiguam Philonianae interpretationis partem, qualem Porphyrius dederat, aſſuere non dubitavit.

Multis jam eruditi plures argumentis oſtendere nituntur, commentitium a Philone opus in lucem editum fuiſſe, quo labanti ſuperſtitioni opem ferre poſſet, & aliquid haberent Ethnici, quod Chriſtianorum libris opponerent.

Tom. II. V Ra-

(*a*) *L. III. c. 36. Dipnoſophiſtarum.*

(*b*) *V. Lib. I. c. 9.*

Digitized by Google

Ratio autem illa palmaris mihi videri ſolet, quam Scholaſtici aliqui, certas quaſdam, atque minutas Dialecticae regulas dumtaxat tenere ſoliti, facile contemnerent. Nempe de Sanchuniathonis tota *Coſmogonia* veteres apud Scriptores, qui Philonem praeceſſerunt, altum omnino ſilentium eſt. Videtur igitur tota res circa Philonis tempora, vel ab ipſo Philone fuiſſe conficta. Clamarent ſtatim rigidioris illius, non ſatis ab Arte Critica temperatae Dialecticae Magiſtri, argumentum hoc eſſe *negativum*, quo nihil confici poſſit: quibus equidem reponerem, argumentum eſſe *negativum*, ſed *poſitivo*, ut cum illis barbare loquar, immixtum. Nam ii ſiluerunt, qui, ſi *Coſmogoniam* Sanchuniathonis vetuſtiſſimi ſcriptoris, ac nobiliſſimae gentis doctrinam explicantis, didiciſſent, nullo modo, cum ſimilia colligerent, ac ſuis in libris exponerent, ſilere debuiſſent. Siluerunt autem ad unum omnes. Non igitur doctrinam eamdem habuerunt notam. Jam ſi notam illi non habuerunt, quorum in monumentis ejus generis conquirendis aſſidua verſabatur induſtria, quis jam credat, Philonem quemdam Bibl.enſem, poſt plurima ſaecula, notam habuiſſe? Equidem tamdiu non credam, dum hic idem clara quaedam documenta non proferet, quibus rationem, qua rem veteribus omnibus incognitam ipſe adeo feliciter detexerit, aſſequamur.

Hinc igitur praecipue moveor, ut, a Philone vel Sanchuniathonem, vel Sanchuniathonis libros non levi fuiſſe mendacio compoſitos, doctiſſimis Viris aſſentiar. Sed, quandoquidem, ut vidimus, ea ſententia Viris aliis eruditione, doctrinaque magnis diſplicet, eam temperare non recuſo. Dico igitur, hoc ſaltem omnino certum eſſe debere: contemnendam ſcilicet eſſe Philonis auctoritatem, & ex ea, quam adornavit, interpretatione de mente Sanchuniathonis, vel Phoenicum, circa origines rerum, nihil fere a nobis poſſe definiri.

Nempe, quamvis ille rem totam fortaſſe non effinxerit, tamen jure verendum eſt, ne ita depravaverit, atque corruperit, ut in aliam omnino faciem ea tota doctrina con-

converteretur. Id enim paucis verbis immutatis, aut additis, aut ſublatis, fieri potuiſſe, Viri docti non ignorant. Quis autem eam ſuſpicionem omnino probabilem eſſe non ſentiat, modo quis fuerit leviſſimo ſcriptori, dum interpretationem illam emitteret, propoſitus finis, teneat? Sane, quod Richardus Simonius opportune monet, ille ſcripſit, ut Chriſtianos argueret. Id ſi verum eſt, non injuria fidem ipſi adjungere recuſabimus, quandoquidem, alios ex eadem farina per ea tempora Scriptores effinxiſſe non pauca, conſtat, quibus patrocinium cauſae a bonis omnibus deſertae ſuſciperent.

Simonium ea notantem aliqui reprehendunt, ac Philonem potius eum ſibi finem in ſcribendo propoſuiſſe ajunt, ut Graecos coërceret, quos allegoriis in interpretandae religionis negotio nimium indulgere judicabat. Afferunt ipſa Philonis apud Euſebium verba, ut hoc doceant, afferunt ipſius Euſebii auctoritatem. Eam totam litem facile componi poſſe quiſpiam arbitrabitur, ſi dicat, aut Philonem, ut ſaepe fit, duplicem ſpectaſſe finem, aut unum quidem animo, alterum verbis, fuiſſe proſecutum. Nam certe Philonem tum incredibili Chriſtianorum odio flagraſſe ex Porphyrio diſcimus, tum ex ipſo, quod ſervavit Euſebius, ejuſdem operis fragmento, ſuppetias Numinibus ſuis, quae magis Chriſtiani, quam Graeci, premebant, ac ſolo cedere cogebant, ferre voluiſſe, conſtat.

At, quocumque modo ſeſe res habeat, leviſſimum hominem Philonem fuiſſe patet. Quid enim poteſt ſtultitiam, ac levitatem, homine docto prorſus indignam, clarius indicare, quam libros ad fabulas Ethnicorum defendendas, praeſertim eo tempore, conſcribere, quo Chriſtianorum rationibus paulo ſapientiores inter Ethnicos implexi, atque turbati, non aliter ab iis aliquo modo evadere ſe poſſe videbant, quam ſi allegoriarum integumentis ſe, Deoſque ſuos, religionemque contegerent? Si novi aliquid ipſe attuliſſet,

Digitized by Google

aut antiquas rationes illuſtraſſet, quibus retundi poſſe Chriſtiani viderentur, ſcirem equidem, quantum praejudicatis opinionibus concedi poſſet. Nunc autem, cum ſuperſtitionis cauſam tam aperte prodat, ac ſuos contemptui Deos exponat, quos coli, quos obſervari velit, nonne homo tum levis, tum impius, atque hinc nullius auctoritatis apparet? Quid igitur ei credam Sanchuniathonis cujuſdam, ignoti Scriptoris, non minus ignotam quamdam *Coſmogoniam* obtrudenti?

Sed opus non eſt argumenta conquirere, cum ipſe Philo ſatis in ea ipſa interpretatione, de qua loquimur, ſeſe prodiderit. Quid enim? Et Heſiodum nominat, eo tempore, quo Sanchuniathon floruiſſe dicitur, poſteriorem, & quoſdam Graecorum carpit errores, qui multo etiam ſerius invecti ſunt. Quamobrem evidens eſt praeclarum Interpretem ea libro eidem inſeruiſſe, quae cum non dicerentur in libro, ipſe tamen dici omnino volebat. Quis jam ergo praeſtare poſſit, non aliqua eumdem detraxiſſe libro, quae non valde ipſi placebant; ea maxime quae Judaeis, atque Chriſtianis, hoſtibus ſuis, favere poterant? quis non aliqua immutaſſe? quis non aliqua detorſiſſe? quis denique non id egiſſe, ut potius Auctor ſenſibus Interpretis, quam ſenſibus Auctoris Interpres ipſe ſerviret?

Quae cum ita ſint, Phoenicum ſententias ex hoc libro velle cognoſcere, non aliud erit, niſi certo errandi periculo ſeſe committere. Putare autem Phoenices Atheos fuiſſe, quod ejus libri fortaſſe doctrina tibi prorſus athea videatur, non aliud erit, niſi prudentem, atque volentem in Spinoſae laqueos incidere, ut minus ipſum deliraviſſe cenſeas, quod cum integro populo, eodemque celeberrimo, deliraverit.

CA-

C P U T XXVI.

De Caldaeis.

MAgnum aliquid Spinoſiſtae conficerent, ſi Chaldaeorum ſententias Magiſtri ſui placitis fuiſſe conſentaneas oſtenderent. Etenim illi, cum propter planitiem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, coelum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, trajectiones, motuſque ſtellarum ita obſervaverunt, ut Aſtronomiae ſcientiam ab aliquibus effeciſſe, ab aliis autem perfeciſſe perhibeantur. Quapropter ſi tales, ac tantos homines Atheos fuiſſe, probarent adverſarii noſtri, tum de generis humani conſenſu in agnoſcenda Divinitate, tum etiam fortaſſe de ratione illa tantopere celebrata, qua negare ſolemus, ab homine non prorſus demente, qui Coeli miracula contempletur, poſſe Deum non agnoſci, actum eſſe videretur. Itaque mirum non eſſe debet, a Spinoſiſtis omnem lapidem fuiſſe motum, ut, non minus quam ipſe Spinoſa, Pantheiſtae fuiſſe Chaldaei dicerentur. Sed & imprudentes hac in re Spinoſiſtis faverunt alii Scriptores, Pantheiſtis, atque adeo Atheis Chaldaeos adjungentes, ut apud Wolfium, Reimmannum, (*a*) aliosque videre potes.

At ſapientiſſimi quique Critici Chaldaeos omni ope defendunt; quin & ipſe Buddeus (*b*), quo nemo fortaſſe magis Atheorum numerum amplificavit, Atheis Chaldaeos concedere non audet (*c*), licet Pantheiſtas fuiſſe putet: qua quidem in re ſenſuum conſtantiam, a ſummis Viris in operibus etiam aliis Buddei fruſtra requiſitam, deſidero. Nam qui ſexcentis in locis Pantheiſtas & habere Atheos, & vocare non dubitat, ipſe ſibi repugnat, ſi, Pantheiſtas quoſdam

(*a*) Jo. Chr. Wolfius *de Atheiſm. falſo ſuſpect. S. II.* § 5. Reimm. *Hiſt. Atheiſm. C. VI.*

(*b*) *Trait. &c. C. I. §. VIII. p.* 8.

(*c*) Alia ſcripſerat *in Diſſert. de Spinoſ. ante Spinoſ.* §. 20.

dam homines, non autem eoſdem Atheos fuiſſe, ſcribat. Sed, ut verum fatear, Buddeus Wolfii, cui omnia ſumma tribuebat, veritus auctoritatem, noluit Atheos vocare, quos ille ab Atheiſmi nota purgandos aſſumpſerat (*a*).

Me quidem (quoniam quae vera eſſe mihi videntur, non, quae vera eſſe vellem, ſcribere ſoleo) nihil illa ratio movet, quam Cl. idem Wolfius non parum urget: quod videlicet in Oraculis Chaldaicis, Zoroaſtro tributis, ea natio ſatis pie de Deo ſenſiſſe videatur. Nam Oracula illa, vel omnia, vel ſaltem maximam partem fuiſſe confiсta, Critici fere omnes tradunt; licet ea Gemiſtus Pletho, Michaël Pſellus, Franciſcus Patricius, Joannes Barbeyracius, Thomas Stanleyus, alique ſane pauci, genuina eſſe duxerint (*b*).

Aliquanto validius argumentum ab Oraculo illo vetere deſumi poſſet, quod Iuſtinus, & Euſebius (*c*) ſuis libris inſeruerunt: haec autem habebat, ſi verbum verbo curemus reddere = *ſoli Chaldaei ſapientiam* (*d*) *ſortiti ſunt*, *&* *He-*

(*a*) *In Diſſert. de Atheiſm. falſo ſuſp.*

(*b*) Cl. Fucherius (*To. XXVII. de l' Acad. R. des Inſcr. Suit. du Traité hiſt. de la Rel. des Perſes &c. III. Mém. p. 343. & 376. M.*) putat Oracula Caldaica non tam veteris illius Zoroaſtri, atque Magorum, quam Alexandrinae ſcholae doctrinam exprimere, atque hinc ſaepe referre ſenſus, quos Platonici recentiores antiquis illis, Pythagorae, Platoni, aliiſque tribuebant. Ipſe tamen non omnino videtur Oraculis iiſdem diffidere, cum aliquo ſaltem modo germanam Zoroaſtris doctrinam in iis adumbrari putet.

(*c*) Iuſt. *Par. ad Gentes p. 12. ed. Paris*. Euſ. *Dem. Evang. Lib. III.*

(*d*) Sapientiae laude Chaldaeos floruiſſe certum omnino eſt. Cl. Batteuxius (*Tom. XXVII. de l' Ac. R. des Inſcr. I. Mém. ſur le Princ. actif &c. p. 171. M.*) ut Chaldaeos laudet, affert etiam Ciceronis teſtimonium, qui vocat Chaldaeos = *doctorum genus antiquiſſimum* =, nec non Strabonem qui *lib. XV.* ait = *ſeparatim attributa eſt in Babylonia habitatio Philoſophis indigenis, qui Chaldaei vocantur* = & Heſychium, qui de Chaldaeis haec habet = Χαλδαῖοι γένος Μάγων πάντα γινώσκοντες = Hinc mirum eſſe non debet, quod inclytus idem auctor (*l. c. p. 172.*) ſcribit = *on convient aſſez unanimemente qu' ils reconnoiſſoient un Etre ſuprême, père, & maitre de tout* = Imo, ſi caetera deeſſent argumenta, quibus Atheos non fuiſſe probaremus, ratio non prorſus infirma ex eadem duci Sapientia poſſet; quae videlicet cum Atheiſmi componi ſtultitia nequiverit.

Hebraei, Per ſe genitum Regem Deum pure venerantes = (*a*).

Certius tamen argumentum, ut Chaldaeos ab omni Atheiſmi ſuſpicione liberemus, ex Beroſi Babylonicis, quae conſervavit Syncellus *in Chronico*, deſumi poteſt. In iis enim *Coſmogoniam* ex mente Chaldaeorum exhibet homo Chaldaeus, & Chaldaeos inter ipſos doctrinae gloria nobilis (*b*). Dubium autem eſſe non poteſt, quin tota ea doctrina Mundi Deum auctorem agnoſcat (*c*). Ipſe Bruckerus (*d*), cum illam expoſuiſſet, quam dicit ἀλληγορικῶς φυσιολογεισ-

θαι-

(*a*) Graecum habet

Μοῦνοι Καλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ Ἑβραῖοι

Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

(*b*) Floruit is circa tempora Alexandri Magni. Babylonius erat, ac Templi Beli Sacerdos. In Graeciam profectus, cum Philoſophiam, atque Aſtronomiam Chaldaicam explicaſſet, ac de rebus Babylonicis, atque Medis praeclare ſcripſiſſet, magnis eſt, praeſertim apud Athenienſes, honoribus cumulatus, ut etiam, teſte Plinio *lib. VII. c. 37.* ſtatua in Gymnaſio donaretur. De illo ſaepe mentio fit apud antiquos, praeſertim Vitruvium *Lib. IX. c. 6. 7.* Joſephum *L. I. contra Apionem*, & *Antiquitatum Libro V.*, Clementem Alexandrinum *in Stromatibus*, Tatianum *Admonit. ad Gentes* Ex recentioribus, qui de illo agunt, praecipue legendi, Joſephus Scaliger *Emendat. Temp. ad calcem*, Joannes Perizonius *Orig. Babyl. Cap. I.*, Jo. Albertus Fabricius *Biblioth. Graec. Vol. XIV. p. 175.* & qui Criticam explicant Hiſtoriam Philoſophiae.

(*c*) Vide illam doctrinam a Cl Jo. Alberto Fabricio relatam ex eodem Syncelli Chronico, *Bibl. Gr. L. VI. Vol. XIV.* Ut plura omittamus, in ea *Coſmogonia* de Diis, atque ipſo Belo Deorum apud Chaldaeos maximo fit mentio, de quo Belo inter alia dicitur = Τὸν δὲ βῆλον, ὃν Δία μεθερμηνεύουσι, μέσον τεμόντα τὸ σκότος χωρίσαι γῆν, καὶ οὐρανὸν ἀπ' ἀλλήλων, καὶ διατάξαι τὸν κόσμον. Τὰ δὲ ζῶα οὐκ ἐνεγκόντα τὴν τοῦ φωτὸς δύναμιν φθαρῆναι. Ἰδόντα δὲ τὸν βῆλον χώραν ἔρημον καὶ καρποφόρον, κελεῦσαι ἑνὶ τῶν θεῶν τὴν κεφαλὴν ἀφελόντι ἑαυτοῦ τῷ ἀποῤῥυέντι αἵματι φυρᾶσαι τὴν γῆν, καὶ διαπλάσαι ἀνθρώπους, καὶ θηρία τὰ δυνάμενα τὸν ἀέρα φέρειν. ἀποτελέσαι δὲ τὸν βῆλον καὶ ἄστρα, καὶ ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ τοὺς πέντε πλανήτας = ſcilicet, ſi Latine verſa cupias = *Belus inſuper, quem Iovem interpretantur, mediis tenebris diſſectis, terram & coelum ab invicem diviſit, & mundum ordine compoſuit, animantibus lucis vim non ferentibus extinctis. Belus vero deſertam quidem regionem, & feracem conſpicatus, Deorum cuipiam proprium ſibi caput amputare praecepit, & ſtillanti ex ſe ſanguini terram admiſcere, ac homines, & animantia, quae aërem ſuſtinerent, efformare. Ipſe tandem aſtra Solem, Lunam, & alios 5. Planetas perfecit* =

(*d*) *Tom. I. H. C. &c. pag. m. 142.*

Digitized by Google

ϑεντα, ita pronunciat = *Quae Coſmogonia propter allegoriam, ut ſunt omnes veterum de ortu mundi doctrinae obſcuriſſimae, & denſiſſimo allegoriae velo obductae, ſubobſcura eſt, ſatis tamen veſtigia primaevae traditionis de ortu mundi, ex Chao a Deo producti, & ſemina rerum continentis prodit, & aperte animum humanum a Deo emanaſſe innuit, & alium Deum ad formandum mundum adhibitum docet; quae opinio, uſum ſummum Deum, in condendo mundo, alio Deo, Creationis auctore, ſive Demiurgo, per omnes fere gentes orientales, etiam Indos percrebuit* =

Porro quod per allegorias Beroſus innuit, clarioribus verbis Diodorus ille Siculus explicat, cujus auctoritatem non ſemel plurimi a nobis fieri ſignificavimus. Etenim Chaldaeos arbitrari docet, Mundi totius pulcherrimum ordinem divinae cuidam Providentiae acceptum eſſe referendum, & quaecumque in coelis fiant, non caeca quadam ſorte, vel ſua quaſi ſponte, ac natura fieri, ſed certo Deorum, conſtantique conſilio, atque potentia perfici (*a*): quo quidem Diodori teſtimonio ſatis Damaſcius ille refutatur, qui ſcripſit (*b*): ingenitum eſſe Chaldaeorum ſententia mundum, & a nullo auctore pendentem agnoſci oportere.

Sed fortaſſe Damaſcius inde fuit in errorem inductus, quod iidem Chaldaei, more veterum philoſophorum, materiae ipſius *γένεσιν*, atque adeo creationem, quam recentiores tum Scriptura *Θεοπνεύστη*, tum ipſa ratio docuit, ignorarent, aut inter ea, quae non poſſint ullo modo fieri, recenſerent.

Hoc tantum indicant illa Diodori verba, quae relatis antecedunt: nempe Chaldaeos ipſam Mundi naturam aeternam

(*a*) Haec eius verba ſunt *Lib. II.* = Οἱ δ' ἐν Χαλδαῖοι τὴν τῶν ὅλων τάξιν τε καὶ διακόσμησιν θείᾳ τινὶ προνοίᾳ γεγενῆσθαι, καὶ νῦν ἕκαστα τῶν ἐν οὐρανῷ γινομένων, οὐχ ὡς ἔτυχεν, οὐδ' αὐτομάτως, ἀλλ' ὡρισμένῃ τινὶ καὶ βεβαίως κεκυρωμένῃ θεῶν κρίσει συντελεῖσθαι =

(*b*) *In Mſſ. ap. Cumberland. de Coſmogon. Sanconiath. p.* 280.

nam ponere, & nullam ab aliquo principio ipſius generationem repetere (*a*).

Quod vero Diodorus ait, Deos a gente illa moderatores rerum induci, non pugnat cum eo, quod Bruckerus ex Beroſo collegit, unum ſummum a Chaldaeis fuiſſe poſitum = *Deum*, (verba ſunt Bruckeri) (*b*) *omnium Regem Parentemque, cujus providentia univerſorum ordo, atque ornatus factus eſt* = Quod quidem inter antiquos etiam Euſebius habet (*c*). Etenim, quod Batteuxius optime monet, ſub uno ſupremo Numine plures ponebant ſecundi ordinis Deos, qui nempe illius eſſent Ὑπηρέται, ſeu Miniſtri, Ἑρμηνεῖς, aut Interpretes, Βουλευταὶ, vel Conſiliarii; Δαίμονες praeterea, ſeu *Spiritus* bonos, atque malos, & Heroas; de quibus omnibus Platonicos Iamblichum, atque Porphyrium videre potes (*d*).

Inferioris eius Ordinis, vel, ut Latino more loquamur, minorum gentium Numina illae ſunt mundanae potentiae, quas in doctrina Chaldaeorum Pſellus (*e*) locum habere tradit.

Ad hunc autem Ordinem etiam Sidera pertinent, quae fuiſſe a Chaldaeis Aſtrologiae *Iudiciariae* vel maxime deditis culta ſicuti Numina veteres tradunt. Praecipue vero Solem colebant, ac Lunam, Planetaſque reliquos, & Zodiaci Stellas, a quibus in hominum vitam multa dimanare vel commoda, vel imcommoda ſibi perſuaſerant. Plutarchus quidem (*f*) de Planetis meminit in Chaldaea non mediocri religione cultis, duos tamen docens ab iiſdem bonos, duos creditos fuiſſe malos, tres autem boni, malique participes.

Ut quod Plutarchus, & alii veteres habent, melius intelligas, tibi tenendum eſt, duo, ſicut ex Syncello in-

Tom. II. X Chro-

(*a*) Ib = Χαλδαῖοι μὲν τῦ κόσμου φύσιν ἀΐδιον φάσιν εἶναι, καὶ μήτε ἐξ ἀρχῆς γένεσιν ἐσχηκέναι =

(*b*) *Tom. I. H. C. &c. p.* 152.

(*c*) *Praepar. Evang. Lib. IV. C. V.*

(*d*) Jambich. *De Myſteriis Sect. III Cap.* 31. Porphyr, *de Abſtinentia Sect. XLV.*

(*e*) Pſellus *de Daemoniis*.

(*f*) *De Iſ. & Oſir.*

Digitized by Google

Chronico (*a*) diſcimus, principia rerum a Chaldaeis fuiſſe credita; Optimum alterum, ſive Deum, quem Ignis (*b*) imagine initio deſignarunt, ſed poſtea exemplari turpiter cum imagine confuſo, ſin minus homines doctrina praeſtantes, at certe rudiores, igneae cujuſdam, quamvis puriſſimae, naturae eſſe crediderunt: Peſſimum alterum, omniſque originem mali, quod *Tenebras* appellarunt & Μισοφαῆ eſſe dixerunt. Iam vero utrumque Principium ſuos habebat Miniſtros, aut Inferiores Deos, licet primum alteri, non modo ſanctitate, ac bonitate omni, ſed etiam robore, potentiaque praeſtaret (*c*).

Quaerendi locus hic eſſe poteſt, quis ille ſit Deus, quem ſub Iovis Beli nomine Graeci Scriptores, & ſub nomine *Baalis*, quod ſignificat Dominum (*d*), ſacrae litterae cultum a Chaldaeis fuiſſe docent. Equidem opinor cum Bruckero, Belum Aſſyriae Regem ob ingentia benefacta cultum a populo Chaldaeo foeda ſuperſtitione fuiſſe: at procedentibus aetatibus ſapientiores homines, cum non parum eos puderet inſani cultus, neque tamen auderent populi animos laedere, ad ſummum totius mundi dominum, atque conditorem Deum eam religionem transferre voluiſſe, ita ſcilicet, ut *Baal*, ſive Belum ab Afsyriis cultum ſummum Deum eſſe dicerent, cui caeteri parere deberent,

Iidem ſapientes ſi cum populo inferiores Deos, & Solem, & Lunam, & Aſtra reliqua, non ſimulato cultu (quemadmodum doctiores, cum Deorum ſimulacris litarent, Graeci, atque Romani) ſed ex animi, ſuperſtitionis foediſſimae tenebris occupati, ſententia venerabantur, probabilis etiam alia dicenda eſt Bruckeri ſententia, quod iis fuerit =

(*a*) *p.* 28.

(*b*) Graeci dicunt ab iis vocatum Ζωόγονον Πῦρ, aut Φῶς νοερὸν, aut Ὕπατον Πῦρ.

(*c*) Notandum hic eſt, quod ſcribit Bruck. *b. p.* 134. = *neque tamen temere negandum eſt, praeter ſpiritus bonos, vetuſtiſſimas gentes, & in his quoque Chaldaeos... malos ſpiritus materiae craſſioris vehiculo malos factos admiſiſſe* =

(*d*) Vid. Seldenus *de Diis Syris Syntag. II. C. I.*

rit = *fons omnium ſpirituum Deus ſupremus, cuius eſſentiam per univerſum mundum, tamquam animam, diffuſam eſſe* (crediderint) *ſicque omnes mundi partes ſpiritus continere magnos, & quo nobiliores illae partes ſunt, ſpiritus quoque habere praeſides nobiliores, & maiores, ex iſta anima mundi decerptos.* =

Ratio autem huius opinionis ea eſt profecto non contemnenda, quod aliter explicari non poſſit, quid ſibi vellent, cum ſupremum Deum eſſe dicerent, a quo caetera, quae videmus, omnia non quidem creationis, ſed *emanationis* cuiuſdam, ut ajunt, lege profluxerint, ſimulque Solem, & Aſtra, & alios Deos eſſe colendos, a quibus multa in nos, atque noſtros bona proveniant.

Poſtulat hic locus, ut quae de Chaldaeorum doctrina Philo mandavit litteris (*a*) jam accurate perpendamus = *Chaldaei*, inquit, *prae caeteris nationibus elaboraſſe videntur artem aſtronomicam, & genethliacam, terrena ſublimibus, & coeleſtia coaptando terreſtribus......... Hi ſuſpicati ſunt mundum, quem videmus, aut ipſum eſſe Deum ſolum, aut eam, quae inſit, univerſalem animam, quam ubi ſub nomine fati, & neceſſitatis conſecrarunt, ſumma impietate repleverunt vitam humanam, perſuaſam quod praeter haec, quae videntur, nulla ſit rerum cauſa alia, ſed Solis, Lunae, Stellarumque curſus tam bona, quam mala diſpenſet ſingulis.* =

Philonis hiſce verbis perſuaſus Iuſtus Lipſius eadem fere Chaldaeos de Natura divina, quae Stoicos, docuiſſe arbitratus eſt. (*b*) Buddeus *in Diſſertatione de Spinoſiſmo ante Spinoſam* (*c*) fontes hic etiam detegere ſibi videtur, unde totam ſuam Atheus ille celeberrimus hauſerit impietatem. Bruckerus a Philone Chaldaeis recte tribui putat (*d*)

X 2 par-

(*a*) *De Migr. Abrab. p. m.* 415. Ea praeſertim verba notanda in Graeco = Οὗτοι τὸν φαινόμενον τοῦτον τὸν κόσμον ἐν τοῖς οὖσιν ὑπετόπησαν εἶναι μόνον, ἢ θεὸν ὄντα αὐτὸν, ἢ ἐν αὐτῷ θεὸν περιέχοντα τὴν τῶν ὅλων ψυχήν =

(*b*) *Phiſiol. Stoic. L. II. diſſ.* 10. *p. m.* 182.

(*c*) §. 20.

(*d*) *Tom. I. &c. p.* 132.

quod Deum eſſe Mundi Animam ſenſerit per omnes illius partes diffuſam, & commeantem; ſed = *male tamen*, inquit, *id ad ipſas mundi partes retulit, mundum, & aſtra in primis Deum habita fuiſſe putans, cum potius ſpiritus illi coeleſtes, quos his mundi partibus praeſidere putabant, & ex quorum providentia & influxu ſidera regi, & mirabilem illum ſuperiorum, & inferiorum concentum, neceſſitatemque fatalem oriri credebant, a Deo ſummo emanatione quadam, vel, ſi mavis, modificatione animae mundanae (quo ſenſu enim acceperint, incertum) derivandi ſint, eumque ſupponant* =

Sed jam, auditis aliorum ſententiis, judicium qualecumque noſtrum interponamus. Primo quidem, etiamſi verba Philonis Chaldaeorum, nec modo vulgarium, ſed & ſapientiorum ſententias nullo modo depravatas exponere dicantur, non tamen Chaldaeos in teterrimo illius, quae poſtea Spinoſae placuit, impietatis coeno volutatos fuiſſe oſtenderent. Ubi enim *unica* illa *ſubſtantia*, cuius cogitatio, atque adeo mentes omnes, quae cogitant, & extenſio, atque adeo res extenſae omnes, non aliud niſi totidem *modi* putandi ſint? Ubi natura illa, quae nihil arte, ac ratione molita fuerit, & ex cuius omnia neceſſitate ita dimanent, ut nullus in natura *cauſis finalibus* relinquatur locus?

Quod ſi Mundus, ac Mundi Anima dicitur Deus, impium eſt id quidem, & a recta ratione non parum alienum. At non idcirco negant illi, qui hoc dicunt, ſupremam eſſe Intelligentiam, quae cuiuſvis generis bona, quibus copioſiſſime affluit, in alias ab ea trahentes originem Intelligentias, ut ita dicam, redundare velit, & omnia, quae ante noſtros obverſantur oculos, & ſumma ſapientia condiderit, & non abſimili vigilantia moderetur.

Deinde puto, verba Philonis non ita eſſe explicanda, ut Chaldaei, de quibus loquitur, ipſi dixerint, praeter haec quae videmus, non alias eſſe rerum cauſas, ac Solis tantummodo, Lunaeque curſus, atque Siderum tam bona ſingulis diſpenſare, quam mala. Si Philonis hic ſenſus eſſet,

nimis

Digitized by Google

nimis aperte ſibi, paucis omnino verbis interiectis, ipſe contradiceret. Quomodo enim verum eſſe poteſt, non alias rerum cauſas, quam noſtris oculis objectas, ex ſententia Chaldaeorum eſſe agnoſcendas, ſi magnam illam ipſius Mundi Animam, quae certe oculis exhiberi non poteſt, cauſarum omnium eſſe cauſam volebant, quae fatum rebus omnibus, ac neceſſitatem induxerit?

Itaque ſenſum Philone dignum hunc eſſe puto: Chaldaeos, cum ea de Mundo, ac Mundi Anima dicerent, occaſionem hominibus praebuiſſe in Solem, ac Stellas, eventuum omnium cauſas referendi, atque adeo putandi, Siderum tantummodo curſus tam bona, quam mala hominibus impertiri. Cum enim ea Mundi Anima in Sole praeſertim, ac Sideribus reſidens per ea maxima corpora operaretur, hinc facile homines, praecipue non adeo ſubtiles, non alias rerum cauſas, quam eadem Aſtra, eſſe iactabant, quae tamen, ut ex aliis Auctoribus diſcimus, Deos eſſe opinabantur, diviniſque proſequebantur honoribus.

Non itaque tota illa cenſura, quam in Philonem Bruckerus exercuit, valde juſta mihi videri ſolet. Melius ex verbis iiſdem Philonis colligere Bruckerus potuit, ſententiam illam Chaldaeis placuiſſe de magna Mundi Anima, ſive Mente, quae ſingulas Mundi partes pervadat, de qua Virgilius cecinit.

„ *Principio Coelum, & Terram, campoſque liquentes*
„ *Lucentemque globum Lunae, Titaniaque aſtra*
„ *Spiritus intus alit, magnoſque infuſa per artus*
„ *Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet &c.*

Hinc, inquam Bruckerus opinionem illam ſuam confirmare potuit, quod nempe Divinitatem eſſe Chaldaei voluerint Spiritum per omnia commeantem, qui tamen varias divideretur in partes, nobiliores alias, alias vero minus

Digitized by Google

nus nobiles, nec tamen ſentirent ea ratione, quod eſt abſurdum vel maximum, diſcerpi, ac lacerari Deum.

Sed, ut verum fatear, quamvis hanc ego ſententiam, quae ſatis ab Atheiſmi labe Chaldaeos, ut Bruckerus ipſe loquitur, liberat, prorſus rejicere non audeam, tamen alia mihi ratio magis arridet, Chaldaeos ſaltem illos vindicandi, qui liberaliſſima non Aſtronomiae modo, ſed & Theologiae naturalis ſtudia impenſe coluerunt. Mihi nempe probabilius illos, cum *veritatem Dei in injuſtitia detinerent*, aliud domi cum quibuſdam ſuis, aliud foris cum populo fuiſſe locutos, praeſertim cum Chaldaicam inter, atque Ægyptiacam ſapientiam ſimilitudo non levis magnis, clariſque Scriptoribus interceſſiſſe videatur. Quamobrem eadem fere ratione Chaldaeos ab Atheiſmi calumnia vindicare poſſumus, qua ſapientiores Ægyptios vindicavimus, cum de arcana ipſorum doctrina ſermonem haberemus.

Et ipſa quidem ratio, qua doctrinam Chaldaei ſuam proponebant (idem de Ægyptiis dicere poſſumus) perpetuis nimirum allegoriis tectam, & obſcurarum vocum, quaſi labyrintho, incluſam, eo loco ſententias occulere ſuas eoſdem voluiſſe indicat, quo vulgari tantum doctrina, tamquam Ariadnae filo, profani homines freti pervadere non poſſent. Quare tantum ea ratio lucem aliquam in his tenebris afferre nobis videtur, quam ubi de myſteriis Ægyptiorum, aliarumque gentium, ageremus, neſcio an feliciter, audacter certe ſecuti ſumus. Scilicet ex illo doctrinam ſuam celandi ſtudio tam acri ſatis apparet, ſapientiorum inter Chaldaeos doctrinam a vulgari Chaldaeorum diſciplina fuiſſe diverſam.

Quaenam ea fuerit, accurate definire non poſſumus. Hoc tantum tenemus: Sapientiam Chaldaeorum a Sapientiſſimis Graecorum, qui eas etiam in regiones noſcendae veritatis amore abrepti penetraverant, fuiſſe laudatam. Cum ergo iidem Graeci, non modo Atheos homines contemptui haberent, ſed, & multo meliora, quam vulgares Ethnici, de

Na-

Digitized by Google

Natura divina ſentirent; quod ſapientes etiam illi Chaldaei, aut eadem, aut certe ſimilia ſenſerint, non a vero nobis videtur abludere.

CAPUT XXVII.

De Indis.

Merito Agatopiſtus Cromatianus de Scriptoribus quibuſdam, ac praecipue de Baylio conqueritur (*a*), quod propter aliquas Gymnoſophiſtarum, atque Brachmanum doctrinas Atheiſmum ſapientes, inconſiderate veteres non minus, quam recentiores Indos ejuſdem poſtulaverint impietatis. Etenim Auctores illi, niſi potius irretire mendaciis homines non ſatis eruditos, quam verum quaerere voluiſſent, profecto conceſſiſſent, nihil apud Indicarum rerum Scriptores magis certum occurrere, quam gentes illas per omnes aetates religioni, vel potius ſuperſtitioni ſerviviſſe, cum aliqua Divinitatis cognitione conjunctae.

Ac ſi de remotioribus quidem ab aetate noſtra temporibus quaerere velimus, & Diodorus Siculus, & Strabo, & Ælianus, & Lucianus, & Clemens Alexandrinus, & Philoſtratus (*b*), & Stephanus Byzantinus, & innumeri alii de hac ve-

(*a*) *Vol. I. della Iſtoria, e della Indole d' ogni Filoſ. C.* 8. *p. m.* 194. *&* 195.

(*b*) Diod Sic. *Lib. III. C.* 10. de Indorum Philoſophis haec habet = *recipiunt a privatis & ea quibus ſacra Diis faciant, & curam habent defunctorum, tamquam chari Diis, & quae fiant apud inferos praecipue norint: propterea dona plurima, honoreſque eis impenduntur* = Strabo *Lib. XV. Geogr.* de Indorum Sacrificiis aliqua narrat, ut cum ait *p. m.* 484. = *Victimam non jugulant, ſed praecluſo ſpiritu necant, ne quid mancum Deo offeratur, ſed integrum* = Ib. *p.* 499. = *Atque haec etiam a rerum ſcriptorib s dicuntur, quod Indi Jovem pluvialem, & Gangem fluvium, & indigetes Genios colunt* = Ælianus *L. II. Var. Hiſtor.* 31., ut praeclaram illam ſententiam probet, inter barbaros nempe Atheos non inveniri, haec habet = Ἰνδὸς…. Κελτὸς …. Αἰγύπτιος λέγουσι . καὶ θεοὺς εἶναι, καὶ προνοεῖν ἡμῶν = Lucianus *de Saltat.* dicit, Indiae populos adorare Solem ad Orientem verſos, & choreas cum magno ſilentio ducentes, ut

veritate nos dubitare non ſinunt; &, ſi de temporibus noſtris agamus (agendum autem hic jam eſſe cenſemus, cum antiquiora illa poſſint a recentioribus hiſce lucem accipere) vix aliquis de moribus Indorum ſcribens hiſtoricus produci poterit, qui de ſuperſtitione ipſorum, quam diximus, verba non faciat (*a*).

Ne ipſos quidem excipio, qui de Siamenſibus ſcribunt, quos Lockius Atheiſmi cum aliis accuſare videtur (*b*). Nam Berytenſis Epiſcopus, quem citat ipſe Lockius, plures ab illis Deos agnoſci docet (*c*); & ipſis Theologiam tribuit Choëſyus (*d*), licet eam eſſe velit, quae nullum revera Divinitati relinquat locum; quod ego veriſſimum eſſe fateor, dummodo ita intelligatur, ut nullum Deum jam agnoſcere poſſint ſtultiſſimi homines, ſi tam abſurda placita conſtanter tueri velint, & quid ex iis conſequatur videant; non tamen, ſi forte Scriptor ipſe ne levem quidem a Siamenſibus notionem Divinitatis cuſtoditam fuiſſe cenſeat. Id enim vel ea, quae narrat ipſe de Siamenſium Theologia, dici nullo modo patiuntur.

Similiter explicandi Croſaeus, atque Luberius (*e*), qui tribuunt iiſdem Siamenſibus ignorantiam ſupremi Numinis. Nam

ut placidum illius motum imitari viderentur; Clemens Alex. *in Protreptico*, ubi teſtatur Indos Aſtra, Solemque colere, Philoſtratus *V. Apollon. III.* 4. Stephanus Byzant. *V.* βραχμ., qui fere idem dicunt.

(*a*) Vid. S. Franciſci Xaverii epiſtolas, & Scriptores omnes memoria dignos, qui res tanti Viri praeclare geſtas litteris conſignarunt, Vid. *Lett. édifiantes &c.* pluribus locis, Maturinum Croſaeum (*La Croze*) *Hiſt. Chriſtian. Ind.* &, ſi hoc lectionis genere delectaris, Viatores (*les Voyageurs*) fere omnes, qui de rebus Indiae ſcripſerint; quas ipſi vidiſſe dicuntur.

(*b*) Lock. *de l' Entend. &c. L. I,* c 3. §. 15. *p. m.* 78.

(*c*) *Voyag. Ch.* 13.

(*d*) *L' Abbé* de Choiſy *dans ſon Journal du Voïage de Siam. p.* 107. 177.

(*e*) Croſ. *Hiſt. Chiſt. Ind. L. VI. p. m.* 645; de la Loubere *Deſcript. de Siam. To. I. p.* 395. Ita de hoc Auctore *in Adn. ad Hiſt. General. Itiner. Tom: XXXIV. p.* 329. 330. = *La-Loubere parbit avoir ignoré le fond de la Religion Siamoiſe, puiſqu' il dit, que dans toute leur doctrine il ne trouve nulle idée de Divinité p.* 394. *à moins qu' il n' entend nulle idée, qui raſſemble à la nôtre* =.

Digitized by Google

Nam & ipſi concedunt apud eos Sommonacodomum, publica ſuperſtitione, ſimul cum aliis Numinibus, coli, ac maxime potentem, atque praeſentem haberi Deum; & Baylius ipſe, qui populum hunc eumdem in religione non ſibi conſtare notavit (*a*) hoc ipſo religionem aliquam, ſine Divinitatis, ſaltem imperfecta, notione non inveniendam, ab eodem populo ſuſceptam fuiſſe docuit.

Quod vero de Mundi totius ſummo Creatore taceant, ſi qua nonnullis Auctoribus fides, dum ſua illa tam ridicula ſacra peragunt, eſſe inde poteſt, quod, ut Bruckerus conjicit, (*b*) in colendis occupati Numinibus inferioribus cultus, qui ſupremo rerum omnium Conditori debetur, fuerint obliti, aut quod eadem, qua Tartari Mahummedis doctrinam non recipientes, ſtultitia teneantur, cum *Idola* illi quidem innumera tamquam ſupremi Dei Legatos adorant, ipſum tamen ſupremum Deum admirationi potius, quam venerationi generis humani proponendum eſſe arbitrantur.

Et id quidem eo magis eſt vero ſimile, quod haec eadem dementia non longe disjunctas a Siamenſi regno Malabaricas gentes fere totas invaſerit. Ajunt enim ſummum eſſe Deum infinita ſapientia, potentiaque praeditum, atque virtute, qui tamen ſatis intelligi a nobis, cognoſcique non poſſit; ac proinde ſatius eſſe minores Deos, ac noſtra curantes, precibus, & honoribus cujuſcumque generis proſequi (*c*).

Caeterum quod Siamenſes Numen eſſe ſupremum & dicant, & ſentiant, a quo caetera profluxerint omnia, facile probatur. Nam, ut Bruckeri ejuſdem verbis utar (*d*) = *patet ex earum gentium, quae Malabaricae dicuntur, religione ſyſte-*

(*a*) *Diction. Art. Ruggeri not. D.*

(*b*) *Tom. IV. P. II. L. III. C.* 1. §. 5. *p.* 813.

(*c*) Advertendum quoque eſt, eſſe in India gentes, quae bonorum Auctorem Deum agnoſcant, & colendum exiſtiment, ſed propter impietatem *Diabolum*, ſeu *Principium Malorum* ſibi majoribus obſequiis conciliare curent. Id in populis Peguenſibus locum habet. Vid. *Hiſt. Génér. des Voïag. T. XXXVI. p. m.* 201. *&c.*

(*d*) *Ibidem.*

ſyſtema emanativum, quo innumerae Deitatis perſonae ex uno Numinis fonte progreſſae, & mundi partibus regendis praefectae ſtatuuntur, Indiam quoque totam occupaviſſe, & omni, quae in regionibus Siam, Arekan, Laos, Cambojae, Cochinchinae, aliiſque obtinet, & foediſſima ſuperſtitione colitur, idololatriae originem dediſſe = Quod Bruckerus docet, docuerant ante ipſum alii, ut Burnetius, ac, de Siamenſibus nominatim agentes, Auctores Britanni magnae illius hiſtoriae, quae *Univerſalis* dici conſuevit (*a*).

Idem Tachardus qui Siamenſium impietatem ſuis coloribus pingit, tamen ex Talapoinorum, qui ſunt inter illos Doctoribus noſtris, Theologiſque ſimiles, arcanis libris eam doctrinam exhibet, quae ſtulta quidem, atque ridicula, non tamen Spinoſiſtica dici, vel Athea poteſt (*b*).

Notarunt etiam & ii, quos diximus, Britanni Auctores, & poſt eos idem Bruckerus, in illa doctrina *Emanationem*, ut in *Syſtemate*, ſic enim dicitur, *Cabbaliſtico*, mundorum, ac rerum omnium a prima Cauſa efficiente poni, & omnia dici in eamdem Cauſam, quaſi flumina in pelagus, unde ſuam duxerint originem, eſſe reverſura (*c*).

Jam quae de Siamenſibus diximus, qui magis, quam reliquae Indiae gentes, premuntur ab adverſariis, de gen-

ti-

(*a*) Burnet. *Archaeol. phil. p.* 542. *AA. Hiſt. Univ. P. I. p. m.* 111.

(*b*) P. Tachard. *Prem. Voyag. à Siam. a p.* 282. Hic Auctor maxime inter omnes, qui de Siamenſi Religione ſcripſerunt, audiri meretur. Vide Praefationem ad Volumen XXXIV. Hiſtoriae Generalis Itinerum (*Hiſt. Génér. des Voyages &c.*) in qua etiam dicitur (*Liv. II. &c. p.* 329.) = *Tachard, que ſes lumieres naturelles, & la qualité de Théologien relevent beaucoup au-deſſus du commun des Voyageurs, mérite ſans contredit la préférence, que je veux donner à ſes obſervations &c.* = In eadem Hiſtoria *ib. a p.* 330. quid Siamenſes de Deo, ejuſque perfectione ſentiant, fuſe exponitur.

(*c*) Multo meliorem de Divinitate opinionem tribuerat Siamenſibus Odoricus Raynaldus *ad an. Chriſti* 1518. = *Tenent Siamenſes*, inquit, *Deum Coeli, & Terrae Conditorem eſſe, ac piorum animas aeterna gloria, impiorum infernalibus ſuppliciis affici ..... ampliſſima Deo templa ponunt, in quibus plura ſimulacra hominum, quos ob virtutes*

in

tibus iiſdem reliquis ſcribere, non ſine magna ratione poſſumus. Nempe quocumque te in India vertas, omnia potius nefanda ſuperſtitione, quae Divinitatis notionem enormiter depravaverit, quam Atheiſmo, qui notionem eamdem penitus exterminatam voluerit, plena eſſe videbis; ac plena item antiquioribus aetatibus fuiſſe, quae ſuperant adhuc monumenta conſulens, facillime deprehendes.

Porro, quod aliqui fuerint inter Indos Athei, quamvis Æliani aetate negari potuerit, non tamen ego negare auſim. Hoc tantum dico; non magis inde veteres, ac recentiores Indos fuiſſe, vel eſſe Atheos appellandos, quam Itali, vel Galli dicantur Epicurei, vel Spinoſiſtae, vel Religionis hoſtes, quod etiam aliqua eorum generum monſtra felices hae regiones aliquando, vel invitae, ut ita dicam, ingementeſque protulerint.

Nam, cum peſſimos illos homines tum Gallia, tum Italia execrata ſit, dirifque devoverit, fecit id etiam aliquando India, ſi probatae fidei teſtibus aures adhibeamus. Profecto Sammanaeorum ſecta, quae Buddam, de quo alio loco non pauca dicemus, jactabat auctorem, ſed malas ejuſdem philoſophi ſententias pejori, ut ego arbitror, ratione interpretata, religionem omnem, atque Divinitatis cultum ejuraverat, Malabaricis omnibus, & Coromandelicis ejecta littoribus, in interiores Indiae partes ſeſe, viruſque ſuum abdere coacta eſt; neque tamen, quod obiter notare liceat, Zimermannus, aut Ruſſojus aliquis, aut Voltaerius inventus fuit, *Tolerantiſmi* patronus, qui laedi hac ratione ſocietatis humanae jura, & non ferendum ingeniis hominum, ac voluntatibus jugum imponi clamitaret.

 Dein-

in Coelum receptos ajunt, venerantur ..... mundum habuiſſe principium ajunt, ac diluvio generali obrutum fuiſſe, atque octo annorum millibus completis periturum incendio; jamque ex eo annorum numero ſex millia praeteriiſſe &c. ≒.

At Raynaldo Recentiores aliqui praeferendi videntur, cum de Siamenſium Religione agitur; praeſertim vero Tachardus, cujus librum conſule, ſi plenius de rebus ad eam pertinentibus edoceri cupias.

Deinde ſpretos eoſdem Atheos, aut Atheis valde faventes homines in India vulgo fuiſſe, hoc etiam argumento efficere licet, quod libri, quos ii populi ſummo in honore ſemper habuerunt, quos eruditi homines nocturna verſant, atque diurna manu, quos vulgares, & indocti refutari maximo piaculo ducerent, multa de Numine ſupremo tradunt, ejuſdemque colendi ratione, quorum aliqua non inter abſurda profectò, vel impia numerare poſſis.

Nam, ut quaedam omittam, quae loco magis opportuno viſuri ſumus, in libro, qui *Panjangam* dicitur, ac ſumma eſt apud Indos auctoritate (*a*), Deus eſſe dicitur, = *quod omnia ſuſtineat* = perinde ac ſi docere voluiſſet auctor, id eſſe Deum, quod *portet omnia verbo virtutis ſuae:* in *Gnana Vampa*, libro item & antiquo, & celebri apud eam gentem (*b*), = *Deus & eſſe ubique, & rebus omnibus adeſſe* = traditur, & alia Divinis Attributis explicandis non parum idonea indicantur.

Liber autem alius *Ezour Vedam*, qui liber, antequam Alexander in Indias proficiſceretur, conſcriptus fuiſſe dicitur, Deum invocat, qui = *praeſtantiſſima ratione dici Anima debeat* = ſeu Spiritus omnia regens, = *propterea quod vitam omnibus donet, atque conſervet* = (*c*). Alio ejuſdem libri loco (*d*) = *Deus*

(*a*) Vid. *Lettres édifiant: Rec.* 10. *p.* 4.

(*b*) Vid. La Croze *p.* 456.

(*c*) *De Ezour Vedam* pronunciaverat Agatopiſtus *Vol. I. della Iſtoria &c. C. VIII. p.* 189. = *convien dire che ſia di poco uſo, perchè ſebbene ſtia nella Bibliotheca di Parigi, non vedo che ne uſi niuno* = ſed uſus eo eſt paucis ab hinc annis Cl. Mignotius (*To. XXXI. de l' Ac. R. des Inſcrip. IV. Mém. ſur les Anciens Philoſ. de l' Inde &c. p.* 247. *M.*), qui ex eo libro refert = *Vous êtes l'ame par excellence, eſt-il dit dans l' Ezour Vedam, qui eſt un Commentaire de Vedam en langue Samſcretane, dont M. Caperonnier a bien voulu me communiquer la nouvelle traduction françoiſe, parce que vous donnez la vie à tout, & que vous la conſervez* =.

(*d*) Idem Mignotius eodem *Tom. p.* 263. *M. V. Mém. ſur les Anciens Philoſ. de l' Inde &c.* haec alia refert ex libro *Ezour Vedam* = *Vous êtes, diſent les Indiens s' adreſſant à Dieu dans l' Ezour Vedam* (*Ezour Ved. L. VI. C. I.*) *le ſauveur, la*

= *Deus eſſe mundi* dicitur *& pater*, *& dominus*, *& ſervator qui omnia videat*, *omnia cognoſcat*, *omnia gubernet* =.

Eſt autem hic liber *Ezour Vedam* libri alius, qui *Vedam* inſcribitur, quaſi declaratio quaedam, & explanatio. *Vedam* vero tum doctrina, tum antiquitate potiſſimus habetur, in quo multa de Divinitate, ac de Religione, officiiſque omnibus explicata leguntur.

Ineptum autem eſſet, ſeu potius injuſtum, quae retulimus, & alia ſimilia verba, quae referre poſſemus, Spinoſianos ad ſenſus detorquere. Verba enim illa, praeſertim ab hominibus prolata, qui, ut de Perſis (*a*) Genuenſis in re non multum abſimili ſcripſit, *ſimplicius*, quam nos, *ut vivebant*, *cogitabant*, Spiritum inducunt, ſumma intelligentia praeditum, atque virtute, qui nulla profecto *virtute* vel bono careat, quod rebus a ſe conditis ineſſe voluerit.

Deinde ſi Deus ille non aliud eſſet, niſi Spinoſiana *Subſtantia*, cur de illo pie, ſančteque colendo tam multa praeciperentur? Etenim Spinoſiana *Subſtantia* non magis eſt, atque apparet religioſo cultu digna, quam totum genus humanum, quam tota collectio corporum, quam tota denique tellus haec noſtra, tot animantibus referta, doniſque naturae, precibus, & votis, & aris digna videatur.

Praeterea rerum omnium originem Indi veteres, ac recentiores ad primam intelligentem Cauſam ita referre conſueverunt, ut Spinoſianae doctrinae jam nullus apud eos poſſit inveniri locus. Nam, ut illa omiſſa faciamus, quae poſſemus ex Tachardo de Talapoinorum Siamenſium doctrina referre, ad plebejam ipſam videtur Indorum pertinuiſ-

le père, *& le maître du monde ; vous voyez tout*, *vous connoiſſez tout*, *vous gouvernez tout* =.

(*a*) Perſas, & Indos eadem de Principio activo Mundi ſenſiſſe veriſimile putat egregius auctor Batteuxius (*To. XXVII. de l' Ac. R. des Inſcr. I. Mém. ſur le Principe actif de l' Univers &c. Art. II. p.* 186. *M.*) Jam de Perſis Cl. Fucherius (*To. XXV. de l' Ac. R. des Inſ. Traité biſtor. de la Relig. des Perſes &c. p.* 100. *M.*) pronunciavit = *Tout le monde convient*, *que les Perſes ſe ſont moin écartés de la Religion primitive du genre humain*, *que la pluspart des autres peuples &c*, =

nuiſſe doctrinam, quod Bardeſani, ſi quà Porphyrio fides (*a*), in Indiam progreſſo ab hoſpitibus narratum eſt.

Illi ſcilicet ſimulacrum oſtenderunt, quod exemplar fuiſſe dicebant a Supremo Numine propoſitum Filio, cum illi, ut res ex materia produceret, quae mundi machinam modo conſtituunt, auctor fuit. Porro ſimulacrum idem Bardeſanes retulit maris, ac foeminae, caeterarumque creandarum rerum, mira quadam, ac plane divina ratione, formas exhibuiſſe. Fabulam hanc eſſe, quam apud nos

„ *Nec pueri credant, niſi qui nondum aere lavantur* (*b*) „

quis non videt? Sed fabula haec intelligentiam, ſummo conſilio, atque arte inſtructam, ab iis, qui fabula eadem delectabantur, fuiſſe tot rerum, atque tantarum molitioni praepoſitam, ſatis manifeſte declarat.

Simile illud eſt, quod ex Bucherio (*c*) Cl. Mignotius de recentionibus Indis memoriae prodit: illos opinari, ſupremum Deum, qui per totam fuerat aeternitatem, cum coeli nondum, aut terra eſſet, Brumam omnipotenti virtute ſua produxiſſe, ac per Brumam deinde rebus omnibus, ut exiſterent, cauſam fuiſſe.

Iidem tradunt, narrante Mignotio, Deum, quem barbarico vocabulo *Viſchnoum* (*d*) appellant, rebus omnibus conſervandis adeſſe, & quae Veteres Animae illi mundanae, ipſi huic eidem Numini tribuunt. Sed & idem narrare ſolent, maximo humani generis amore teneri, ob eamque cauſam varias induiſſe formas, ut ſuis hominibus appareret.

Haec, inquam, aliaque ſimilia non modo Spinoſae doctrinam non ſapiunt, ſed cum eadem componi nulla ratione poſſunt. Multo minus cum Spinoſiana ſtultitia commune quidquam habent quaedam Chriſtianis etiam hominibus dignae

(*a*) *De Styg. p.* 283.
(*b*) Juvenalis.
(*c*) *Ib. p.* 240. & 241. citans *le P. Boucher* 2. *lettre à M. l' Ev. d' Avranche*.
(*d*) *Viſchnou*.

gnae ſententiae, quas veteribus illis Indis Strabo, graviſſimus & Hiſtoricus, & Criticus, attribuit (*a*): mundum videlicet fuiſſe genitum, eumdemque natura ſua poſſe corrumpi, ejus autem auctorem, omniumque rerum moderatorem eſſe Deum agnoſcendum. Reſpondent autem his aliae ſententiae, quas recentiorum temporum; atque adeo noſtrorum Indis placere, tradit Scriptor antiquo illo Strabone, vel acumen ingenii ſpectes, vel orationis elegantiam, vel doctrinae varietatem, & copiam; profecto non minor, Cl. nempe Mignotius, quem ſaepe laudavimus, ſaepe item laudaturi ſumus (*b*).

Mentiuntur ergo, niſi forte a mentientibus ipſi decepti fuerint, qui dicunt Phariſaeo illi Philoſopho, ſeu potius, nec diu Phariſaeo, nec unquam Philoſopho, ſemper tamen impio Divinitatis hoſti, Spinoſae veteres, ac recentiores Indos adſtipulari (*c*). Quod ſi forte ſeſe reponant; Indorum, quos tam acerbe carpunt, nomine Philoſophos ejus gentis deſignatos velle, primo quidem aliis omnino vocibus eos uti praeſtitiſſet, ut non integram Atheis nationem, eamdemque

que

(*a*) *L. XV. Geog. p.* 490. = Ὅτι γὰρ γένητος ὁ κόσμος, καὶ φθαρτὸς λέγειν κἀκείνους, καὶ ὅτι σφαιροειδής, ὅτι διοικῶν αὐτὸν, καὶ ποιῶν θεὸς δι' ὅλου διαπεφοίτηκεν αὐτοῦ =.

(*b*) *Eod. To. XXXI. V. Mém. &c. p.* 271. *M.* = *Ils ſubordonnent au premier Etre un grand nombre d'intelligences ſpirituelles, comme lui, mais ſoumiſes à ſon pouvoir, & tenant de lui leur exiſtence* = *Ib.* = *Les Chingulais, ou habitans de l'Ile de Ceylan, qui reconnoiſſent un Dieu ſuprême, formateur du Ciel, & de la terre, qui gouverne l'un, & l'autre, penſent auſſi que ce ſouverain Dieu envoie d'autres Dieux ſur la terre, pour exécuter ſes ordres* =. Si Deorum nomine, uni ſummo Numini parentium, Angelos intelligerent, quos Deo debitis non proſequerentur honoribus, nihil eſſet; quod etiam in hac poſtrema ſententia, jure laudari non poſſet. Caeterum facile concedo barbaras illas gentes etiam illa, quae praeclare dicta videntur, tam male interpretari; ut ad ingentes, ac maxime abſurdos delabantur errores. Sed errores illi, quod mihi probandum eſt, a Spinoſianis erroribus longiſſime diſtant.

(*c*) De quibuſdam Inſulis, quae Indiae adjacent, ac terris auſtralibus, quemadmodum & de regionibus illis, quae Occidentalium Indiarum nomine veniunt, in altera hujus libri parte agendum ſeparatim eſſe duximus.

Digitized by Google

que florentiſſimam, citius quam paucos quoſdam homines, inſanientis ſapientiae conſultos, concedere viderentur: deinde hoc ipſum, quod de Philoſophis Indis jactant, diligentiori examine perpendere debuiſſent. Nam philoſophos eoſdem, ipſumque Buddam, ac maximam illius diſcipulorum, ac nobiliſſimam partem ab Atheorum impietate abſuiſſe cenſendum eſt, niſi potius Divinationis artem exercendi maleſana cupido nos teneat, quam artis Criticae ope verum inveſtigandi.

CAPUT XXVIII.

De Veteribus Indorum Gymnoſophiſtis; ubi aliqua etiam de Brachmanibus recentioribus.

VEteres Indorum philoſophos, a Graecis, Latiniſque ſcriptoribus Gymnoſophiſtas appellatos (*a*), ab Atheiſmi nota vindicare facillimum nobis eſt. Quamquam enim ſatis certae nobis, exploratae que fidei monumenta deſunt (*b*), quibus peculiarem poſſimus ipſorum tenere doctrinam, ea tamen, quae ſuppetunt, doctrinam ſaltem exhibent ab Atheorum impietate, atque ſtultitia illa ſumma non parum alienam. Aut igitur nihil de ſententiis ipſorum definire poſſumus, aut Ἀθεότητος abſolvere debemus, cujus levium quorumdam Scriptorum temeritas eoſdem inſimulavit. Sed etſi ni-

(*a*) Tanta fuit inter Graecos ſapientiae Gymnoſophiſtarum opinio, ut plures ad eos iter arriperent. Id factum etiam eſt aetatibus non adeo antiquis, cum Graeci ſuos philoſophos tantopere celebratos audiviſſent. Hinc Plotinus ipſe, quamvis Platonis amore deperiret, ad Indos voluit accedere, ut commodius poſſet illorum ſapientia frui. Vide Stanlejum *Hiſt. Phil. p.* 1211. *col.* 1.

(*b*) Vide Strabonem *L. XV. Geog. p.* 480. ubi difficultatem probat res Indicas bene cognoſcendi, ac de Scriptorum plurium infidelitate, ac levitate conqueritur. Fatetur tamen eſſe Scriptores aliquos, qui res afferant & probabiles, & memoria dignas, & quae ab iis etiam conſiderari debeant, qui nolint eaſdem omnino credere. Ξ λέγω δ' ἐν τοῖς ϗ πιθανὰ ϗ μνήμης ἄξια, ἅς τε ϗ ἀπιστοῦντα μὴ παρελθεῖν αὐτὰ Ξ.

Digitized by Google

nihil de ſententiis ipſorum definire, nihil, inquam, certi afferre poſſemus, non aliud de ipſis, quam de ſapientibus aliis, qui nobis ignoti omnino ſunt, ferendum eſſe judicium ratio ipſa convinceret.

His animadverſis aliquid certe Bardeſanis apud Euſebium teſtimonio tribuere debemus, qui Gymnoſophiſtas ipſos adiiſſe fertur, & verbis pluribus ultro, citroque habitis graviſſima ſapientiae praecepta retuliſſe. Ille quidem & a cultu ſimulacrorum abhorrere narravit, & ſupremo Numini preces fundere (*a*) ſeveros illos homines, calore Solis exuſtos, ac gelu ſimul duratos, & undis, qui vitam in ſylvis, leonum more, tolerarent, & praeclarum ſibi ducerent neque veſtium, neque victus ratione, neque ulla re alia profanos, hoc eſt mortales reliquos fere omnes, imitari.

Faciunt etiam ad Gymnoſophiſtas ab impuro Atheorum grege eximendos, quae dudum laudatus a nobis Auctor Strabo memoriae prodidit (*b*): ſcilicet eos opinari, Deum eſſe, qui mundum a ſe conditum & conſervet, & regat, omniaque in illo alat.

Miror equidem hanc Gymnoſophiſtarum doctrinam a Bruckero (*c*) fuiſſe ita explicatam, ut Animam tantummodo Mundi proponeret, non libera quidem providentia, ſed naturae neceſſitate, rebus omnibus arctiſſime conjunctam, ac ſingulas mundi partes ea ferme ratione, qua noſtrum Anima corpus, commoventem, atque agitantem. Sed magis etiam miror, quod Bruckerus idem, ut Philoſophis Indis Deum non aliud, niſi Animam Mundi, viſum fuiſſe defenderet, libertate, ac veri nominis providentia carentem, Scriptores Chriſtianos arguat, quamvis antiquos, qui meliora de Indis retulerunt.

Inter eos eſt Palladius, cujus fertur libellus *de gentibus*

Tom. II. Z

(*a*) *Praepar. Evang. VI.* 10. ⸗ Οὔτε ξόανα σέβονται . . . . προσέχοντες τῷ θεῷ ⸗.

(*b*) *Lib. XV. Geog.*

(*c*) *To. I. H. C. p.* 106.

bus Indiae, & Brachmanibus (*a*). Etenim apud hunc Dandamis Gymnoſophiſta multa reſpondiſſe Alexandro Magno perhibetur, tum de Natura rerum, tum de Naturae Domino, ac Moderatore Deo, quae & Atheorum, & Epicureorum erroribus adverſentur; ut = *Deum numquam injuriam genuiſſe, ſed lucem, pacem, vitam, aquam, corpus humanum, & animas, hunc dominum eſſe, & Deum ſolum* = Clariora illa ſunt, quae Dandamis idem protulit =. *Deum qui omnia creavit, & immortalem, & munificum eſſe, qui omnibus de victu proſpicit; illum cernere omnia &c.* = Haec, inquam, & alia ſimilia veterum teſtimonia Divinae Perfectionis non ita contemnendam, ut vult Bruckerus, notionem barbaricas Gymnoſophiſtarum mentes occupaviſſe probant.

Atqui teſtimonia illa, Bruckerus ait, non aliud, niſi pias olent Chriſtianorum fraudes, Gymnoſophiſticam doctrinam extollentium, ut vel ex ea Chriſtianae doctrinae praeſidium comparent. Quiſnam iſthuc effutit? Bruckerus ne, an Baylius, an Ruſſojus aliquis, an Voltaerius? Nam tantus Patrum contemptus non ejus videtur eſſe, qui ſe, non dicam Catholicum, ſed Chriſtianum eſſe meminerit.

Equidem Patres bene multos in referendis Ethnicorum ſententiis aliquando fuiſſe deceptos, haud gravate concedo, ſed tum demum concedo, cum alias fuiſſe hominum, de quibus agitur, opiniones illi teſtantur, qui fuerint & induſtria majore in his colligendis, & melioribus praeſidiis inſtructi. At Patres, qui de Gymnoſophiſtis locuti ſunt, erraviſſe quid affirmem, cum nullo poſſim ad id affirmandum auctore ſatis certo, aut ſatis explorata ratione uti? Nimium conjecturae dat Bruckerus, dum quod Indis fortaſſe placere potuit, placuiſſe, tam audacter, ne temere dicam, & inconſiderate pronunciat, ut qui contrarium aſſeruerunt, quamvis

(*a*) Addi ſolet Hiſtoriae Lauſiacae ipſius Palladii. Genuinum eſſe Palladii opus plurimi ſentiunt, quamvis neget id Caſimirus Oudinus *de Scriptor. Eccleſ. To. I. p.* 911.

Digitized by Google

vis probatiſſimis moribus, atque doctrina, pia fraude fuiſſe mentitos non obſcure ſignificet.

Nimirum verum illud eſt, quod apud ſapientem auctorem Italum nuper legi; Proteſtantes, cum viderent fruſtra Patres ad immanes, quibus ipſi delectantur, errores confirmandos fuiſſe vocatos, in eam tandem temeritatis conſuetudinem fuiſſe delapſos, ut eoſdem ſuperbe contemnerent, atque a caeteris contemni curarent: quam quidem ſapientis hominis accuſationem non injuſtam fuiſſe, multis exemplis a quovis fere Bruckeri volumine petitis oſtendi poſſet (*a*). Sed haec non hujus loci. Nunc ergo quod inſtat.

Optimos inter auctores, qui de Gymnoſophiſtarum doctrina litteris aliquid conſignaverint, ille profecto eſt, qui diu ſub Origenis nomine circumvolitans non parvam nactus erat apud eruditos auctoritatem. At ſive Origenes ejus libelli, qui eſt de ſententiis veterum philoſophorum (*b*), ſive alius quiſquam ſit dicendus auctor, & antiquus nimirum eſt, & eruditus, & ſaltem quod certiora monumenta deſint, in hac noſtra cauſa non oſcitanter audiendus. Is ergo Gymnoſophiſtas docet (*c*) ſtatuiſſe = *Deum eſſe lumen, non quale quis aſpicit, aut qualis Sol, vel ignis, ſed eſſe Deum* λόγον, *non articulatum ſermonem, ſed illum cognitionis, cujus ope occulta naturae myſteria cernantur a ſapientibus.* = (*d*) Idem auctor

 nar-

(*a*) Difficile eſt inter Proteſtantium libros invenire volumina, quae magis, quam Bruckeriana, ſanctorum Patrum contemptum inſpirent. Itaque merito vel ob hanc rationem (ſed & aliae non paucae ſunt) a Benedicto XIV. fuit ingens illud opus in Indicem librorum, ut vocant, *expurgatorium* relatum. Quamobrem injuria Bruckerus idem (*in not. ad App. ad H. Cr.*) P. Danielem Concinam, quod id fieri curaſſet, ut ipſe quidem Bruckerus narrat, non modo vocat *inſulſum*, & *agreſtem monachum*, ſed & aliis contumeliis proſcindit.

(*b*) Citari ſolet *Origenis*, *aut Pſeudorigenis Philoſophumena*.

(*c*) C. *XXIV. p. m.* 164. *in Lat. at* 59. *in Graec.*

(*d*) Graecum habet = Αὐτὸν τὸν Θεὸν φῶς εἶναι λέγουσιν, οὐκ ὁποῖον τὶς ὁρᾷ, οὐδὲ οἷον ἥλιος, καὶ πῦρ, ἀλλὰ ἐστιν αὐτοῖς ὁ Θεὸς λόγος, οὐκ ὁ λόγος ἔναρθος, ἀλλὰ ὁ τῆς γνώσεως, δι᾽ οὗ τὰ κρυπτὰ τῆς γνώσεως μυστήρια ὁρᾶται τοῖς σοφοῖς = *Ibid.* = τοῦτον δὲ τὸν λόγον, ὃν Θεὸν ὀνομάζουσι, σωματικὸν εἶναι, περικείμενον τὸ σῶμα ἔξωθεν ἑαυτοῦ καθάπερ εἴ τις

narrat Gymnoſophiſtas multa de ſupremo Numine ſapienter diſſerere; addit tamen eos docere = *eſſe λόγον Deum corporeum, & veſtitum extrinſecus corpore ſuo, eodem modo, quo quis geſtat indumentum ex pellibus ovinis, ſed exuto, quo indutus eſt, corpore viſibilem oculis fieri* =.

Jam porro, cum ſit ea doctrina, ut vides, non parum obſcura, varii Scriptores varia ad eam illuſtrandam attulerunt. Nam aliqui barbaricam ita accepere ſententiam, ut duplex tribui Deo corpus intelligerent; aliud enimvero, quod pertineret ad Eſſentiam ipſius, aliud quod pro voluntate, ſicuti pallium, aſſumeretur; de qua re Wolfium ad Origenis eum locum conſulere licet. At vero Bruckerus noſter mira quadam, ac nova ratione locum illum interpretatur. Quid enim? Quod eſſentia corporeus ab Indis creditus fuerit Deus, omnino negat; at idem vult animam mundi per ea verba fuiſſe deſcriptam.

Divinari iſthuc quidem eſt, non argumentari. Nam quae tandem eſt inter Origenis ea verba tam obſcura vox, atque tam dubia, ut non potius oppoſitam ſententiam tegere videatur? Neque enim de ipſa hominis anima recte diceretur, ipſam corpore, tamquam pallio, uti, quod prout ipſa vult aſſumat, aut ponat.

Melius itaque teſtimonium Origenis interpretatur Mignotius, qui pro philoſophis Indis tam multa ſtudioſe colligit. Nam, ut omittam Origenis locum doctiſſimo Viro fortaſſe corruptum videri, Deum ex Indorum ſententia uti mundo, tamquam

εἴ τις τὸ ἐκ τῶν προβάτων ἔνδυμα φορεῖ, ἀπεκδυσάμενον δὲ τὸ σῶμα περικεῖται, ὀφθαλμοφανῶς φαίνεσθαι =. Suſpicatur Mignotius loco verborum = τοῦτον τὸν λόγον σωματικὸν εἶναι = legendum eſſe = τοῦτον τὸν λόγον σῶμά τι οὐκ εἶναι = *hujuſmodi vero ſermonem non eſſe aliquod corpus &c.* Rationem hanc addit quod ſenſus eſſet = *naturel, & ſuivi; il ſeroit en même temps mieux aſſorti à la manière de penſer des anciens Indiens, qui, ſelon que nous l' apprenons de l' auteur du même traité (Orig. Philoſ. p.* 158.) *ne donnoient point à Dieu d' autre corps, ni d' autre vêtement, que ce monde, corps, vêtements accidentels à Dieu &c.* = V. Mign. *IV. Mém. ſur les anciens Philoſ. de l' Inde T. XXXI. de l' Ac. R. des Inſcr.*

Digitized by Google

quam pallio, putat, quod illi ſit intime praeſens, & Scientia, & Omnipotentia, & Providentia, & Immenſitate ſua.

Non aliud Megaſthenem ſignificare voluiſſe putat idem Mignotius, cum Deum totius mundi conditorem penitus ipſum mundum pervadere dixit, ubi Gymnoſophiſtarum univerſorum opiniones expoſuit.

Confirmat autem id Mignotius illius auctoris teſtimonio, qui libros *Recognitionum* Clementi Romano falſo tributos adornavit. Teſtatur enim auctor ille, Indos de Scientia, Potentia, Providentia, nec non Immenſitate Dei praeclara ſenſiſſe.

Caeterum non negat idem Mignotius Gymnoſophiſtas illos antiquos Deum Mundi Spiritum, aut Animam vocare conſueſſe. Verum id etiam ἀλλήγορηκως ab iiſdem dictum accipit, qua ratione ſcripſit Origenes (*a*) = *Sicut corpus noſtrum unum ex multis membris aptum eſt, & ab una anima continetur, ita & univerſum mundum, velut animal quoddam immane, opinandum puto, quod quaſi ab una anima virtute Dei, ac ratione teneatur* =. Haec, inquam, Mignotii, aliaque plurima, ſin minus veriora, quam illa Bruckeri, certe probabiliora.

At ſive illa Bruckeri, ſive haec Mignotii amplectaris, Atheos Gymnoſophiſtas niſi injuria profecto non dices. Poſſunt enim iidem celeberrimi homines etiam librorum, qui tanto ſtudio leguntur apud Indos, auctoritate defendi. Nam illi aut a Gymnoſophiſtis exarati ſunt, ut fama fert inter eoſdem Indos, aut ab antiquis certe hominibus, qui Gymnoſophiſtarum ſapientiam litteris conſignare voluerant. Nos e libris iiſdem jam nonnulla protulimus, quibus quaedam addemus, quae Spinoſae poſſint, ac Mirabodii, caeterarumque hujuſmodi peſtium veſanum furorem redarguere.

Profecto qui librum Valuverii legerunt, quem philoſophum doctiores Indi, teſte Mignotio, circa S. Thomae Apo-

(*a*) *Periarchon* II. 1.

Digitized by Google

Apoſtoli tempora floruiſſe perhibent, mira quaedam, atque praeclara de illo retulerunt (*a*). Etenim teſtati ſunt eum in finem ſcripſiſſe pium, ac doctum hominem, ut palam faceret Unitatem, ac reliqua Supremi Numinis Attributa, Indoſque ad cultum caſtae, ſanctaeque Religionis adduceret.

Jam in libro, cui titulus *Panjangam*, praeter ea, quae ſuperiore capite attulimus, haec legitur a Sapientibus Indis habita oratio = *Ego ſupremum adoro Numen, cujus natura eſt diviſionis expers, cujuſque ſimplicitas qualitatum concretionem nullam admittit* (*b*) =.

Praeterea liber neſcio qui Malabaricis in ſcholis celeberrimus, & a barbaris illis Sapientiae amatoribus magno in pretio habitus, Deum & purum tradit eſſe Spiritum, & intelligentia infinita vigere, & ſolutum, & liberum, ac ſegregatum ab omni concretione mortali (*c*).

Caeterum, ſi quis ex adverſariis libros eos omnes putet multo recentiores eſſe, quam Brachmanes tradant, non magnopere cum illo contendam. Tunc enim iiſdem libris uti ſaltem licebit, ut recentiores Indiae philoſophos, ſi tamen philoſophos, cognitione Divinitatis neque ita levi, neque ita obſcura inſtructos vel fuiſſe, vel eſſe demonſtremus. Æquum enim eſt, ut de recentioribus etiam aliqua dicamus, propterea quod & ipſi cum Atheis a quibuſdam Scriptoribus confundi videantur.

Ac primo quidem graviſſimo utemur auctore S. Franciſco Xaverio, Indiarum Apoſtolo, qui ſibi Brachmanem unum faſſum eſſe narravit (*d*), arcana gentis Malabaricae phi-

(*a*) Vid. Couto *Contin. de Barros Decad. V. L. VI. c.* 4. Mignot *l. c. p.* 219. ait = *L'objet de cet ouvrage, qui contient treize cents trente vers, eſt d' établir l' unité d' un Dieu Créateur, & la vénération, qui lui eſt dûe* =.

(*b*) Ita exhibetur ea oratio *Lettr. édif. & cur. X. Rec. p.* 14. = *l' adore cet Etre, dont la nature eſt indiviſible, & dont la ſimplicité n' admet aucune compoſition de qualités* =.

(*c*) Vide ſummam ejus libri, quam exhibet Couto apud Barros *decad. V. Lib. VI. Cap.* 3.

(*d*) *Lib. I. Epiſtolar. ep.* 5.

philoſophia non obſcure doceri, quod ſubdimus: nimirum & unicum eſſe Deum, qui Coelum, Terramque condiderit, & ipſum tantummodo, commentitiis Numinibus exploſis, religioſo cultu dignum exiſtimari oportere.

Non aeque fide ſunt digna, ſed tamen & ipſa commemoranda, quae Bernierius retulit (*a*), ſcilicet auctor, cui ſaltem ea laus tribui debet, quod ut multa cognoſceret

„ *Mores hominum multorum vidit, & urbes*,

ac vaſtiſſimas Orientis regiones nullo deterritus incommodo, vel periculo peragravit. Narrat autem a Brachmanibus Benarenſibus, quae celeberrima eſt in India philoſophorum haereſis, ſe didiciſſe, Unicum a Sapientibus Indis Numen ex ſententia coli; Idola vero tantum, ut Populo, vel alicui cupiditati ſerviant.

Pulchriora ſunt, utinam tamen non verbis exaggerata, quae de Sapientibus Indis Croſaeus narrat (*b*): ea ſcilicet, quibus Chriſtianus etiam philoſophus vix aliquid acutius excogitare, vel ſublimius dicere poſſit, ſiquidem rationis tantummodo lumen ſequi voluerit. Facilius equidem animum induco, vera eſſe, quae Croſaeus idem narrat, teſtibus allatis, aliiſque conſentiens, & ex Croſaeo confirmat Mignotius (*c*), barbaros illos reconditae ſapientiae conſultos

(*a*) *Voy. To. II. p.* 158.

(*b*) La Croze *hiſt. du Chriſtian. des Ind. p.* 452. ita doctrinam Sapientum Indorum deſcribit = *L' être ſouverain eſt inviſible, incompréhenſible, ſans figure, ou ſans forme extérieure; perſonne ne l' a jamais vu, le temps ne l' a point compris, ſon eſſence remplit toutes choſes, & toutes choſes tirent de lui leur origine; toute puiſſance, toute ſageſſe, toute ſcience, toute ſainteté, & toute verité ſont en lui; il eſt infiniment bon, juſte, & miſericordieux* = *Pag. vero* 457. = *L' être des êtres eſt le ſeul Dieu éternel, immenſe, préſent en tous lieux, qui n' a ni commencement, ni fin, & qui contient toutes choſes: il n' y a point d' autre Dieu, que lui; il eſt le ſeul* Seigneur *de toutes choſes, & il ſera tel pendant toute l' éternité* =. Haec autem Croſaei ex Mignotii Opere deſcribimus, quod in manibus habemus.

(*c*, Haec ſunt verba ejuſdem Mignotii. = *La ſecte des Iogbigueuls, ou contemplatifs fait peu de cas de la multitude des cérémonies pratiquées par le peuple; celle des Guani-*

tos facile concedere, Unicum eſſe Numen, quod & ſapienter humana omnia moderetur, ac ſumma religione debeat a mortalibus colì.

Quale hoc Numen ſit, apud illos varium eſſe puto: eſſe tamen nemo fere negat; niſi quod aliqui ſtultitia Xenophanaeae ſimili teneri videntur, cum res omnes in Deum ita refundunt, ut ad Eſſentiam ipſius, Naturamque pertineant; qua quidem de re mox erit aptior fuſius diſſerendi locus.

CAPUT XXIX.

De doctrina, quam Budda, celeberrimus inter Indos philoſophus, moriens tradidiſſe fertur.

CAuſa praecipua, quamobrem inter Indos tot, tantique philoſophi 'Αθεότητος in ſuſpicionem venerunt, ea eſt de qua tandem aliquando noſtram debemus aperire ſententiam. Nempe maximo apud multos jam multis a ſaeculis in honore eſt Buddae doctrina, qui Herois alicujus, aut etiam Numinis inſtar iiſdem eſt, cum prae reliquis hunc unum vidiſſe, quae vera ſunt, in animum induxerint (*a*). Por-

nigueuls, qui paſſent pour les Sages, & pour les Saints de l' Inde rejette ouvertement le culte des Idoles, & toutes les pratiques ſuperſtitieuſes de la Nation, pour n' adorer que Dieu, qu' ils appellent l' être des êtres =. Si plura cupias, Mignotium ipſum conſule.

(*a*) De Budda vide Scriptores rerum Indicarum, & eos qui hiſtoriam Criticam Philoſophiae exequuntur. De illo ſcribit Agatopiſt. (*Vol. I. &c. p.* 172.) = *Il primo tra i chiari Gimnoſofiſti è nominato Budda, Nume inſieme, e Filoſofo, che alcuni indotti dall' uſato argomento delle ſimilitudini penſano eſſer il medeſimo, che il Xaka de' Cineſi, e de' Giapponeſi, il Sammona-Kodum de' Siameſi, o il Samana-Kutama de' Peguani, o il Tic-ça de' Ton-chineſi, di che Uomini per altro diligentiſſimi diſputando profuſamente, ſi videro avvolti in tanta confuſione di tempi, in tante millanterie di Popoli, e in tante favole di Viaggiatori ſuperſiziali, ed arditi, che alla fine fu grave la fatica, e leggiere il guadagno* =. Hunc eumdem Buddam plurimi volunt eſſe, qui Foë a Sinenſibus appellatur; & a quo Foëna Secta, legi-

Digitized by Google

Porro autem ille moriens ſuae diſciplinae alumnis nova ſcilicet praecepta ſapientiae, arcanamque doctrinam quaſi ſupremis tabulis dono reliquiſſe, atque, ut ea contenti caetera repudiarent, auctor fuiſſe dicitur. Primo illos certiores fecit, ſe doctrinam ſuam, cum viveret, apertius proponere noluiſſe, ſed figurarum involucris ita texiſſe, ut numquam hominibus innoteſceret, qui eam ferre non poſſent: nunc autem diſcipulis ſuis eam detracto cortice putiſſimam exhibere: Unicum videlicet exiſtimandum eſſe Principium, a quo caetera derivari oporteat, & in quod omnia recurrant: hoc autem eſſe *Nihilum*, aut *Vacuum*, praeter quod nihil omnino ſperare homini liceat. Haec poſtrema nebulonis verba, neſcio utrum gravius, cum morbo aegrotaret extremo, an cum firma uteretur valetudine, delirantis.

Vix ille oculos clauſerat, cum de Nihilo, cujus ac Dei par, atque una ratio eſſe videretur, inter diſcipulos acriter diſputari caeptum eſt. Variae hinc philoſophorum extitere ſectae, varia inter philoſophos, eademque perpetua diſſidia.

Quin & Critici noſtri certant, licet humanius, an doctrina illa ſit Spinoſiana prorſus exiſtimanda. Multi affirmant, quos inter non modo Baylius, ſed & Agatopiſtus ille noſter, qui ſeſe non difficilem, neque moroſum in philoſophis aliis abſolvendis praebere ſolet. At multi etiam, praecipue Hiſtoriae, que dicitur *Univerſalis*, auctores, Bruckerus, atque Mignotius, doctrinam iis verbis tegi pronunciant, quae *Syſtema* dicitur *Emanativum*, quaeque a Spinoſiana impietate non parum abhorreat.

Equidem puto doctrinam ipſius Buddae, quamvis ar-

gibus ipſis in Imperio Sinico recepta, ducitur. Ea vero Secta non Atheorum eſt, ut quidam e Sina ſcripſerunt, vocem illam non ſatis proprie uſurpantes, ſed fanaticorum, & ſuperſtitioſorum. Nam poſteaquam = *in Chinam translata eſt*, (ait Bruckerus *Tom. IV. p.* 871.) *tum Idololatria, tum Deiſmo totum imperium replevit, maximam in hac gente auctoritatem nacta* = Plurimi ex illis Foë cum Lao-kiun, atque Confucio divinis honoribus proſequuntur.

canam, a doctrina, quae Buddae tributa eſt, atque hoc nomine apud Indos commendata, diligenter eſſe diſtinguendam. Etenim de ipſa Buddae doctrina, atque mente nihil pronunciare poſſe mihi videor, niſi ſi certiſſimo errandi, ac decipiendi periculo me committam. Quis enim divinari auſit, quid vafer ille deceptor *Nihili* nomine intellexerit? Deumne aliquem? an ſpatium, ut Auctores illi nobiles e Britannia volunt? an rem omnino nullam, verumque nihilum? Hoc verba ipſa ferre videntur, cum & plane jam, aperteque loqui ſeſe profiteatur, & non dubitet *Nihilum* rerum omnium originem ponere, praeter quod nihil ſperare fas homini ſit. At fugere intelligentiae noſtrae vim, & conſiderationem videtur, quomodo philoſophus, etſi, quod ſignificavimus, germana ſapientia omnino carens, peracri tamen ingenio praeditus, non ſtatim viderit,

E nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Potius ergo doctrinam hoc loco ſcrutemur, quae praeſtantioribus Buddae diſcipulis placuit. Fert autem ea doctrina, ut eam Bruckerus exponit (*a*) = *I Vacuum, ſive inane eſſe principium rerum omnium. II. Ex hoc protoplaſtos originem duxiſſe, inque hoc reverſuros eſſe, quotquot vita decedant. III. Quidquid unquam rerum eſt ex eo principio produci, & in idem per interitum ſuum reduci, ac reſolvi, idque & noſtram animam, & elementa conſtituere, nec omnia inter ſe realiter ideo differre: adeoque omnia, quae vita, ſenſu, mente praedita, quamvis inter ſe uſu & figura differant, intrinſece tamen unum, idemque, & a ſuo principio indiſtinctum eſſe. IV. Eſſe hoc principium Univerſale admirandum, purum, limpidum, ſubtile, infinitum, quodque nec generari, nec mori, nec reſolvi poſſit. V. Habere autem neque virtutem, neque intellectum, neque potentiam, vel attributum ſimile. VI. Proprium* ei

(*a*) *Tom. IV. P. II. Hiſt. Cr. p. m.* 820. Videre etiam potes Auctores, quos ille citat.

ei eſſe, ut nihil agitet, nihil intelligat, nihil appetat. VII. Eum, qui bene, beateque vivendi ſit cupidus, huc aſſidua meditatione, ſuique victoria, eniti oportere, ut principio ſuo quam ſimillimus affectiones humanas omnes domet, ac prorſus extinguat, neque jam turbetur, vel angatur re ulla. VIII. Hoc fine qui potiatur, eum eſtatici inſtar abſorptum altiſſima contemplatione ſine ullo prorſus uſu, & ratiocinio intellectus, divina illa quiete, qua nihil ſit beatius, perfrui. IX. Ad hanc philoſophiam perductum, relicta reliquis doctrina exoterica, externe tantum, & ſpecie tenus illi ſe attemperaturum, interne hanc myſticam, & beatam philoſophiam ſequuturum eſſe, ſibique vacaturum =.

Jam haec tota ridicula doctrina videtur eadem eſſe, atque illa, quae gentibus etiam aliis, aut potius philoſophis, praeſertim in Oriente placuit, quamque ſaepius *Emanativum Syſtema* diximus appellari. Porro autem ea doctrina fert, ab optima Dei Natura res univerſas, ipſaque corpora, ita profluere, ut e fontibus rivi, ut a Sole radii, ut arbores e gremio telluris emittuntur. Quamobrem Deum aliquo modo relinquit & intelligentem, & providum, & omnia gubernantem, quin, ut ipſa quidem pollicetur, a mundo, aut omnino, aut magna ex parte, diſtinctum: neque religionem omnem exterminare cum Spinoſa conatur: nam potius animos, qui a Deo decerpantur, continuo Deum ſpectare, Deum colere, Deum invocare, atque ad ipſum ſibi conciliandum omnibus conniti viribus cupit. Haec, inquam, videtur eſſe diſcipulorum Buddae doctrina, cum e *Nihilo* omnia repetunt, & in ipſum *Nihilum* omnia refundunt, quod proinde non modo rem, atque naturam, ſed & rem, naturamque omnium maximam conſtituere videntur. Itaque *Nihilum* ideo vocant, quod nullam de re tam eximia notionem ſatis aptam, & claram exprimere mens noſtra poſſit (*a*).

(*a*) Cl. Mignotius *IV. Mém. &c. p.* 225. de ipſo Budda pronunciat, quod nos de Buddae potius diſcipulis dici vellemus = *En l'appellant, vide, ou néant, il ſe conformoit à l'uſage du vulgaire groſſier, qui nomme rien tout ce qui n'a point de parties groſſières, qui ne tombe point, ou qui ne peut point tomber ſous les ſens* =.

Nempe tenentur eadem ſuperſtitione, qua Cabbaliſtae, qui fere *Syſtematis Emanativi* ſtultiſſimis delectantur erroribus. Illi enim de ſuprema *Sephira*, qui Deus iiſdem eſt, ita loquuntur in *Cabbala denudata* (*a*) = *ob inſcrutabilem Sephirae ſupremae celſitudinem, & quod illa abſcondita ſit omni creaturae, nemoque eam poſſit intelligere, illa vocatur* אין, *ſeu nihilum, & non Ens* =. At de hoc eodem *Nihilo*, ſive, ut Cabbaliſtae loquuntur, *En Soph*, iidem ita pronunciant (*b*) = *Infinitum, cauſa cauſarum, Ehjeh, miſericordiarum pater, lux inacceſſibilis, dies aeternitatis* = (*c*).

Ne-

(*a*) Operis ejus integra Epigraphes eſt = *Kabbala denudata, ſeu doctrina Hebraeorum transcendentalis, & metaphyſica, atque theologica, opus antiquiſſimae philoſophiae barbaricae variis ſpeciminibus refertiſſimum* = Auctor eſt Chriſtianus Knorrius a Roſenroth. Eum librum legere debet, quicumque delirantium *Rabbinorum* ſententias cognoſcere velit. Verum antequam hiſce ſtudiis ſeſe committat, quae Joannes Picus Mirandulanus inter Chriſtianos primus induxiſſe dicitur, quaeſtionem ſolvat, oportet, de qua docti homines olim tanto animorum motu tam multa diſputarunt, ſcilicet, an ea ſtudia utilia ſint, & gravi homine digna. Equidem nihil ſapientius in hac quidem cauſa pronunciatum novi, quam quod de ipſa Cabbala Bruckerus his verbis docuit (*Tom. II. H. Cr p.* 1069.) = *Eleganti exemplo humani ingenii deliria, relicto ſemel rationis, & revelationis ductu, ob oculos ponit, & enthuſiaſmum philoſophicum, quae deteſtanda animorum peſtis eſſe ſolet, vivis depingit coloribus* =. Fatendum tamen eſt, aliquid eorum librorum lectionem poſſe conferre ad hiſtoriam melius cognoſcendam Philoſophiae Orientalis, & Alexandrinae, de quibus docti homines multa ſcripſerunt.

(*b*) Ita in *Kabbala denud. T. II. p.* 7

(*c*) Hinc aliquid habes, unde quaeſtionem ſolvas, an *Rabbini*, ſic enim vocantur, *Cabbaliſtae* Athei dicendi ſint. Hoc enim crimine illos Henricus Morus, (*In fundamentis Philoſoph. Aëtopaed*) Wachterus, (*In Spinoſiſm. Iudaic.*) Reimmannus, (*Hiſt. Theolog. Iudaic. L. I. c.* 18. §. 23. *&* §. 34.) inſimularunt. Sed ab hac quidem nota eos alii vindicant, ut R. Moſes Germanus, qui pro iis Apologiam adornavit, ut Jo. Jacobus Syrbius (*In Diſſert. de Orig. Atheiſm. p* 22.) ut ipſe aliquando Buddeus (*in diſſert. de Spinoſiſm. aut. Spinoſ.*); quamvis in *Tractatu de Atheiſmo, & Superſt.* alia ratione differat, ut plures demum, quos nominatim appellare non vacat. Ratio, quam accuſatores affcrunt, non alia eſt, quam quod peſſimi *Rabbini*, de quibus loquimur, ab ipſa Dei Natura, ſive, ut, philoſophi dicunt, *Subſtantia*, omnia deriventur. Haec ratio ſaepe jam a no-

Digitized by Google

Neque vero neceſſe eſt conjecturas quaerere, cum ſatis manifeſtas eorumdem philoſophorum doctrinas, quamvis abſurdas, & ineptas, de ſuprema illa Natura teneamus. Nam qui ſe Buddae diſcipulos in vaſtiſſimo Mogolis imperio profitentur, etiamnum docent, ſi Bernierio, atque Mignotio (*a*) fides, Deum a Natura ſua producere omnia voluiſſe, quae denique ſint, die mundi noviſſimo, in eamdem Naturam abſumenda. Itaque Deum Optimum Maximum ſtul-

nobis exploſa eſt. Ipſi profecto cavent, ut Deus & ſummus, & infinitus, & a creatis rebus diſtinctus agnoſcatur. Sufficiat hanc in rem afferre verba R. Abrami *Coben* Irirae, cujus opus *Porta Coelorum* (habetur *in Kabbal. denud. P. III. & IV.*) maxime perſpicuum, aut potius minus obſcurum inter omnia cenſetur, quae Cabbaliſtarum fudit inſania. Ille quidem explicare contendit = *quod cauſata, quae emanant a cauſa prima, non aſcendant ad Copiam infinitam, quodque neceſſe ſit eſſe Unum, quod ſit ſummum, & perfectiſſimum inter omnia contingentia: quod Infinitas ſit attributum ſolius cauſae primae: quod cauſa prima non agat ex abſoluta neceſſitate, & natura, ſed ex conſilio intellectus ſui, & arbitrio voluntatis, & electionis ſuae: quod magna ſit differentia inter bonum perfectiſſimum infinitum, ſive emanatorem, & inter emanationes, luminaque enſophica, & monadica, & differant ea, ut formans, & formatum; perficiens, & perfectum; cauſans, & cauſatum: quod cauſa prima omnibus cauſatis ſuis manifeſtaverit eſſentiam, & naturam ſuam, ſed non ipſam quatenus talem, ſed ita ut ſe ipſam reſtrinxerit, & quaſi multiplicaverit, atque ita produxerit finita, & multiplicata: quod Deus ſeſe explicaverit ad cauſata ſua futura, non ſecundum eſſentiam ſuam, quae incomprehenſibilis eſt, ſed ſecundum illum conceptum determinatum, & definitum, quem de immenſitate, & amplitudine ejus iſta poſſint ſupportare, quique ſecundum exiguitatem intellectus noſtri ab ipſo admodum diverſus, & diſtinctus eſt, licet ſemper maneat radix quaſi aliqua cauſatorum finitorum, multiplicium, mobiliumque remanens in ſimplicitate infiniti, cauſaque eorum immobilis, quamvis conjungatur cum natura multiplici, & mutabili* =. Jam illa quaeſtio, an Cabbaliſtarum Spinoſa doctrinam, & ſcrinia compilaverit, non admodum facit ad rem. Potuit enim peſſimus Atheus impio, ac ridiculo doctrinae genere ita delectari, ut novis additamentis & magis impium, & magis ridiculum, & prorſus Atheum efficeret. Vide Baſnag. *Hiſt. Iud. Lib. IV.* & Wachterum *in Elucidario Cabbaliſtico C. IV.*

(*a*) Bernier *Mémoir. ſur l'Empire du Mogol. p.* 202. Mignot. *loc. cit. p.* 234.

Digitized by Google

ſtultiſſimi homines araneae comparant, quae fila e corpore ipſa elicit ſuo, quibus telam contexat muſcis irretiendis idoneam, partibus illius omnibus ſcite, ſollerterque deſcriptis: tum vero eadem telae medio inſidens, quae in ipſa fiunt, facile ſentit, & quo neceſſitas, aut utilitas vocat, ſtatim accurrit, magna ſedulitate ſibi, ſuiſque conſulens: denique ad extremum telam ipſam deſtruit, ut nuſquam amplius appareat. Hinc autem, quod conſequens erat, praeclari philoſophi colligunt, nihil eſſe praeter Deum ipſum Optimum Maximum, quod revera exiſtere dici poſſit; caetera praeter ipſum vanas eſſe rerum ſpecies, ac vana ſimulacra, quibus decepti homines in maximis erroribus ſoleant, atque in maximarum rerum ignoratione verſari (*a*).

Cave tamen, idcirco cum Graeculis noſtris hunc eumdem eſſe & Spinoſianum errorem arbitreris: perinde quaſi Spinoſianus ille ſit, qui tantummodo Deum eſſe fateatur. Nam Spinoſa Mundum tantummodo ſomniavit exiſtere, quem eumdem ſupremi cujuſque domini ſubtraxit imperio, ac Dei nomen reliquit, cum Divinitatis notionem omnem exterminare cuperet: non ſecus ac Rex ille Gothorum Alaricus Attalo neſcio cui nomen Imperatoris, & inſignia conceſſit, cum & Romanos perdere Imperatores, & Imperium ipſum funditus evertere geſtiret.

At

(*a*) Haec eadem a Perſarum *Sufyis*, & eruditis hominibus pleriſque doceri, Bernierius teſtatus eſt, (*l. c. p.* 202. *& ſeq.*) qui eoſdem addit, cum quaeritur, qua ratione poſſit ſimplex, ac perfecta natura Dei tot ſuſcipere formas, atque tam varias, non aliud afferre, niſi comparationes valde ſubtiliter excogitatas: Deum eſſe tamquam immenſum Oceanum, in quo phialae plures aqua plenae ferantur, quae tamen & ſemper, dum natant, in eodem Oceano ſint, & ſi frangantur, iterum in Oceanum aqua redeat, a quo ſumpta fuerat, ut in phialis includeretur. Iidem addunt, Deum eſſe quaſi lumen, quod pro diverſis rebus, quas illuſtrat, aut per quas tranſit, ſive *refrangitur*, diverſos colores exhibeat. Caeterum plures inter Perſas homines litteris deditos meliora de natura divina ſentire teſtantur, non modo Hydeus, (Hyde *de Relig. Perſar.*) qui Perſis ſumma quaeque tribuit, ſed & Chardinus, & Pocockius, & Fucherius, & alii.

At Buddae diſcipuli Divinitatis notionem ita retinere volunt, ut reliquas ad eam revocare ſtudeant univerſas. Neque tamen ita res omnes cum Deo miſcent, atque confundunt, ut non ſaltem ab ipſo Deo, diſtinctione, quam *inadaequatam* vocamus in ſcholis, diſcretas eſſe fateantur. Dicunt autem omnia idem eſſe, quamvis diſcrepare vel maxime putemus, qua ratione aurea vaſa, quae ſplendorem, atque colorem aureum, alia magis, alia minus, amiſiſſent, omnia tamen ejuſdem eſſe pretii, omnia ex eodem confecta metallo diceremus.

Sed alii ſunt etiam Buddae diſcipuli, qui doctrinam eamdem *Emanativi Syſtematis* alia ratione proponunt; quam Croſaeus, & ex Croſaeo Mignotius referre non dubitant (*a*). Nam & marem faciunt, & foeminam, qui res tantas genuerit, atque tam varias, omnipotentem Deum, cujus virtutem, atque majeſtatem multo amplius miſeri homunciones vereri debuiſſent.

Et Mignotius quidem exiſtimat iis vocibus uſos, ut rem adeo nobis obſcuram veluti per figuras aliquas, aut ſimilitudines adumbrarent. Sed vereor, ut, quod Mignotius attulit, id ſatis probet, quod ipſe vult.

Ve-

(*a*) La Croz. *Hiſt. du Chriſt. des Indes p.* 462. apud Mignotium *IV. Mém. &c. p.* 235 = *L'être ſouverain, diſent ils, ayant réſolu de créer la matière fut obligé de ſe donner à lui-même une forme matérielle ...... Dieu, ajoutent ils, dont tous les êtres tirent leur origine, contenant tous les principes des créatures, renferme néceſſairement en ſoi l'eſſence, la force, & la réalité des deux ſexes. Lorſque il entreprit de créer la matière, il ſépara en deux parties ces ſexes, que juſqu'alors il avoit tenus réunis, & confondus au dedans de lui-même. Ce fut a l'aide de ces deux principes, qu'il entra dans les premières voies de la création; & c'eſt l'idée ſous laquelle, diſent ils, Dieu s'eſt propoſé à l'adoration des peuples dans trois idoles différentes; la première placée dans le lieu le plus reculé des temples d'Iſuren, eſt le Lingam, qui repréſente l'union des principes de la génération; la ſeconde eſt la vertu maſculine, & l'origine de tous les Dieux à laquelle les Indiens donnent le nom de Tebiven, & la troiſieme, qui repréſente l'autre ſexe, de la quelle les Déeſſes ont pris naiſſance, & qu'ils appellent Tebaddi* =.

Verum, his omiſſis, illud nobis commode accidit, quod iidem ſtulti homines libera ſaltem voluntate Deum ad gignendam materiam, ipſumque mundum producendum acceſſiſſe non obſcure docent. Et id quidem, non minus quam caetera, quae attulimus, indicat, Philoſophos eoſdem, cum Deo videntur Intelligentiam adimere, non aliud velle, niſi Deo noſtrae ſimilem Intelligentiam non ineſſe, quae multa dividat, multa componat, atque alia ex aliis deducat, ut, quoad ejus fieri poteſt, ſimiles rerum formas in mente exprimat. At de Buddae diſcipulis plus etiam ſatis. Non enim ii nationem integram, aut nobiliſſimam alicujus nationis partem conſtituunt.

FINIS PRIMAE PARTIS LIBRI SECUNDI.

LI-

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

DE GENERIS HUMANI CONSENSU IN AGNOSCENDA DIVINITATE

PARS SECUNDA

In qua de Gentibus agitur Ἀθεότητος *inſimulatis, quae noviſſimis aetatibus innotuerunt; nec non de Atheis, qui tum in Sinarum Imperio, tum in Europa eſſe dicuntur.*

CAPUT I.

Noſtra de gentibus iiſdem explicata ſententia, ſingillatim de populis quibuſdam agitur, qui regiones tenent Polo Artico proximiores.

CUM populos antiquarum rerum ſcriptoribus cognitos, nec modo immanitate barbaros, ſed & artium inventarum gloria nobiles, & belli, domique ſpectatae ſapientiae laude florentes, ab impacta ſummae impietatis calumnia vindicaverimus: neque rem lectoribus injucundam, neque cauſae, quam agimus inutilem, nos facturos eſſe confidimus; ſi jam de populis regionum, poſtremis tantum hiſce ſaeculis non ignotarum, ejuſdem culpae reis ſingillatim agamus; ut divinam etiam ab illis Naturam, aliqua ſaltem imperfecta ratione, cognoſci demonſtremus. Etenim quod alio loco ſignificavimus, hoc loco declarandum eſt, atque probandum diligentius a nobis: vix populis quibuſdam exceptis, de quorum opinionibus, ſi quid ſtatuere debeamus, non alia fere, quam Ἀναλογίας argumenta proferre poſſimus, po-

Digitized by Google

pulos reliquos indicia ſatis certa praebere, quibus ab inuſta per leves plerumque Scriptores ſummi criminis illius macula liberentur.

Nam aut ſatis certo conſtat, eos auctorem rerum omnium vereri Deum, aut plures in Deos ſub uno ſummo Principe conſtitutos mundi totius procurationem, imperiumque conferre, aut Deum, ſive Deos, ponere, a quibus bona nobis omnia provenire queant, idcirco precibus humano generi, votiſque conciliandos, aut alia demum quavis ratione ſuſpicari, perfectam eſſe, beatamque Naturam, quae tum humano generi, tum caeteris rebus omnibus antecellat.

Neque vero nobis illa ratio magis digna Philoſopho vērum inquirente, quam Sophiſta dolos intentante, videtur eſſe, quae poteſt contra ſententiam noſtram ab immanibus quibuſdam de Natura divina populorum erroribus facile derivari. Etenim, niſi noſtrarum rerum nos fallit amor, huic rationi jam in primo noſtro ſatis occurrimus, cum de vulgaribus Ethnicis, praecipue Graecis, atque Romanis ageremus. Scilicet aliud eſſe vidimus, abſurdas fovere ſententias, quae cum infinita Numinis perfectione recte componi non poſſint, aliud ſummam negare Deo virtutem, ac perfectionem ineſſe. Vidimus etiam aliud eſſe virtutis ejuſdem, perfectioniſque divinae ſatis explicatam, ac ſapiente homine dignam habere notionem, aliud confuſam quamdam, & erroribus implicitam, & ignorantiae ſqualore, & ſordibus ita obſitam, ut vix ejuſdem ex aliqua tenui parte aliquis jam ſplendor appareat.

Id enimvero diligentius nunc eſt tenendum a nobis, quam in aliis noſtri hujuſce operis partibus, cum errores adhuc magis ridiculos, aut miſerandos potius, viſuri ſimus. Sed errores inter illos, veluti per nebulam, lux aliqua nobis affulget, qua barbaras mentes, naturae quodam ipſius, ut ita loquar, inſtinctu perſentiſcere videmus, aliquid eſſe homine, humaniſque omnibus melius, quod a malis

lis eripere, quod a periculis liberare, quod cumulare bonis, ac perfecta donare felicitate nos poſſit. Quamquam enim de Natura divina inter eos plurimi homines ita loquuntur, ac ſentiunt, ut revera loqui pejus, aut ſentire vix poſſint; tamen ea tandem afferunt, quibus nihil ipſi nobilius, nihil praeſtantius, nihil denique perfectius, aut melius excogitare potuiſſe videantur. Hoc autem niſi eſt mancam, & imperfectam, ſed tamen aliquam, praeſtantiſſimae Naturae notionem, levi ſaltem ex parte, animo cuſtodire, quid erit per eum ipſum, quem nos & multo melius, quam Barbari, cognoſcimus, & multo etiam melius, quam ſapientiſſimos in hac vita Philoſophos, depoſitis tandem mortalitatis exuviis, cognituros eſſe confidimus?

Non eſt igitur, cur & Boruſſos (*a*) aliquis producat, olim ſerpentibus ſacra facientes, & Tungulos (*b*) Numina ſua, quando fieri propitia recuſant, acerrime verberantes, & Mongales (*c*), apud quos Deus unus alterum e coeli ſolio dejicit, ac rerum omnium exuit imperio.

Errorum ſunt haec portenta, nec impiorum modo, ſed & in impietate inſanientium Barbarorum deliria. Sed tamen, ut ſilentio praeteream, quod ex aliis alio loco dictis admodum veriſimile videri poteſt, Barbaros eoſdem, praeter ea Numina, quae colunt, ſuarum conſcia rerum, ac levibus quibuſdam tacta curis, ſummum aliud, confuſa quadam ratione, ſuſpicari, quod Coeli converſiones, annorum, ac temporum vices moderetur, frondibus, ac fructibus arbores, floribus humum, herbiſque veſtiat, & lapſus imbrium,

 & flu-

(*a*) Fere ad medium aevum illi pertinere videntur, de quibus apud Baylium (*Contin. des penſ.* §. 77. p. 392.) Tobias Pfanner *in Syſtem. Theol Gentil p. ipſi* 36. ita loquitur = *Boruſſis aliquando nulla ſacra fuiſſe ad ſerpentum cultum foediori ferme Atheiſmo Religione transgreſſis ex Eraſmo Stella Iacobus Ouzelius in Minucium Felicem p.* 163. *affert* =. Aliae, quae poſſent ex hac narratione contra ſententiam noſtram rationes peti, ex iis, quae primo libro diximus, facile diſſipantur.

(*b*) Populi ſunt valde barbari, Ruſſorum imperio ſubditi.

(*c*) Genus eſt Tartarorum eidem imperio in Aſia parens.

& fluminum curſus, & ventorum celeritatem, tantos denique naturae totius motus, atque tam varios gubernet, ac regat; quamvis, inquam, efferata gentium illarum barbaries, haec omnia ſine divina quapiam, ac ſapientiſſima Mente conſiſtere nulla ratione poſſe, non viderit; tamen hoc certum eſſe debet; ad quaſcumque res Divinitatis turbatam, inquinatamque notionem illa tranſtulerit, maximi etiam, ac ſummi boni qualemcumque notionem tranſtuliſſe.

Id vel ex eo conſtat, quod & eoſdem Deos ab hominibus pie, ſanĉteque colendos eſſe putent, & cum nihil eiſdem exiſtiment eſſe majus, aut melius, ab iiſdem bona, quibus egent, cujuslibet generis, magna religione, vel potius turpiſſima ſuperſtitione ſibi precari ſoleant, ac ſuis.

Itaque & miſeros illos Novae Zemblae populos ſuſpicione Ἀθεότητος putamus eſſe liberandos, qua Scriptor aliquis eoſdem ſine ulla, ut mihi quidem videtur, ratione preſſit. In eos quippe nihil produci poteſt, quod reliquos Ethnicos, *Idolorum* praecipue cultores, inſanire non probet. Nam & Solem habent, & Lunam Deos, ac divinis proſequuntur honoribus, & in arborum truncis miſeri homines alia Numina ſibi ſculpunt (*a*), cum illo ficulno ligno, quod

> ..... *faber incertus ſcamnum, faceretne Priapum,*
> *Maluit eſſe Deum,*

neque pretio, neque pulchritudine comparanda.

Multo difficilius videri poteſt, Groënlandenſes, gentem aliam ab Artico Polo non longe diſſitam, ab Atheiſmi nota vindicare. Etenim Anderſonius, qui naturalem, ut vocant, illius, aliarumque regionum, ſcripſit hiſtoriam (*b*), hac etiam in re Groënlandenſes caeteris a Barbaris diſtingui ait,

quod

(*a*) Ita Moreri, La-Martiniere, *in ſuis Diĉtion.* aliique Geographi.

(*b*) Prodiit ea hiſtoria ex Germanica in Gallicam linguam converſa Pariſiis an. 1750.

Digitized by Google

quod unanimi eorum, qui cum iis egerant, teſtimonio, nullam Divinitatis cognitionem habere viderentur.

Vindicat tamen eos populos egregie P. Antoninus Valſechius, in aureo opere de fundamentis Religionis, ac de fontibus impietatis, non modo & orator, & philoſophus, & theologus, ſed etiam criticus ſane nobilis. Ille quidem ex iis, quae Anderſonius in ea hiſtoria tradit, ipſos non ſatis explicatam habere colligit notitiam Numinis, habere tamen aliquam, denſiſſimis vel inconſiderantiae, vel ignorantiae tenebris obvolutam.

Ut enim alia ſilentio praetermittam, & aliqua in regionibus illis curioſi homines priſcorum Groënlandenſium Religionis veſtigia detexerunt, &, quod conſideratione dignius, etiam noſtris temporibus iidem Barbari non modo humanos animos corporibus ſupereſſe, ſed, cum ex iis exceſſerunt, in beatas abire, coeleſteſque ſedes, ſibi perſuaſum habent. Hanc autem doctrinam cum Divinitatis notione valde conjunctam eſſe, imo ſine illa ſaltem in mentibus adeo rudibus vix poſſe ſubſiſtere, facile concedent homines non contentionis cupidiores, quam veritatis.

Nam ſi beatas in ſedes abire animos tibi perſuaſeris, ut omnibus ibi fruantur voluptatibus, atque divitiis, nonne cogitatio illa ſtatim videbitur occurrere; aliquem eſſe Spiritum, qui ſedes in eaſdem vocare ſoleat, & in iiſdem amantiſſime bonis hominibus innumera bona largiatur? Quae vero ſophiſmata poſſent, ut ab hac agnoſcenda veritate averterent, intorquere Graeculi quidam, non minus leves, quam impii homines, ut alio in loco ſignificavimus, non videntur barbaras Groënlandenſium mentes poſſe pervadere. Illae, ſi quid vident, non aliud profecto vident, quam quod ſua quaſi ſponte incurrit in oculos; cum vero errant (errant autem, ut ego arbitror, in pleriſque judiciis) id quavis ex alia cauſa contingit, quam quod, more Graecorum, aut aliorum ſimilium, indulgentes ingenio quaedam abſurda vel maxime, ſed tamen ſubtilia, comminiſcantur. Itaque illas bar-

Digitized by Google

barbaries eadem, quae a pleriſque veris, ab erroribus etiam quibuſdam arcet.

Iidem Groënlandenſes magica metuunt incantamenta. Vim igitur agnoſcunt ſenſibus minime ſubjectam, quae poſſit hominibus dominari. Quare, ſi rationis non ſint prorſus expertes, pronum eſt conjicere, bonam aliquam Naturam, intelligentia, potentiaque praeditam ab iiſdem agnoſci, unde plurima queant in homines commoda derivari.

Cum vero proponitur iiſdem rudibus mentibus, Solem, ac, caetera corpora, quae videmus, non potuiſſe, niſi excellentiſſimi artificis opera fieri, quemadmodum neque ipſorum cymbulae abſque artifice fiunt, etſi non tam affabre elaboratae, id quidem facile, libenterque accipiunt; ut aliquam artificis tanti notionem aut a natura jampridem accepiſſe, aut qualicumque ſibi ratione comparaſſe videantur: addunt tamen quis ille ſit artifex, aut ubi degat, ſe prorſus ignorare. Hinc fortaſſe factum eſt, ut poſt aliquot ſaecula, fere omnem ipſius cultum, & ſanctitatem Religionis abjecerint.

Facilius eſt ab Atheiſmi eadem labe purgare incolas nemorum, quibus glacialia Sinus Hudſonis litora diſtinguuntur. Etenim an illi Divinitatis aliqua notione gaudeant, quamvis olim fortaſſe non injuria dubitari potuerit, nunc certe dubitari non poteſt. Sane, qui eoſdem inviſit, & aliquo tempore cum ipſis verſatus eſt Gabriel Maretus, Vir Apoſtolicis laboribus deditus, nihil, quod pertinet ad notitiam Divinitatis, a ſilveſtribus caeteris Americae populis eos differre vidit; quin & aliqua peragere ſacrificia cognovit, quae non omnibus ejuſdem Americae nationibus communia ſunt (*a*).

At de infelicibus Novae Zemblae, Groënlandiae, & orarum pelagus Hudſonicum circumjacentium (*b*) populis, aliiſ-

(*a*) V. epiſt. P. Gabriel. Mareſt datam a 1695. *Rec. X. des Lettr. édifiantes &c.*

(*b*) De Incolis orarum freti Hudſonis vide hiſtoriam, quam ſcripſit Hen-

aliiſque Polo Artico proximioribus, tum demum clariora proferre licebit, cum aut mercatorum avaritia, aut hominum apoſtolicorum charitas, vim immenſi frigoris, atque gelu regiones eaſdem obſtipantis, adhuc magis contemnere, atque adeo ſuperare potuerit.

CAPUT II.

De Populis quibuſdam Americae Septentrionalis.

Canadenſes, Hurones, Eſiquimos, Attigovantanos, Souriquoſios, Armouchicoſios, alioſque finitimos, vim ſentire Divinitatis, licet aliqui homines olim in Europa negaverint, facile jam recentiores aſſentiuntur. Nam aliqui populos inter illos votis, atque muneribus oblatis Divinitatem placare ſtudent, ac praecipue Solem verentur, & colunt; aliqui rerum Dominum cultu, quem vocare ſolemus internum, proſequi dicuntur; aliqui de ſupremo eodem Domino multa tradere, vel potius fabulari ſolent; etiamſi de ipſo colendo nihil, aut certe parum ſolliciti eſſe videantur; quod quidem poſtremo loco poſitum non multum admirationis, ut in primo noſtro monuimus, cum de populis adeo rudibus, & inhumanis loquamur, habere debet.

Porro non deſunt, qui populos, de quibus loquimur, ac praeſertim Hurones, auctoritate Galli Scriptoris La-hontani, non modo Deum colere, ſed & meliores de illo ſenſus fovere, quam caeteros vulgo Barbaros, oſtendant. Etenim ille Theologiam Huronum eam exhibet (*a*), ut, ſi nonnulla.

Henricus Ellis. Vide lib. cui titul. *Voyages au Nort To. V. Relation. de Miſſiſipi &c.* Vide etiam *T. XII. de l' Hiſtoir. Génér. des Voyag.* ubi, teſtimonio ipſius Drakii, incolis regionis, quae *Nouvelle Albion* dicitur, Religio tribuitur.

(*a*) Vide librum, cui titulus, *Dialogue de Monſ. le Baron de la Hontan, & d' un Sauvage dans l' Amerique, contenant une deſcription exacte des moeurs. & des coutumes de ces peuples Sauvages. Amſterd.* 1704. *in* 12.

nulla demas, vix aliquid ſubtilius, aut acutius in medium protuliſſe Graeci, ſive Romani videantur.

Eam ex La-hontano in pauciora colligens Jacobus Bruckerus articulis, quos jam ſubjicimus, univerſam concludit (*a*) = *I. Eſſe conditorem mundi, qui magnus ſpiritus, dominuſque vitae appelletur; eum in illis omnibus eſſe, quae limitibus carent. II. Dari immortalitatem animae. III. magnum illum ſpiritum dediſſe hominibus rationem, quae judicandi, diſcernendique inter bonum, & malum capax ſit, eo fine, ut veras juſtitiae, & ſapientiae regulas ſequantur. IV. tranquillitatem animi placere magno huic domino; averſari autem eum tumultus animi, eo quod homines illis mali fiant. V. Vitam eſſe ſomnium, mortem evigilationem, poſt quam anima demum intelligat ſtatum, & conditionem rerum viſibilium, & inviſibilium. VI. quia ſupra terrae ſuperficiem extendere, & attollere ſe ratio hominis nequeat, ingenium corrumpendum, tentandumque non eſſe, ut in rerum inviſibilium, & probabilitate carentium cognitionem penetret. VII. animas poſt mortem abire in certam quamdam regionem, neque tamen ſuſpicione attingi poſſe, utrum bonis bene, malis male tunc ſit, quia neſciamus, utrum mala ſint coram domino, quae mala videantur hominibus* =.

Ea ſi vere ſentiunt Hurones, ſane non eſt cur illos quiſquam Atheiſmi reprehendere non injuria poſſit. Sed non pauci ſunt homines Religionis amore, ac doctrinae laude praeſtantes, qui nullam La-hontano, ſcilicet acerrimo Chriſtianae doctrinae inimico, fidem adjungi velint (*b*). Aliqui etiam ulterius progrediuntur. Etenim La-hontanum fuiſſe volunt & irreligioſum, & Atheum, qui ſuas Huronibus impias, abſurdaſque ſententias ſupponeret, quò poſſet occultius, ac tutius in ipſam Divinitatem arma ferre: neque deſunt, qui nomen Adarionis cum La-hontano diſputan-

(*a*) *To. IV. P. II. Per. III. Lib. III. C.* 5. *p.* 922.

(*b*) Vide quos citat Bruck. *ib. p.* 920. Vid. etiam Reimmannum *Hiſt. Atheiſmi* S. *III. c.* 5. *p.* 427. 428.

tantis, quin & ipſam La-hontani perſonam, totamque narrationem fuiſſe compoſitam ab aliquo Religionis hoſte ſuſpicentur.

Si liceat hanc mihi diſceptare controverſiam, tria ſunt, quae hac tota de re dici poſſe arbitrer. Primum eſt, inter Gallos virum extitiſſe nobilem, cui cognomen La-hontano fuit, quique redux ab America Septentrionali, Chriſtianiſſimi Regis ditioni ſubjecta, multa de populorum illorum moribus, multa de naturali Theologia, multa de Religione narrare ſolebat, neque dubitare in omni ferme ſermone ipſos prae noſtris hominibus appellare ſapientes. Conſtant haec praeſertim auctoritate Leibnitii (*a*) graviſſima, & maxima. Etenim & eum hominem ſibi Leibnitius cognitum fuiſſe ſcribit, & multa de ſermonibus refert, quos de ſuis ille Barbaris miſcere conſueverat. Idem Leibnitius de Dialogo ſcribit, de quo quaerimus = *etſi non in totum verum, non tamen in totum fictum eſſe* =. Similia Bruckerus habet (*b*).

Alterum quod aſſero ex iis, quae jam indicavi, quaſi ſponte fluit; ideſt La-hontanum in referendis Barbarorum placitis non fideliter fuiſſe verſatum. Etenim Adarionem ille ſuum de praecipuis capitibus doctrinae Chriſtianae, deque legibus, moribus, & inſtitutis Chriſtianorum, ſuaeque gentis, multo ſubtilius differentem inducit, quam nullis exculta litteris, aut diſciplinis barbara ſimplicitas ferat. Fraus autem illa non ſentitur a nemine, qua La-hontanus id ſatagit, ut a Barbaro propoſita rationum momenta ſuis reſponſionibus & ſubtiliora, & meliora videantur (*c*).

(*a*) *Vol. IV. Epiſtolar. p. 22. ſeqq.*

(*b*) *L. c. p.* 921. qui *in Append. ad H. Cr. &c. p.* 1006. cum Reimmanno etiam narrat, La-hontanum per tria luſtra inter Canadenſes fuiſſe verſatum.

(*c*) Quis Bruckerum ferre poſſit (*in Append. ad H. Cr. &c. p. m.* 1007.) cum La-hontanum hunc eumdem laudat, quod non fuerit = *partium Studio deditus, nec religionis ſuae, i. e. pontificiae umbris ita occaecatus, ut hallucinationes ſuorum, & praecellentias barbarorum prae illis vel non viderit, vel in recitationibus ſuis diſſimulaverit* =? Nimirum Bruckerus, qui ſcribit contra Catholicos, non idem eſſe videtur

Hinc tamen La-hontanum irreligioſum, quod aliis etiam indiciis conſtat, non vero prorſus ἄθεον fuiſſe deducas, niſi Buddeum, aut Merſennum imitari velis, inter ſummam impietatem, & religionis ſanctitatem, nihil fere medium relinquentes.

Tertium, quod hoc loco docere mihi poſſe videor, eſt, La-hontani auctoritatem non eſſe tantam, ut, ſi caetera monumenta neglexeris, ex ea Canadenſes, alioſque Barbaros, agnoviſſe Deum, colligere poſſis. Quamquam enim non difficile adducor, ut credam, quod ſimile vero Bruckerus putat (*a*) = *eas doctrinae aſſertiones menti Huronum eſſe conſentaneas, quas illis tribuit* =, id tamen aliis teſtibus credo, non huic, quem non ſemel, neque parvis in rebus mendacem deprehendi.

Itaque Barbaros omnes, de quibus loquimur, multo validius Laſitoji (*b*), quam La-hontani auctoritate defendi puto. Etenim Laſitojum hominem fuiſſe ſcimus, quem neque mentiri voluiſſe credibile ſit, neque, ſi praeſertim de Silveſtribus Canadenſibus inſtituatur ſermo, fuiſſe deceptum. Illum

tur ac doctus ille. ſapienſque Bruckerus, qui tantopere laudatam Philoſophiae ſcribit Hiſtoriam. Vix autem ego auctorem ullum poſſe reperiri exiſtimo, qui magis aperte, quam Bruckerus contra Catholicos arma ferens, partium ſtudio ſerviverit. Et id quidem in Bruckero eo magis, an ridendum, an reprehendendum, quod tam ſaepe, ut a partium ſtudio Scriptores abſtineant, graviſſimis verbis hortatur.

(*a*) *L. c. p.* 922.

(*b*) Laſit. *Moeurs des Sauvages &c. To. I. C. IV.* de Religione Barbarorum Americae fuſe agit. Ibi de Barbaris praecipue Canadenſibus verba faciens, haec habet *p.* 111., inter caetera notatu digna = *Ils n' ont pas à la verité cette Metaphyſique, que leur donne le Baron de la Hontan dans ſes Dialogues ... où il fait parler un Sauvage ſur la Religion, de manière cependant qu' il en prétend conclure contre la Religion même ... ils n' ont pas auſſi cette ſtupidité brute, que leur croyoient ceux, qui ont les premiers abordé ſur leurs terres. Ne voyant parmi eux ni Temples, ni Autels, ni Idoles, ni culte reglé, ils ont crû mal à propos, que leur eſprit n' alloit pas plus loin que leurs ſens; & ils ont prononcé trop légerement, que vivant comme des bêtes ſans nulle connoiſſance de l' autre vie, ils ne rendoient aucun honneur divin à quoi que ce ſoit de viſible, ou d' inviſible* = Caetera vide apud ipſum ad quoſvis Barbaros excuſandos optime facientia.

Illum enim & Societatis Jeſu monumenta teſtantur, & ipſe ſcriptum reliquit (*a*), per quinque annos inter ſilveſtres Canadae populos fuiſſe verſatum, ut eos ad ampleẞenda ſacra Chriſtianae Religionis a foeda ſuperſtitione traduceret (*b*).

Praeterea Laſitojus Juliani Garnierii ex eadem Societate hominis religioſiſſimi familiaritate uſus fuerat, qui pluſquam annos ſexaginta in America tranſegerat, apoſtolicis ſemper laboribus occupatus. Et hic quidem tantus Vir, cujus experientia, prudentiaque doctior Laſitojus fieri ſtuduit, Algonquinum ſermonem per Septentrionalem Americam latiſſime diffuſum valde callebat; Huronicam etiam linguam ita tenebat, ut ſuam; nec minus quinque Irochenſium διαλέκτους, quos inter maximam vitae partem ipſe conſumpſerat. Hoc tanto magiſtro uſum Laſitojum barbarorum

 illo-

(*a*) Vid. *Tom. I. c.* 1.

(*b*) Laſitojum impenſe laudat Auctor Anglus operis valde utilis, quod in italicam linguam converſum non ſine magna voluptate legi = *Storia degli Stabilimenti Europei in America* = Ibi *P. II. Cap. I. p.* 190. = *Il dotto Laſiteau ha lavorato intorno a queſto punto* (nempe ut oſtenderet Americanorum mores cum antiquiſſimis noſtratum convenire) *con molto eſito in un' opera, che merita di eſſere più letta, che non lo ſuole eſſere* = Sed Laſitojum, ut nihil diſſimulemus, valde ſpernere viſus eſt Scriptor aliquis, quem cum non valde, hac quidem in re, laudare poſſim, nihil nominare neceſſe eſt. At cur ita ſpernit? Quia nempe ille, propter ſimilitudinem nominum, & conſuetudinem neſcio quam foeminis utriuſque populi communem, Caraibas a Cariis originem forte ſuam traxiſſe conjecerat. At ille quidem id omne non ut argumentum omnino firmum, ſed ut conjecturam quamdam proponit. Praefatus autem jam fuerat, ſe a levibus quibuſdam conjecturis non abſtinere, quod, etſi parum ſingulae valent, plurimae tamen ſimul ſumptae plurimum poſſunt. Putat igitur hujuſmodi conjecturis aſſequi ſe poſſe, mores quoſdam Barbarorum ſuorum eamdem habere originem, quam gentium aliarum conſuetudines, quae ſacros ritus, caeremoniaſque reſpicerent. Inter conjecturas, quas affert, aliae magis, aliae minus validae ſunt. An ſententiam ſuam ſatis ille probet, non eſt hic inquirendi locus. Sed certe ſi non probat, non idcirco tantopere ſperni debet, ac tamquam homo, quamvis eruditus, non tamen judicandi ſollertia pollens exhiberi. Caeterum, etiamſi in aliis facile erraviſſet, non inde tamen ejus auctoritas in re noſtra ſine injuria poſſet rejici, cum tot fuiſſet, ac tantis, ad Barbarorum ſententias de Religione detegendas, praeſidiis inſtructus.

illorum mores, & omnes de Religione ſententias optime didiciſſe, nemo negare poteſt, niſi quodam incredibili partium ſtudio teneatur.

Accedit, quod Laſitojus neque ſua, neque Garnierii experientia contentus, libros de Canadae rebus, aut *relationes*, quas dicunt, diverſorum auctorum, praecipue qui praedicandi Evangelii cauſa in eas oras profecti fuerant, & quos inter non pauci poſtea pro Chriſto ſanguinem fuderant, ſtudioſiſſime conquiſitas & legerat, & inter ſe diligenter contulerat. Itaque cum hic idem Auctor de moribus Americanorum Silveſtrium tam accurate diſputans, eoſdem a ſumma impietate abhorrere ſcribat, & ſicuti rem omnino certam, exploratamque ſcribat, neſcio quid cujusquam animum in hac cauſa dubium facere poſſit (*a*).

Hinc igitur corrigendus Huetius, qui rumoribus quibuſdam deceptus, non modo Cafros, & Hottentotos, & quoſdam Borni populos, ſed & pleroſque Canadenſium, & ferinos fere omnes Americanos, nullam Dei ſervare notionem, non tam probat, quam ſumit (*b*).

Quid jam ad Gabrielis Sagardi, & Leſcarbotii (*c*) reponemus auctoritatem, quam nobis adverſarii objiciunt? Re-

po-

(*a*) Conſentiunt Laſitoji teſtimonio de Barbaris Americae Scriptores innumeri, praecipue recentiores. Citat in hanc rem Genuenſis auctorem *Deſcriptionis Ludovicianae, Voyages au Nort to.* 5. Equidem legi opus, cui titulus *Hiſtoire de la Louiſinne par M. le Page du Pratz. To. II. p.* 326. eſt caput 23. *de la Religion des Naturels*. Ibi praecipue de populo verba facit, qui *Natchez* dicitur; eique Dei cognitionem & unius, & omnipotentis, & reliquorum Geniorum Domini tribuit. Auctor Anglus, de quo paulo ante diximus, *P. II. C.* 1. *p.* 195. de Religione barbarorum diſſerit, eoſque Dei cognitionem, quamvis valde mancam, habere tradit. Agit autem praecipue de Barbaris, qui Septentionalem Americam incolunt. Vide eumdem *C. IV.* ubi formulam ponit, qua in bellum profecturi *Areskoui*, ideſt ſuum Deum invocant. Vide Geographos, praecipue recentiores. Poſtremis autem hiſce annis, in Inſula prope Californiam detecta, Incolae quaedam ingentia Simulacra colere viſi ſunt.

(*b*) Huet *Lib.* 2. *Quaeſtion. Alnetan. cap.* 1.

(*c*) Sagard *Hiſtoire du Canadà l. II. c.* 30. Leſcarbot. *Hiſtoir. de la Nouvel. France L. VI. c.* 5. *&* 6.

Digitized by Google

poſuit jam Hookius (*a*), quod ſubjicimus = *Gabriel Sagard, & Leſcarbot negant ſolummodo eos cognoſcere verum Deum* =.

At Sagardus quidem (*b*) ſupremum totius mundi Dominum, atque Creatorem a Barbaris iiſdem agnoſci docet; etſi ea dicit eoſdem impietate, ſtultitiaque teneri, ut ſummo illo Creatore neglecto Naturis quibuſdam valde potentibus, qui certis praeſint locis, atque regionibus, preces, & ſacra faciant (*c*). Sed Leſcarbotius de populis agens Americae Septentrionalis dicit, poſtremis his aetatibus quoſdam ex illis fuiſſe detectos, quos nullus unquam Divinitatis ſenſus percellere videatur (*d*): itaque Ciceronis opinionem non amplius defendi poſſe, quod nulla ſit adeo barbara, & inculta natio, ut, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, non tamen aliquem habendum ſciat.

Melius igitur, quod pertinet ad Leſcarbotium, reſpondebimus, ejus auctoritatem non injuria poſſe a nobis hac ſaltem in cauſa negligi, cum Scriptores, qui noviſſimis temporibus de ferinis Americanis egerunt, alia nobis unanimi ferme conſenſione tradant.

Nimirum, quod ſatis alibi declaravimus, noviſſimae narrationes de barbaris quibuſdam populis habitae, cum eorum vel placita, vel mores magis, ac magis innotuerint, & certiores, & accuratiores eſſe ſolent, quam ab antiquioribus in eas oras advectis hominibus exaratae. Itaque & eleganter, & vere ſcripſit Genuenſis (*e*) = *nemo hodie dubitat*

(*a*) *Relig. Natur. To. I. P. 1. &c. p. m.* 14.

(*b*) Loco cit. ita de Canadenſibus, & Huronibus loquitur = *advoüent un prémier principe, & Créateur de toutes choſes, & par conſequent une Divinité avec le reſte des Nations* = Ridicula tamen, & impia multa narrat, quae de Creatore illo Barbari fabulantur.

(*c*) Hinc non miraberis in libro, cui titulus *Voyages de le Grand*, Hurones, & Souriquoſios defendi ipſius Sagardi teſtimonio, ac de iiſdem dici, quod Mundi Creatorem agnoſcant.

(*d*) *Ib. L. VI. c. 5.* = *il s' eſt trouvé en ces derniers ſiecles des nations, qui n' en ont aucun reſſentiment &c.* = nempe de Divinitate. Alia in eodem capite ſimilia.

(*e*) *Elem. Metaph. P. III. in Appen. ad Cap. I. P.* 127. Haec autem omnia contra Joannem Laëtium prae-

tat, veteres mercatores aut ignorantia morum earum gentium, de quibus ſcribunt, aut ut pretium ſuis itinerariis captarent, portentoſas hujuſmodi fabellas evulgaſſe, quas avide, novitatis amore, ut fit, caeteri deinceps Scriptores arripuere =.

Quin praecipue tenenda ſunt, qui ad calcem libri ſui contra Grotium conſcripti *de Statu gentium Americanarum* ita omnia, quae dixerat, in pauciora contrahit = *Ex omnibus, quae diximus apparet gentes utriuſque Americae, quaſdam habere levem quamdam Dei cognitionem, eaſque omnes eſſe idololatras; pleraſque omnino nullam, ſed a maligno Spiritu regi, & miſere torqueri: plurimaſque adeo omnem humanitatem penitus exuiſſe* = Sapienter contra iſta Laëtii ſcribit Bruckerus (*in Append. H. Cr. &c. p m.* 1005.) = *Fatemur,..timere nos, ne ex incerta peregrinantium in iſtis terris narratione pluſcula afferantur, quae vel incerta, vel plane falſa eſſe experientia, & recentiores narrationes oſtendunt* =. Ipſe autem Brucherus (*p.* 1006.) ea ſubdit, quae ſatis opportune poſſint a nobis hoc loco deſcribi; = *Unum nos monemus, doctrinam plerarumque gentium revelationis lumine deſtitutarum, in Americae quoque provinciis, ad hoc unicum caput poſſe revocari, eſſe quidem ens abſolutum, ſummum, creatorem rerum, quae in mundo exiſtunt, omnium, gubernatorem ſupremum coeli, & terrae: hunc autem ex ſe ad formanda regna ſua emiſiſſe Spiritus magnos, & potentes, qui emanationis lege cuncta in mundo efficerent, & imprimis humanae ſocietati praeſiderent. Habere hos Spiritus ſuum caput, & praefectum, & hoc ipſum Numen ſe mirificis operationibus prodere. Huic materiae vitio contrariari principium alterum totum a ſuo fonte deſciſcens, malae indolis, & ad felicitatem divinae civitatis deſtruendam omnes vires conjungens: inde tantam inter utrumque mundi principem litem, tantam eventuum diſſenſionem eſſe; hos placandos, illos cum caterva Spirituum coeli, & terrae colendos, & ad beneficentiam ſupplicationibus, ſacrificiis, ritibuſque ſacris invitandos eſſe* =. Haec Bruckeri hactenus probari poſſunt, quoad tantummodo de quibuſdam Americae provinciis, non autem de omnibus dicta intelligantur. Plures enim produci poſſent gentes, praecipue Silveſtres, quae nihil tale unquam cogitare viſae ſint. Hujuſmodi ſunt Californiae populi, de quibus optime Bruzenus La - Martiniere (*in Diction. Geog.*) = *Les Miſſionaires n'ont trouvé parmi eux aucune forme de Gouvernement, ni preſque de Religion, & de culte reglé. Ils adorent la Lune: ils ſe coupent les cheveux, on ne ſait ſi c' eſt pour honorer leurs Divinitez. Ils les donnent à leurs Prêtres, qui s' en ſervent à diverſes ſortes de ſuperſtitions* = Alii referunt *Idola* neſcio quae ab infelicibus iiſdem hominibus coli. Jam apud hujuſmodi gentes nullum eſt ejus doctrinae veſtigium, de qua Bruckerus; etſi non recte illis, ut diximus, praeſertim ab antiquioribus quibuſdam Scriptoribus, Atheiſmi proprie dicti crimen exprobratum eſt.

Quin & illud aliquando accidiſſe cognovimus, ut aliter unus, idemque homo de gentis alicujus Religione retulerit, cum diutius inter eam verſatus ejuſdem placita, vel opiniones & inquirere diligentius, & certius deprehendere potuerat, quam cum levem aliquam conjecturam ſecutus de moribus hominum loqui voluerat, quos vix de facie cognoverat, ſermonem vero cum iis nondum conferre poterat, vel nondum audebat.

Sane Winslowus, unus ex primis Europaeis Angliae Novae Colonis, Barbaros illius regionis nihil de Deo cognoſcere retulerat, inde ſine dubio deceptus, quod apud eos nulla templa, nulla *idola*, nullas aras, nulla ſacra conſpexerat. Idem tamen Barbarorum poſtea familiaritate uſus ab iiſdem unum ſupremum Deum, ac plures inferiores agnoſci non ſine admiratione didicit (*a*).

Porro locus hic poſtulare videretur, ut aliquid de Floridae populis, olim ἀϑεότητος inſimulatis adderemus: quam quidem accuſationem injuſtam fuiſſe vel inde conſtare poteſt, quod ipſe Leſcarbotius, Americam Septentrionalem Atheis complens, Floridanos tamen ***Idolorum*** cultores eſſe dicendos, non invitus agnoſcat. Sed ii populi melius defendi non poſſunt, quam Auctoris Angli (*b*), quem primo, ſi meminiſti, libro retulimus, tum rationibus, tum etiam auctoritate. Juvabit etiam legere, quae de Floridanis narrat Charlevoixius (*c*), nempe Solem ab iis ut unicum Deum vel haberi, vel coli, ac templa omnia, quibus ea regio diſtingui-

(*a*) Vid. Purchas *T. VI. l.* 10. *c.* 5. Vide etiam Ledeter. *Découv. pag.* 4. qui Virginiae Indigenas Deum agnoſcere tradit Mundi Creatorem, quem appellare ſolent *Okae*. Quin & ipſe Joannes Laëtius (*de Laet*) qui non facile Gentibus Americae Divinitatis cognitionem conceſſit, in libro *de ſtatu Gentium Americanarum*, narrat *p.* 189. ex Thomae Harioti relatione Virginiae incolas credere Deos plures exiſtere *Mantoai* appellatos: Horum tamen, ut & mundi totius, patrem, & conditorem eſſe maximum quoddam Numen, aeternum, & a nemine genitum.

(*b*) *Speciminis de Provid. & de Poſſibilitate Phyſica Reſurrectionis.*

(*c*) *Hiſtoir. de la Nouv. France To. I. Lib. I. a p.* 42.

guitur, in ipſius honorem extructa eſſe. Alia narrat, quae licet Auctorem Anglum, in iis populis laudandis, aliquantulum, ut fieri ſolet, limites veritatis exceſſiſſe, aperte ſignificant, id tamen confirmant, quod ille tradidit; non eſſe Floridanos omnis in Divinitatem, etſi male cognitam, religionis, ac fictae cujuſdam pietatis expertes (*a*). Sed jam ad populos alios Americae vindicandos noſtra properabit oratio.

CAPUT III.

De Incolis Antillarum, Cubae, & Hiſpanicae.

INſularum Antillarum incolae, qui Caraïbae, vel etiam Cannibales appellari ſolent, acerrima quondam inter noſtros homines Atheiſmi ſuſpicione laborarunt. Ea tamen non alio videtur ex capite naſci potuiſſe, quam ex paucorum quorumdam hominum, qui de miſerrimis illis gentibus in Europam ſcripſerunt, ſive imperitia, ſive temeritate, ſive etiam crudelitate, atque avaritia.

Iis narrationibus, praeter alios, Arnaldus, atque Baylius (*b*) aures praebuerunt, aut ſeſe potius praebuiſſe ſimularunt. Etenim utriuſque, licet diverſis ex cauſis, ut ejusmodi narrationibus crederetur, non mediocriter intererat. Lockius his adſtipulatur, qui ut Ideam Dei non eſſe innatam

(*a*) Conſuli meretur egregium illud opus P. Charlevoixii (*Charlevoix*) ſex voluminibus comprehenſum. Prodiit autem an. 1744. Non pauca narrat hic etiam auctor, cui barbarorum mores erant optime cogniti, ex quibus plurimarum gentium Americae Septentrionalis, ac praecipue regionum, quae Novae Franciae nominae donatae ſunt, religio, vel ſuperſtitio cum quadam Divinitatis notitia conjuncta, ſatis innoteſcit. Aliae autem nationes etiam facilius defenderentur, ſi quidem eas adverſarii accuſarent: e. g. Jucatanae incolae, de quorum Diis nefaria, crudelique ſuperſtitione cultis, cum primum ad eas oras Hiſpani appulerunt, legendus Petrus Martyr Anglerius *Dec.* 4. *c.* 4. At in his immorari nihil neceſſe eſt.

(*b*) Arnald *Quatr. Denonc. du peché philoſ.* Bayl. *Contin. des Penſ. &c.* & alibi.

tam oſtendat, paucas quaſdam profert nationes, (a) eadem, ut ipſe putat, omnino vacuas. Sunt autem inter eas populi, qui Caribas inſulas tenuerunt.

Mirum ſane Lockium legenti mihi contigit, quam parum curaverit ſubtilis hic Metaphyſicus, ut idoneis teſtibus id evinceret, quod affirmaverat. Ille quidem viatoribus aures praebuit omnino ſubleſtae fidei, quorum auctoritas hac aetate recipi non ſolet, atque non debet.

Etenim Caraibas ab eo quidem crimine melioris notae Scriptorum ſuffragia liberant. Praecipue legendi Stillingflitus, Croſaeus, Rochefortius, Tertraeus, Bordaeus, Bruzenus La-Martiniere, Lafitojus (b).

Ne vero magis videar numero teſtium, quam ratione pugnare, quomodo prorſus Athei dici poſſunt, qui cum foediſſimae dediti ſint ſuperſtitioni, tamen & magnum quemdam Spiritum, cui nomen *Chemiin*, agnoſcunt, & eumdem bonorum principium, & innumeris aliis, item bonis, Naturis homine melioribus dominantem, & verentur, & colunt?

Accedit quod *originalis* noxae, qua totum in Adamo deformatum fuiſſe genus hominum Chriſtiani credimus, aliquam *traditionem*, licet ineptis fabulis jam depravatam, accepiſſe videntur, quod non obſcuris indiciis Lafitojus oſtendit.

Clariora ſunt inter eos alterius *traditionis* veſtigia, qua magnum illum *Chemiin* ſceleribus Caraïbarum indignatum, maximis imbribus immiſſis, ipſos perdidiſſe doceat; paucos autem ex illo diluvio ſcaphis quibuſdam confiſos, & earumdem ope ſupra ingentem montem, & ea quidem tempeſta-

Tom. II. Dd te

(a) *Eſſai ſur l' Entend. &c. Livr. I. Ch. III. § 8. p. 71.*

(b) Stillingfl. *Orig. Sacr.*, La Croze *Entretiens &c.* Rochefort *Hiſt. mor. des Antilles C. XIII. XIV.*; Du Tertre *Hiſt. Nat. des Antilles T. II. p. 365.* Le Sr. de la Borde *Relat. des Caraib. C. II. & III.* Bruzen La-Martiniere *Dict. Geog. T III Art. Caraïbes*, Lafiteau *Moeurs des Sauvag. &c. Tom. I.*

Digitized by Google

te ſolum, evectos evadere potuiſſe (*a*). Quis in ea narratione Deum optimum maximum meritas ab humano genere poenas exigentem, quis generale diluvium, quis juſtum cum tota familia Noëmum, quis Noëmicam arcam, & Armeniae montes non adumbrari fateatur?

Illud tamen diſſimulare non poſſumus, tam pulchram *traditionem* a foediſſima natione ineptis, ridiculiſque fabellis fuiſſe deformatam. Sed id ad rem parum profecto refert, de qua nos agimus; quemadmodum & illud a nobis priore libro notatum, quod nempe malam quamdam naturam, ac malorum principium, *Maboga*, vel *Maboya*, vel *Mapoya* vocatum, ſub quo alios item malos δαίμονας inducunt, Sacerdotes ipſorum, ſive *Boyez* (ita enim inter eos ſacris praefecti ritibus appellantur) precibus, ac ſacrificiis tantopere demereri ſtudent, ut plerumque illius boni Numinis *Chemin* obliti videantur.

Quid jam de incolis Cubae dicemus, quos alicui difficile videtur Atheis non concedere, ſi magna ſibi populum ſcilicet egregium contentione vindicent? Etenim illos nulla voluiſſe religione capi, Scriptores aliqui tradiderunt (*b*): neque vero ſuperſunt ex ea gente noſtris hiſce temporibus homines, ex quibus clarius aliquid, ac certius hac de re poſſimus exſculpere. Videlicet fere ad unum miſerrimi homines aut ab hoſtibus ſuis internecione deleti ſunt, aut laqueo ſibi vitam praecidere, quam ſervitutis, quo ſe vehementiſſime premi ſentiebant, jugum ferre maluerunt.

Attamen aliquid habemus, quod cum rite expendant emunctae naris Critici, ſatis infidelitatem eorum, qui Barbaros illos ab omni religione alienos credi voluere, ſubodorantur. Etenim integri fidei homines, qui de populis illis omnium primi, cum penitus eoſdem cognitos haberent, atque perſpectos, in Europam ſcripſere, ab Ἀθεότητος illis inu-

(*a*) V. La Martin *l. cit.*
(*b*) Vid. de Laët. *Deſcript. Indiar. Occid. L. I. c.* 10.

Digitized by Google

inurenda nota vel maxime abſtinent; quin & religionem illis, & ſacras caeremonias tribuunt (*a*). Tunc primum eae miſerae gentes ultimae ſunt impietatis accuſatae, cum omni genere crudelitatis in eaſdem ſaeviri coeptum eſt.

Quis adeo ſit iniquus judex, ac rerum ignarus, ut ſi primum genus teſtium cum altero conferat, non primum illud anteponendum putet? Nam cur ex ſecundo genere teſtes aliqui mentiri voluerint, ratio non improbabilis afferri poteſt: neque mirum debet accidere, ſi facile alios in fraudem, aut in errorem pertraxerint. Primi vero teſtes, de quibus Anglerius, quid ſequi potuiſſe dicendi ſunt, ut adeo turpe, nec non facile detegendum, mendacium admitterent?

(*a*) Stillingflitus *Orig. Sac. P. II. C. I.* ut vindicet incolas Cubae, & Hiſpanicae anteſtatur Columbum (*Ch. V. Navigat.*) eos & Solem, & Lunam, & Coelos adorare narrantem. Memoratu etiam dignum id mihi videtur, quod Columbus idem prodidit, & in Itinerum Hiſtoria, quae Generalis dicitur, fuſe deſcribitur (*Hiſt. Génér. des Voyag. To. XLV. a p.* 138.) Etenim, ut reliqua ſileam, unus ex Cubae Principibus (Cachiquos vocant) ita Columbum affatus eſt. = *Tu es venu dans ces Terres, que tu n' avois jamais vûes, avec des forces qui répandent l' effroi parmi nous. Apprens néanmoins que nous reconnoiſſons dans l' autre vie deux lieux où doivent aller les ames; l' un redoutable, & rempli de ténébres, qui eſt le partage des Méchans; l' autre, bon & delectable, où repoſent ceux, qui aiment la paix, & le bonheur des hommes. Si tu crois mourir, ſi tu crois que le bien ou le mal que tu auras fait te ſera rendu, j' eſpere que tu ne feras point de mal à ceux qui ne t' en feront point. Tout ce que tu as fait juſqu' à préſent eſt ſans reproche, parce qu' il me ſemble, que tes deſſeins ne tendent qu' a rendre graces à Dieu* = Multa praeterea narrat Petrus Martyr Anglerius, a Stillingflito etiam laudatus, quae ſatis oſtendunt, Hiſpanos, antiquioribus illis temporibus, ne leviter quidem dubitaſſe, quin & Cubani, & caeteri Americani aliqua eſſent cognitione Divinitatis imbuti. Ad extremum liceat nobis afferre graviſſimum Alexandri VI. Romani Pontificis teſtimonium, quo Barbari omnes Americani ad ea tempora cogniti omni ἀθεότητος ſuſpicione liberantur. Etenim in celeberrimo Diplomate, ſeu Bulla, ut vocant, qua litem inter Caſtellanos, ac Luſitanos de Novi Orbis regionibus componit, haec etiam habet = *Certas inſulas remotiſſimas, & etiam terras firmas, quae per alios hactenus repertae non fuerant, invenerunt* (Columbus, ac Socii) *in quibus quamplurimae gentes pacifice viventes... inhabitant, & ut praefati nuncii veſtri poſſunt opinari, gentes ipſae in inſulis, & terris praedictis habitantes credunt unum Deum Creatorem in coelis eſſe &c.* =

At neque deceptos illos primos fuiſſe, vero valde ſimile videri poteſt. Etenim non raro contingit, praeſertim in America, ut qui Deum agnoſcit, nulla ipſum religione proſequi videatur. At neſcio, an unquam fuerit genus hominum, quod & religionem, & ſacros ritus celebrare videretur, cum nullum vellet eſſe Deum; niſi forte egregie ſimulare noſſet. Hanc vero ſuſpicionem in infelices illos Cubanos non poſſe cadere, nemo eſt, qui non videat, planeque non ſentiat.

Eadem prorſus de incolis antiquioribus inſulae Hiſpanicae (*a*), ſive S. Dominici, quam *Hiſpaniolam* neque latina, neque jam hiſpana voce, ut acute Bruzenus, quidam appellant: cujus inſulae quoque indigenae jam nulli fere ſuperſunt. Si fides auctoribus habenda ſit, quorum vel diligentia, vel integritas in dubium vocari non poſſit, eae gentes, foediſſima quamvis implicitae ſuperſtitione (*b*), tamen potiori jure nequeunt, quam vulgus Ethnicorum Ἀθεότητος proprie dictae damnari.

Accedit & conjectura, ut ipſos non tam facile ſceleris ejus arguamus. Etenim tam de ipſis, quam de Cubanis, memo-

(*a*) Vulgo *l' Eſpagnols*. Ad eos populos damnandos affertur idem De Laët *ibid*.

(*b*) Deſcribit ſuperſtitionem illorum populorum La-Martiniere Art. *St. Domingue To. m. IX p.* 54. Vid. etiam hiſtoriam ejuſdem inſulae, quam ille laudat. Nobis ea deſcribere ſufficiat, quae ad annum Chriſti 1500. ex Petro Martyre Anglerio refert Raynaldus = *Nocturna inſularibus apparere phantaſmata, quae in fatuos errores eos inducant, ex Simulacbris, quae palam colunt, aperte cognoſcitur. Ex goſſampio namque intexto ſtipato interius ſedentes imagines formant, quae nocturnos, quo pacto parietibus illos noſtri pictores inſigunt, aemulantur Lemures .... Haec ſimulacra Zemes appellant indigenae, quorum minora infantulos daemones referentia cum hoſtibus manus collaturi frontibus alligant, ... bis pluvias, ſi pluviae deſint, ſoles, ſi ſole indigeant, ſe impetrare arbitrantur: ejus enim, quem Unicum, ſine carentem, Omnipotentem, Inviſibilemque eſſe fatentur, internuntios eſſe Zemes putant. Quiſque regulas ſuum habet Zemem, quem colat. Coeleſti Numini aeterno duo baec nomina, Jocauna, Guamaonocon, majores eorum indiderunt. Numen ipſum habere Genitricem quinque bis nominibus appellatam ferunt &c.* =

moriae proditum accepimus, & ſtudia, & mores eorumdem, totamque vitae traducendae rationem, cum moribus circumfuſarum gentium non levem ſimilitudinem habuiſſe. Et Anglerius quidem, Hiſpanicae gentem a Martinica originem duxiſſe ſuam, arbitratus eſt: reliqui vero Scriptores & Cubam, & Hiſpanicam, propter eamdem ſimilitudinem, non raro confundunt, & Caraïbas, aut Cannibales ipſarum omnium priſcos colonos appellant. Hinc autem conſequens eſſe nemo non videt, ut cum ſemper turpiſſima Caraïbarum imbecillitatem occupaverit ſuperſtitio, non valde credibile ſit, cognatos populos oppoſitam impietatis extremitatem conſtantiſſime tenuiſſe. Saltem id in animum inducere non debemus, niſi certiores teſtes, aut ſide digniora, quam adverſarii protulerint, monumenta proferantur.

C A P U T IV.

De Populis pluribus Americae Meridionalis.

EX inſulis in Continentem Americae magna confidentia noſtri regrediuntur adverſarii, ut inhoſpitos ejuſdem montes, & inacceſſa nemora ſcrutentur, non ita paucas tandem inventuri gentes, cujuſcumque ſine dubio Divinitatis ignaras.

Equidem, niſi vererer, ne moleſtus iiſdem in tam praeclaro opere interpellator accederem, illos amice rogare vellem, ut quoniam barbaricas in magno pretio videntur habere ſententias, quid in ipſa America gentes docuerint, inter barbaras non ſatis illae quidem humanitate, doctrinaque politae, ſed tamen doctrinae cujuſdam, & humanitatis amore illectae, non dedignentur advertere.

Id ſi facerent, profecto melius de Religione, ac de ipſa divina Scriptura ſentirent. Etenim non modo Mexicani, atque Peruani cultiores, Ingarum ſcilicet imperio ſubjecti, divinam aliquam agnoſcebant, verebanturque Naturam, aris

in

Digitized by Google

in ejuſdem honorem, templiſque poſitis, de quibus legendi ſunt Acoſta, Forquemada, Garcilaſſus, De Solis, Lafitojus, & qui magnam in libro paucis ab hinc annis edito doctrinam praeſetulit, & ingenii acumen Anſelmus Deſingius (*a*), ex inclyta S. Benedicti familia: ſed & aliqua de animorum immortalitate, aliqua de divina Juſtitia, de Mundi creatione, de magno illo diluvio tradebant, quae ſatis indicarent, ex quo fonte illae gentes, illarumque gentium opiniones multae profluxerint.

Ut reliqua tacitus praetermittam, Peruani, quos indicavi, a Cono illo ſuo (*b*) coelum, & terram, & homines ipſos fuiſſe creatos, ſi Garcilaſſo credimus (*c*) & gentili, & erudito Scriptori, conſtantiſſime perhibebant: homines autem eoſdem narrare ſolebant a juſto ſcelerum vindice Deo, cum acceptis beneficiis ingrati extitiſſent, fuiſſe perditos, atque ita ſimul cum vitiorum auctoribus vitia ipſa fuiſſe deleta: ſed poſtea benigniſſimam ipſius clementiam de inſtaurando humano genere cogitaſſe, & ſuis praecepiſſe miniſtris, ut in ſaxis effigies hominum ſculperent, ac demum in agros, & montes, provinciaſque diverſas illa projicerent, & ſimul haec verba pronunciarent: *Conus vobis imperat, ut in homines convertamini*: tum vero Miniſtros illos Coni juſſa feciſſe; atque omnipotenti voci lapides ipſos ita paruiſſe, ut oſſa, & carnem, & ſanguinem, & vitam, & ſenſus acceperint: inde novum genus hominum, qui ſuam etiam in eo prodant originem, quod alii in vallibus, alii in montibus, alii circa lacus, alii juxta mare, quo nempe primum lapides illi projecti ſunt, ſedes fixerint, & alii ſint ab aliis, pro

(*a*) Vide ejus opus Ferrariae impreſſum an. 1768. p. 333.

(*b*) Supremus Deus variis nominibus a Peruanis antiquioribus appellatus eſt; ſed poſtea varios etiam Deos nominibus illis deſignarunt. Hinc Deum *Pachacamac*, a *Viracocha*, & a *Cono* diſtinctum invenias; quamvis, Auctore Lafitojo *Moeurs des Sauvag. Tom. I. C. IV. p.* 124. = *Chez les Peuples du Pérou le Pachacamac, où l'Etre Supréme, & le Viracocha qui eſt le Dieu Créateur &c.* = unum atque idem, & fuerit, & eſſe omnino debuerit.

(*c*) Vide Garcil. &c. *Comm. Real.*

pro varietate lineamentorum in iiſdem ſaxis, non tantum moribus, at vultibus etiam ipſis immaniter diſcrepantes.

Haec inquam, aliaque plura Philoſophi Americani (*a*), in quibus antiquiſſimae cujuſdam *traditionis*, licet fabulis depravatae, atque contortae, quaedam extent non prorſus obliterata veſtigia (*b*). Ridiculas eſſe fabulas eaſdem, & Heſiodo potius alicui, quam Platoni placere poſſe, non nego. At, ſi verum fateri volumus, aliquanto minus abſurdae ſunt, quam noſtrorum Philoſophorum, qui Spiritus fortes dici amant, opiniones, quas etiam fricti ciceris, ac nucis emptor nulla veritate, ſeu veritatis etiam ſpecie fulciri, facile deprehendit.

Sed quoniam adverſarii, Philoſophis omnino neglectis, magiſtros audire malunt, quibus nihil agreſtius, aut rudius dici, vel fingi poſſit, illis iterum geramus morem, ipſiſque comitibus, populos quaeſituri, qui merito Athei vocari poſſint, inculta quaevis Americae Meridionalis nemora perluſtremus.

Ple-

(*a*) Auctor libri anno elapſo 1771. impreſſi, cui titulus, *Recherches Philoſophiques ſur les Americains* habet aliqua *Tom. II. Part. VI. Letr. I.* de Religione Barbarorum Americae, quae legi mererentur, niſi calumniis in Romanam Eccleſiam, ac Religionem librum ille foedaſſet.

(*b*) Quamquam aliquid ignorantia, & ſuperſtitione corruptum, Mexicanos, & Peruanos Philoſophos de priſcis majorum ſuorum doctrinis retinuiſſe puto, non tamen aſſentior Lafitojo (*To. I. Moeurs des Sauvag. C. I. p. 9.*) in Mexicana, & Peruana Religione Trinitatis adorandae Myſterium fuiſſe leviter adumbratum. Quamquam enim Joſephus Acoſta de Idolo *Tangatanga* in Peruvia culto verba facit, cujus nomen *Unum in Tribus, & Tres in Uno* ſignificet; quis non videt, quam facile contingere potuerit, imo debuerit, ut in tot ritibus, tot fabulis, tamque diverſis innumerabilium populorum aliquid inveniretur, quod cum quibuſdam Chriſtianis doctrinis levem aliquam gerere ſimilitudinem, quaſi fortuito, videretur? Iſta ſi colligas, ut antiquiſſimis earumdem gentium hominibus eadem innotuiſſe δόγματα probes, non aliud, niſi levis omnino pretii argumentum conquirere mihi videberis. Quare Scriptores etiam illos non valde laudare poſſum, qui & in veterum Germanorum, & in Indorum Orientalium, & in Japonum ſuperſtitione quaedam illius Myſterii veſtigia ſeſe deprehendiſſe putant.

Digitized by Google

Haud raro nobis occurrunt homines, prae quibus & Scythae, & Maſſagetae, & Getae, & Sacae, & Geloni, & Sarmatae, & caetera inhumanae nomina barbariae, quae tantopere tenerorum ille luſor amorum horrebat, nihil non elegans, nihil non urbanum, ac bonis artibus excultum praeſetuliſſe videri poſſunt. Horridi enim in jaculis non ferro confectis, at ſudibus praeuſtis, aut etiam acutis hominum oſſibus, denſa illa nemora percurſant, atque venantur, non tam damas, aut lepores, quam hoſtes ſuos. Jam iſtos aut interfectos non tam vorant, quam dentibus diſcerpunt, ac lacerant, potius rabiem, quam famem ſatiandi cupidi, aut captos, exquiſitiſſimis poenis, quales neque Sicula, neque Carthaginienſis unquam crudelitas excogitavit, mactandos, manducandoſque ſervant in poſterum. Itaque, ſi domos ipſorum cognoſcere velimus, mapalia ſaepe viſuri ſumus, illi ſpeluncae ſimilia,

„ Semihominis Caci facies quam dira tegebat
„ Solis inacceſſam radiis, ſemperque recenti
„ Caede tepebat humus, foribuſque affixa ſuperbis
„ Ora virum triſti pendebant pallida tabo. (*a*)

Quis haec hominum monſtra de Natura divina quidquam ſuſpicari arbitraretur? Tamen, quod jure mireris, etiam haec tanta barbaries tam alte defixam animo Divinitatis

(*a*) Barbarorum, qui ſunt ultra Æquatorem, crudelitatem, ut alia etiam immania vitia, deſcribit Americus Veſpuccius in libello de ſua Navigatione, quem ex Hiſpano in Latinum ſermonem convertit Archangelus Madrignanus Monachus Claravallenſis. Ait enim = *Quos ſubegerint, profligaverintve hoſtes in cibatu habent gratiſſimos. Carne veſcuntur humana adeo, ut pater filios epuletur, & viciſſim nati parentem, prout ſors tulerit, & eventus. Vidi ego quemquam perditiſſimum hominem, qui pro gloria non mediocri jactabat, ſe edidiſſe ſupra trecentos viros. Vidi etiam urbem quamdam, ubi immoratus ſum diebus fere viginti ſeptem, & ibi contignationibus humanas carnes, eaſdemque ſalitas, penſiles vidi ...... imo mirabantur plurimum, quod nos non veſceremur hoſtibus* =

tatis notionem retinuit, ut mortales univerſi potius ſeſe homines eſſe, quam aliquem eſſe Deum oblivisci poſſe videantur. Itaque ne unam quidem in regionibus etiam iſtis adverſarii gentem inveniunt, quam in caſtris verorum Atheorum ſtipendia mereri ſine mendacio glorientur (a).

Neque tamen hic de ſingulis agendum puto, non tam

(a) Haec ſemper a nobis de Americanis dicta memineris, qui rectae rationis aliquo uſu fruuntur. Quis enim de iis velit eſſe ſollicitus, qui perpetuo infantes, aut, ſi vis, fatui, & amentes dici poſſunt, quod numquam ex iis, quae ſenſibus percipiunt, aliquid, hominum more, colligere, numquam honeſta ſecernere a turpibus, numquam demum ea, quae ſenſus eoſdem aliquo modo ſuperant, animo videre queant? Nihil quidem neceſſe eſt, ut alio loco ſignificavi, nationes integras inducere tanta dementia laborantes: quamquam, ut ibidem oſtendimus, hoc longe minus abhorreat a vero, quam quod integrae nationes exiſtant, quae nihil de ſummo rerum omnium Conditore, nihil de hominum univerſorum Judice, nihil demum de perfectiſſima Supremi Numinis Natura ſuſpicentur. Hoc tamen omnino certum eſſe debet: plurimos homines inter gentes Americanas (de barbaris loquor) imo & aliquando maximam ex integra natione hominum partem, rectae rationis uſu omnino carere. Multos, eoſdemque doctrina, prudentiaque praeſtantes Viros anteſtari hoc loco poſſemus, qui neminem de hac veritate dubium eſſe ſinerent. At celeberrimum Condaminium producere ſufficiat, qui ſane multorum inſtar teſtium a pleriſque habebitur. Nam, quae ille ſcribit de Americanorum indole, inter quos novem fere annos verſatus eſt, id ſaltem probant, quod nos poſuimus. Ait autem (*M. de la Condamine, Relat. Abrég. d' un Voyage &c. p. m.* 52. 53.) = *L' inſenſibilité en fait la baſe .... Elle naît ſans doute du petit nombre de leurs idées, qui ne s' étend pas au-de-là de leurs beſoins. Gloutons juſqu' à la voracité, quand' ils ont de quoi ſe ſatisfaire; ſobres, quand la néceſſité les y oblige, juſqu' à ſe paſſer de tout, ſans paroître rien deſirer; puſillanimes & poltrons à l' excès, ſi l' ivreſſe ne les transporte pas; ennemis du travail, indifférens à tout motif de gloire, d' honneur, ou de reconnoiſſance, uniquement occupés de l' objet préſent, & toujours déterminés par lui; ſans inquiétude pour l' avenir; incapables de prévoyance, & de réflexion; ſe livrant, quand rien ne les gêne, à une joie puérile, qu' ils manifeſtent par des ſauts, & des éclats de rire immodérés, ſans objet, & ſans deſſein; ils paſſent leur vie ſans penſer, & ils vieilliſſent ſans ſortir de l' enfance, dont ils conſervent tous les défauts* = Equidem in multos hujuſmodi homines perpetuo infantes incidiſſe puto quoſdam Europaeos, qui, nihil populos neſcio quos Americanos de Natura divina ſuſpicari, narraverunt; niſi forte aliis rationibus ii decepti ſunt, de quibus poſtea.

Digitized by Google

populis, quam tribubus, latronum more, diverſas regiones concurſantibus, ut eas ab Atheorum ſtultitia ſatis abhorrere patefaciam. Id enim, amabo, quid aliud eſſet, niſi & eadem multo ſaepius, quam par eſt, oſcitanti lectori oggerere, & nominibus, & erroribus conſarcinare librum, nulla ſcilicet animadverſione, nulla memoria dignis? Itaque tantum de quibuſdam agemus, in quibus validiſſimum adverſarii ſuae cauſae patrocinium ſtatuere poſſent, ut ex iis de reliquis liceat conjecturam capere (a): praeſertim cum barbarae Americae gentes, quae Atheiſmi ſuſpicione premuntur, hac vel maxime de cauſa premantur, quod nulla videantur ſacra colere, nulla Divinitatem religione vereri: quod quidem argumenti genus quanti faciendum ſit, & ſatis in primo noſtro vidimus, & amplius etiam hoc toto capite viſuri ſumus.

Quare non eſt, cur aliquis innumeros populos, niſi ingen-

(a) Qui plura de iis cupit, facile rerum Americanarum Scriptores conſulere poteſt. Ex gr. Petrus Martyr Angl rius religionem populorum qui ab Hiſpanis ad ea tempora inventi fuerant, deſcribere ſolet; veluti cum *Decade III. C* 4. = *Cerabaroi populi*, inquit, *quique jacent medii ad Hiebram uſque Beraguam . . . . credunt ineſſe auro numen; quandoquidem ad id negotii* (ad quaeritandum aurum) *minime tendunt inexpiati ex priſcorum religione, puta qui a coitu, & omni oblectamento abſtinent, cibiſque ac potu parciſſime utuntur. Univerſo legendi auri tempore vivere tantum, ac mori datum hominibus, ut caeteris animantibus, arbitrantur, propterea nihil colunt aliud; Solem tamen venerantur, & ſurgentem ab orizonte reverenter excipiunt* = Deinde de cultu agit Dabaibae praeſtito, quam = *iraſci pueriliter ſentiunt, ſi negligenter ſacris ejus intendatur* =. Haec quidem Petrus Martyr de populis, quos ipſe Criſtophorus Columbus inviſerat. At de populis, quos Vaſcus Nunnezius (*Nunnez*) domuit, ipſe autem *Quarequam* incolas appellat, haec dixerat *Decade III. C.* 1. = *In Coelum oculos, manuſque tendentes, Deum inſinuabant eſſe tanto ſceleri* (praepoſterae libidini) *iratum, inde mitti fulgura, tonitruaque; crebris namque fulguribus vexantur, & aquarum frequentes alluvies, quae ſata omnia rapient, famemque, & morbos inde provenire conquerebantur, licet nil aliud pro Deo colant, praeter quam Solem; hunc praeſtare, hunc tollere ſolum exiſtimant.* = Verum ne ſtudioſe nos omnia hujuſmodi monumenta colligamus, tum inſtituti operis ratio, tum brevitatis ipſe amor facile perſuadet.

gentes familias appellare mavis, in medium producat, per inſulas Orenoqui, ripaſque diſperſos, quos Clariſſimi Tourneminii doctiſſima jam defendit oratio. Cur enim hi, vel alii ſimiles per finitimas regiones, pecudum more, palantes Atheiſmi poſtulantur, aut potius poſtulati ſunt aliquando, niſi quod neque templa, neque victimas, neque feſtos dies, rituſque celebrent?

Sed quamvis iſta non celebrent, aliquos ex iis barbaris populis, ut Nouragues, & Acoquas, & Galibis, Deum, & quidem unicum, credere, Vir non modo curioſus, ſed & valde accuratus, deprehendit Gilletus (*a*), & ex iis, niſi fallor, non abſurde colligimus, quid cogitare de reliquis debeamus.

Convenit autem cum Gilleti auctoritate graviſſimum, de Barbaris ejus latiſſimae regionis, quae *Terra Ferma* dicitur ab Hiſpanis, Joſephi Acoſtae, Apoſtolici Viri, teſtimonium (*b*). Convenit etiam ex magna ſaltem parte Joannes Laëtius, ubi, ut reliqua ſileam, Barbaros Meridionalis Americae teſtatur (*c*), tonitru nomine quodam appellare, quod ſonum, aut vocem Excellentiae Supremae ſignificet. Convenit etiam Joſephus Franciſcus Laſitojus, qui Barbaris etiam, de quibus modo loquimur, cognitionem Divinitatis aliquam affulſiſſe non modo narrat (*d*), ſed ita narrat, ut ne levem quidem hac de re dubitationem videatur admittere.

Neque vero prorſus hoc loco taciti praetermittere debemus, quod Walterus Raleighius de Guyana tradidit (*e*): plures in ampliſſima regione magnis florentes opibus civitates eſſe, quae Religionem colant antiquioribus Peruanis maxime probatam,

 Quid

(*a*) Gillet. *Voy. dans la Guyane c. 7. p.* 81.
(*b*) De quo I. libro locuti ſumus.
(*c*) *Ind. Occid. L. XV. Cap. II.*
(*d*) Vid. *Tom. I. C. IV.* & alibi.
(*e*) Vid Lib cui tit. = *Voyages de Correal.* = *T. II. p.* 165. ubi eſt = *La Relation du Chevalier Walter. Raleigh &c.* =.

Quid jam de ſilveſtribus Cajennae Incolis dicemus, quos non modo Religionem colere nullam, ſed nullam quoque Divinitatem agnoſcere, Bruzenus ille ſcripſit (*a*), quem ſaepe laudavimus? Nimirum haud ſcio, an diligens auctor hac quidem in re ſibi convenerit. Idem enim ſcripſerat (*b*), nullum eſſe populum tam immaniter efferatum, apud quem nulla ſupremae illius naturae ſuſpicio ſit.

Praeterea narrat idem. Cajennae incolas, naturae ſolo lumine fretos, animorum immortalitatem agnoviſſe, quin & eoſdem dicere, mortuorum animos in altiora illa loca conſcendere (*c*). Si tantum judicandi facultate illi Barbari valent, quis credat eos non id aſſecutos, quod longe facilius eſt cognitu: vim aliquam eſſe, quae naturae praeſit, poteſtatemque divinam? Et eam quidem doctrinam de immortalitate animorum, qui beati futuri ſint, vix poſſe, praeſertim in barbaris mentibus, ſine confuſa neſcio qua Divinitatis cognitione, longo tempore cuſtodiri, facile aſſentietur lector veritatis quam concertationis, amantior.

Accedit quod, leviter etiam conſideratis naturae miraculis, ſaltem in mentibus, quae recta ratione utantur, ſuſpicio Divinitatis cujuſdam facile ſuboritur. Concedunt id ipſi Spinoſiſtae, atque Athei caeteri, qui tamen docent, eam ſuſpicionem, ipſius rationis, ac philoſophiae ope, a noſtris mentibus expelli oportere. Atqui certum eſt, Cajennae Barbaros numquam fuiſſe conatos, ut nullum in rerum natura Numen dominari arbitrarentur. Quoties enim cum illis Europaei de Deo Optim. Max. locuti ſunt, numquam ſe nolle divinam agnoſcere Naturam reſponderunt, etſi Deum non fere ſub alia forma, quam Senis cujuſdam, qui ſit in Coelis, unde omnia gubernet, ac regat, infinita potentia, bonitate, ac perfectione praeditus, intelligere viſi ſunt.

(*a*) Bruzen La-Martiniere *Dict. Geogr. Art. Caïenne.*

(*b*) *Art. Breſil.*

(*c*) = *Ces Peuples*, inquit, *croyent l'immortalité des ames, par la ſeule lumiere naturelle, & on leur entend dire, qu'ils vont là-haut, après qu'ils ſont morts* =.

ſunt. Hoc tantum dixerunt, quod non paucae ſolent in America gentes aliae dicere: cum Senex ille natura ſit optimus, eumdem precibus, ac votis ſollicitare, nihil neceſſe eſſe, *Diabolum* potius, quem *Ironcan* appellant, obſequiis eſſe placandum (*a*).

Id enimvero ſtultiſſimi, ac peſſimi homines incredibili ſuperſtitione praeſtant: etſi non raro Diabolum eumdem conviciis, imo & enſibus petere videantur. Alias etiam ſervant ſuperſtitiones gentibus aliis, praeſertim non ita longe diſſitis, in ipſa America communes. Ex quo etiam aliqua fortaſſe fieri conjectura poteſt, ut eadem & ipſi a majoribus accepiſſe, atque ideo bonorum omnium originem Deum & ipſi dicantur agnoſcere; quamvis non ſoleant ipſum certis, ac ſtatutis venerari caeremoniis, & ritibus. Id enim ſibi volunt Auctores illi, quorum fidem Bruzenus hac in re ſecutus videtur, cum Religionem, ac divini Numinis cultum apud eos populos vigere negant.

Et hi quidem auctores cum aliis facile conciliari poſſunt, qui Religionis aliquam ſpeciem iiſdem Cajennae Barbaris tribuunt; conciliari, inquam, poſſunt, ſi ſaltem eos aliqua interdum Divinitatis reverentia capi dicantur. Profecto Cl. Condaminius, qui fuit in iis regionibus, cum Barbaros eos plerumque ſine Religione vivere ſcribit (*b*), aliquando apud ipſos aliquem Religioni locum relinqui declarat. Frogerius autem ab illis adorari Sidera diſerte narrat (*c*).

Hujus equidem hominis auctoritati majus quiddam, quam reliquis vulgo viatoribus, tribuendum puto. Nam & multo doctior ille fuit, quam ſoleat illud eſſe hominum genus

(*a*) Significat id Bruzenus ipſe, quem *vide loc. cit.*

(*b*) M. de la Condamine *Rélat. Abreg. &c. p. m.* 211. = *Sont des hommes Sauvages. & le plus ſouvent ſans aucune idée de Religion* =. Ita ille de Cajennae Barbaris.

(*c*) Froger *Rel. de ſon Voiage &c.* 1698. & ex illo Hiſtoria Itinerum. (*Hiſt. Génér. des Voyag Tom. XLI. p. m.* 158.) = *Leur ignorance eſt digne de compaſſion. Ils adorent les Aſtres; mais ils craignent beaucoup un mauvais Génie, au quel ils donnent le nom de Pinye* =.

nus (*a*), & in diſcendis, atque exponendis Barbarorum Cajennae moribus multo majore diligentia verſatus; nec non multa de iiſdem ſeſe cum Jeſuitis apud ipſos vitam tolerantibus contuliſſe ſignificat. Neque vero jure quiſquam iraſci mihi poterit, ſi Jeſuitarum in hac noſtra cauſa teſtimoniis, niſi peculiares quaedam rationes obſtent, maxime fidendum exiſtimem. Etenim ea ſaltem re caeteris praeſtiterunt, quod illa, quae ſpectarent ad Barbarorum mores, ac religionem diligentius inquirerent.

Ad extremum illud ab aequo lectore animadverti velim: Auctores etiam illos, qui nullam Barbaris, de quibus loquimur, eſſe Religionem tradunt, ſcribere: beſtiis multo magis eoſdem eſſe, quam hominibus ſimiles. Itaque ſi Atheos eſſe adverſarii convincerent, quaenam ex ſupra dictis parata reſponſio eſſet, facile vides.

Jam de populis plagas illas obtinentibus, quae regionis Amazonum nomine vocari ſolent, pauca nos, pauca etiam adverſarii proferre poſſunt, cum vix aliud Hiſpani, vel alii etiam homines, ad rem noſtram pertinens narrare potuerint, niſi *idolorum* cultores videri (*b*). Id vero praeſertim de Catuanis, de Jarvis, de Cunchis, ac de Plateris affirmant.

Populos etiam, qui ſunt circa maximi fluminis oras, quod Maragnonem appellant, aliquid de ſuprema quadam Natura, ſive clarius, ſive obſcurius cogitatione conſequi, vel a majoribus acceptum memoria cuſtodire, optimus mihi Sacerdos Etruſcus Societatis Jeſu narravit, qui plures, inter eoſdem Barbaros, aetatis annos conſumpſerat. Ab eodem ego Sacerdote diligentius quaeſivi, quid cauſae fuerit, cur aliqui ejuſdem Ordinis optimi Viri de iis, aliiſque Barbaris plurimis contraria narraverint. Facile autem aſſenſus eſt, illos omnem Divinitatis notitiam Barbaris denegaſſe, quod

(*a*) Vid. Hiſt. Itiner. *l. cit. p. m.* 136.

(*b*) Vide Geographos paſſim, e. g. Neralcum P. A. *Le quattro Parti del Mondo Tom. II.*

quod vel nulla ipſam religione colere viderentur, vel eſſent unius praeſtantiſſimi Numinis, a quo Mundus creatus fuerit, ac leges hominibus impoſitae, cognitionis expertes.

Barbari etiam Peruani, nondum Hiſpanorum imperio ſubditi, ac vitam in ſilvis ferarum more degentes, aliquid & ipſi de Vi, Naturaque divina ſuſpicantur.

Solent ex iis populis plurimi *Moxes* ab Hiſpanis vocari, nomine ſcilicet a quadam gente deſumpto, quae prima inter eos omnes Legis Evangelicae radiis illuſtrata dicitur. Jam vero *Moxes* (de iis loquor, qui Chriſti fidem non ſuſceperunt), quamquam in immani barbarie vitam degunt, & in ſumma utilium rerum ignoratione verſantur; tamen religioſi cultus alicui ſupremae, perfectaeque Naturae praeſtandi non prorſus obliti ſunt (*a*).

Itaque, cum verum Deum, quem colere debeant, ignorent, aliqui Solem inter eos populos, Lunamque cum Stellis adorant, aliqui Flumina, aliqui Tigrem quemdam, ut ajunt, oculis non obnoxium, quem a crudelibus, voracibuſque tigribus liberare ſaepius homines putant, aliqui parva quaedam *Idola* valde ridicula, quae collo ſcilicet, aut brachiis appenſa geſtant, atque circumferunt (*b*). Quamquam enim

(*a*) Vid. *Tom. X. Lettr. édif. Abregé d' une Relat. Eſpagn. imprimée à Lima par ordre de Monſ. Urbain de Matha Eveq. de la Ville de la Paix*. Ibi inter caetera dicitur = *toutes ces nations ſont diſtinguées les unes des autres par les diverſes languet qu' elles parlent: on en compte juſqu' à trente-neuf différentes, qui n' ont pas le moindre rapport entre elles &c.* = Barbaros Peruviae populos eſſe Idolorum cultores narrat Auctor Art. *Pérou in Dict. Encyclop.*

(*b*) De his loqui videtur Cl. Ludovicus Antonius Muratorius in libro, cui titulus: *Il Criſtianeſimo felice &c.* ubi *P. II.* de Mochis dicit, ex epiſtola P. Dominici Mayer = *que' paeſi ſono ſoggetti ad una diabolica, e tetra idolatria* =. Melius id Muratorius, quam quod de Chiquitis narrat, non autem probat *ib. p.* 176. = *Niuna Deità viſibile ò inviſibile era da eſſi riconoſciuta, ò adorata. Solamente temevano il Demonio, cioè uno ſpirito, che nuoce agli uomini &c* =. Charlevoixius quidem (*Hiſt. du Parag. T. IV Liv. XIV. p. m.* 141.) de Chiquitis haec habet = *On n' a trouvé parmi les Chiquites aucune trace bien marquée de Religion* = quibus verbis haud ſcio, an velit innuere, ſaltem ali-

enim tot inter gentes vix una tantum, aut altera inventa eſt, quae ſacrificia quaedam, certa ſcilicet, atque rata, ſoleat adhibere, tamen omnes id maxime curant, ut ſuos illos quoſcumque Deos ſibi, ſuiſque concilient.

Id muneris videlicet delectis hominibus, quos ipſorum Sacerdotes non immerito vocaveris, praecipue committitur: deligunt autem ſibi Sacerdotes, qui cum in ungues alicujus tigris inciderint, incolumes evaſerint: non enim id ſine potentiſſimi Tigris illius, de quo diximus, divino beneficio dicunt poſſe contingere.

Non ii ſunt Moxes, ut ad caeremonias quaſdam colendas alicujus Numinis reverentia ducantur: ſed tantum eas non raro colunt, ut Genios quoſdam placent, rebus ſingulis praeſidentes, qui poſſint, ac ſoleant, cum in homines iraſcuntur, cujuſvis generis aerumnas, atque calamitates immittere. Quamvis autem de poenis, aut praemiis alterius vitae nihil tradere, nihil cogitare ſoleant, tamen animos corporibus ſupereſſe putant. Ex his, aliiſque ſimilibus non poſſe illos Barbaros Atheorum numero adjungi facile vides.

Sed multo minus, quam reliqui Moxes, Athei vocari poſſunt, qui Caniſiani dicuntur. Stanislaus enim Arletus, Vir

aliquid animadverſum fuiſſe, quod ſpeciem quamdam Religionis habere poſſet. Idem (*p.* 143.) dicit de Chiquitis = *Il y en avoit qui rendoient un culte reglé aux Démons, qu' ils s' imaginoient voir, ou entendre, & qui avoient des Prêtres* =. Videndum diligentius fuiſſet, an, quas illi colebant Naturas, homine potentiores, vere malignae indolis, ac improbae voluntatis eſſe, arbitrati ſint. Etenim, ſi ſecus, Deos Chiquitis eaſdem fuiſſe dicerem. Praeterea teſtatur idem, Chiquitas putaviſſe, mortuorum animos abire inter Sidera, quibus etiam cognitionem concedere videbantur. Et haec quidem doctrina ſine levi quadam ſuſpicione Divinitatis vix ſtare poteſt. Ad extremum omnino credibile eſt, eoſdem ad Lunam, aliorum Americanorum more, confuſam Divinitatis cognitionem tranſtuliſſe. Etenim, ut ille ait *p.* 141. =. *Ils appelloient la Lune leur Mere, & quand' elle s' éclipſoit, ils s' imaginoient que c' étoient des Cochons, qui la mordoient .... pour la délivrer de la gueule de ces Animaux, ils ne ceſſoient de tirer de flecbes en l' air &c.* =.

Digitized by Google

Vir Apoſtolicus, diu cum illis, familiariterque verſatus, eos, ut alibi diximus, etſi a religione non minus, quam a ſuperſtitione diſtare ſcribit, notionem tamen ſupremi Numinis non contemnendam ſervaviſſe diſerte tradit (*a*).

Quare Baylius, cum eoſdem Caniſianos, ſimul cum aliis Barbaris Americae, vel potius cum maxima humani generis parte, Atheis adjungit, non aliud agit, quam ut vocis illius vim, poteſtatemque pervertat (*b*). Vult enim Atheos haberi, quos diximus, quia non agnoverint efficientem cauſam, quam *tranſitivam* vocat, vires ſuas, qua ratione bonum ſibi videtur, exercentem, &, quod pertinet ad homines eaſdem vires, pro votis ipſorum, & precibus, atque ſacrificiis, modo liberalius, modo parcius, adhibentem. Poterat Baylius profiteri clarius, ſibi quidem Atheos omnes eſſe, quotquot de Deo non eadem, qua ipſe, ratione cogitarent; neque enim ſe quidquam inter homines de Natura divina pie, recteque ſentientes, & eos, qui funditus ipſam everſam & cupiant, & ſentiant, intervalli relinquere? Sed a Baylii hac opinione, & ſapientibus, & inſipientibus probatus, tum loquendi, tum cogitandi modus nimium abhorret (*b*).

(*a*) *Lettr. édif. Tom. II.*

(*b*) *Rép aux queſt. d' un Provincial P. III. C. XIII pag.* 931. & *C. XV. p.* 938. Hic habet ea verba, quae merito nobis caſtiganda videntur = *Il n' y aura point de contradiction, ſi l' on attache au mot Dieu l' idée d' une cauſe tranſitive, & qui aplique ſes forces, comme bon lui ſemble, & les proportionne, par rapport aux hommes, aux prieres, qu' ils lui adreſſent, & aux ſacrifices, qu' ils lui offrent. C' eſt en ce ſens-là que l' exiſtence de Dieu eſt niée, ou ignorée par les Athées, quoique d' ailleurs ils ne nient pas, ou n' ignorent pas, que le monde n' ait une cauſe &c.* = Vide quae I. libro de Atheiſmi vera notione diſputavimus.

(*b*) Multo melius, quam Baylius Atheos deſcribit Valterius, (*Mr. La Valterie „ Traité de l' uſage de la vie, au I. Tome du Melange curieux imprimé à Amſterdam*, 1706) nempe Baylio probatus auctor, dum eos eſſe innuit, qui aeternam quamvis, hoc eſt, ſi rite interpretor, principio, ac fine carentem Intelligentiam e medio tollunt.

Ille quidem potiori jure, quam Caniſianos, Atheiſmi reos Chiriguanos facere potuiſſet; nimirum gentem, niſi latronum exercitum dicere mavis, ab aliis in Peruvia, ab aliis in Paraquariae finibus collocatam (*a*). Hoc autem tantummodo certum videri poteſt: peſſimum Barbarorum genus non certas in loco aliquo figere ſibi ſedes, at leonum more, vel tigrium, cum quibus non modicam habent ſimilitudinem, hac, illacque vagari, cum ab illorum animis, quorum corpora vorarunt, ſeſe turbari dicant, ne poſſint in iiſdem regionibus tempore longiore conſiſtere. Hanc itaque gentem, quamvis neque a Baylio, neque a Lockio, neque a caeteris meis in hac cauſa adverſariis, Atheiſmi nominatim poſtulatam invenerim, poſtulari tamen facile poſſe video. Etenim, qui ad eos acceſſit, ut ipſos Chriſto lucrifaceret, Ignatius Choméus diſerte ſcribit (*b*), atque rotunde, nullam ab iis agnoſci Divinitatem.

Equidem Chiriguanos ab Atheiſmi labe vix poſſe ratione illa, ſaltem ſi fere ſola ſit, ſatis purgari puto, quam de gentibus quibuſdam aliis agentes neſcio qui Scriptores quandoque tentarunt: ſcilicet gentem atheam non eſſe, quae ſuperſtitioſae Divinationi dedita ſit: deditos autem eſſe Chiriguanos Hiſpani finitimarum regionum magna conſenſione tradunt. Reponi enim poteſt, ***Diabolum*** ab iis agnoſci,

(*a*) E. g. In Peruvia collocat Lamartinierus. ſed in Paraquaria Bodrandus, atque Cornelius. Si vis immanem illorum crudelitatem, ac duritiem cordis nulla humana ope vincendam agnoſcere, conſule P. Charlevoixium *Hiſt. du Paraguay*. Nobis meminiſſe ſufficiat, S. Franciſcum Solanum, alioſque Apoſtolicos viros fruſtra immenſos pro illorum ſalute labores exantlaſſe. Adeo enim ſunt pertinaces, ut flammas aeternas comminantibus reſpondeant, ſe curaturos, ut, ſi aeternis flammis addicantur, eaſdem extinguant.

P. Ignatius Choméus eos ita deſcribit *Lettr. édifiant. Rec. XXIV.* = *Ce ſont des Peuples intraittables, du naturel le plus feroce. & d' une obſtination dans leur infidélité, que les plus fervens Miſſionaires n' ont jamais pu vaincre. On compte plus de vingt mill: ames de cette Nation, répandues dans d' affreuſes montagnes, qui occupent 50. lieues à l' Eſt de Tarija, & plus de cent au Nord* =.

(*b*) Idem ib. =. *Ils ne reconnoiſſent aucune Divinité* =.

ſui, quem etiam ſaepius ad nocendum Hiſpanis, ut hi quidem ſaepe conqueſti ſunt, adhibere conſueverint. At *Diaboli* notio, ſeu ſcelerati cujuſdam, ac maligni Spiritus, notio non eſt perfectiſſimae Naturae, quam Deum vocamus.

Inferre forſitan licet, eos, qui malam agnoſcant naturam, & hominibus noxiam, quamvis ipſorum oculis minime ſubjectam, etiam bonam agnoſcere, quae vitam hominibus, & caetera bona largiatur. At ea conjectura ſimilis eorum militum mihi videtur eſſe, qui ſimul cum aliis impetum ſuorum hoſtium fortaſſe retundant, certe aliquandiu ſuſtineant, ſoli vero, ſibique relicti, relicta non bene parmula, ſtatim aufugiant.

Validius fortaſſe argumentum ab Alphonſi Ovallii auctoritate repeti poſſet. Hic enim accuratus auctor, ac diligens Americanis univerſis aliquam tribuit Divinitatis notitiam (*a*). Ipſe autem in Chilia natus multis functus erat, magniſque muneribus, ut ea, quae pertinerent ad Barbarorum illorum opiniones optime ſcire poſſet. Jam vero Chiriguanos, etſi non appellat nominatim, illa tamen generali ſententia complecti videtur. Non enim ille populus Ovallio ignotus fuiſſe dicendus eſt. Id vel ex eo conjici poteſt, quod fuſe de celeberrimis illis montibus diſſerat, (*b*) quorum partem Chiriguani occupare perhibentur (*c*).

Si haec non probes, Chiriguanos in exiguo populorum numero habeas, quos divinae conſcios alicujus eſſe Naturae, tantummodo per inductionis argumentum, quod a Baylii tricis primo libro vindicavi, oſtendere ſatis apta ratione poſſis. Nam auctoritas Ignatii Chomei, licet hominis apo-

(*a*) *Lib. VII. C. II.* Hiſtoriae Chiliae.

(*b*) Qui dicuntur ab Hiſpanis *La Cordillera*. Vide Ovall. qui fuſe de iis agit a *Cap. V. Lib. I.*

(*c*) Poſſet aliquis Choméo Joannem Boterum opponere, qui *Relat. Univ. P. V. L. I.* tribuit cultum ſtellarum, quae duodecim menſibus anni praeſideant, populis, quos Cianos appellat. Jam hi Ciani videntur in eadem fere plaga ab eo collocari, in qua Chiriguani ab aliis collocantur, neque aliae deeſſent rationes, quibus, Boteri Cianos eſſe Chiriguanos eoſdem, probare poſſemus

ſtolicis diſtenti laboribus, hac quidem in cauſa nutat. Non illum equidem fuiſſe mentitum exiſtimo; ſed nimis cito voluiſſe de re pronunciare, quam non ſatis cognitam, atque perſpectam habere poterat; &, ut ingenue meam ſententiam aperiam, non aliud fere Choméus quam oculorum judicium ipſius epiſtolam legenti mihi ſecutus videri ſolet (cum neque *idola* apud Chiriguanos, neque templa, neque alia religionis indicia conſpiceret) non autem intimos, ut par erat, barbararum, rudiumque mentium illarum ſenſus diligenter, patienterque ſcrutatus.

Ex eadem epiſtola praecipue conſtat, Barbarorum ea familiaritate non uti potuiſſe Choméum (*a*), ſine qua rudium quarumdam ſenſus intimos mentium, atque judicia denſis obvoluta tenebris aſſequi, nemo facile poſſit. Quidquid igitur ille dixerit, homo ſcilicet ad agendum fortiter aptior, quam ad graviter judicandum, Chiriguanos arbitror, ſi, dum a caedibus vacant, coelum aliquando ſuſpiciant, ſi naturae tam varia miracula contemplentur, non minus quam reliquos ſentire Barbaros; Mentem aliquam eſſe tantis praeſidentem operibus, Naturamque Divinam; ſed ne Mentis ejuſdem, atque Naturae amore ullo, vel ſatis magna reverentia tangantur, immanium vitiorum coeno, atque ſordibus impediri.

Eadem de barbaris Chiliae populis cenſeo, quos nihil de religione, nihil de rebus ad ſalutem animi pentinentibus audire ſine riſu velle, atque contemptu, Scriptores etiam optimae notae tradiderunt. Caeterum eoſdem Cauſam Mundi Univerſi mente praeditam agnoſcere, quamvis plurimi non

(*a*) Idem Choméus de Chiriguanis ita loquitur = *Ils goûtoient aſſez mon entretien lorſque je leur parlois de choſes indifférentes, mais auſſitôt que je faiſois tomber le diſcours ſur les vérités de la Religion, ils ceſſoient de m'écouter* =. Caeterum cum inſidiis multis paulo poſt, quam illuc advenerat, peteretur a Barbaris, nec apud eos quidquam proficeret, aliò migravit.

non unica voce, ſed multis ipſam deſignare ſoleant (*a*), Sacerdos Germanus, cum iter Florentia faceret, mihi narravit, qui bene multos annos inter eoſdem Barbaros verſatus fuerat, & linguas ipſorum callere dicebatur. Nicolaus autem Del-tecius, cui teſti plurimum adverſarii fidunt, diſerte fatetur, in Chilia Deum Mundi Creatorem agnoſci, qui *Pillan* ab iis Barbaris appellatur (*b*).

Equidem Joſephi Acoſtae auctoritatem multo pluris facio, qui cum Barbaros Americanos aliqua Divinitatis notitia imbutos eſſe tradit, ſilveſtres Chiliae populos non excipit, quos tamen ipſe tam probe notos habuerat, ut etiam de illorum moribus, ac ſuperſtitione ſcripſerit.

Magni etiam in hiſce rebus ponderis eſſe ſolet Garcilaſſi, Americani Scriptoris, auctoritas (*c*), qui de provin-

cia

(*a*) Haec fuit ex potiſſimis rationibus una, quamobrem ex America plurimae gentes in Atheorum numero reponendae noſtris quibuſdam adverſariis viſae fuerint. At advertere illi potuiſſent, totum id incredibili Sermonum, quibus eae gentes utuntur, inopiae, ut ita dicam, ac paupertati eſſe tribuendum. Legendus hac de re Cl. Condaminius in eo libro, quem ſupra laudavimus. Etenim de linguis omnibus Americanis, ne Peruviana quidem excepta, ille ſcribit (*Rélat. abrég. &c p. 54.*) = *toutes manquent de termes pour exprimer les idées abſtraites, & univerſelles . . . . . . Tems, durée, eſpace, être, ſubſtance, matiére, corps; tous ces mots n' ont point d' équivalent dans leurs langues: non ſeulement le nom des êtres métaphyſiques, mais ceux des êtres moraux ne peuvent ſe rendre chez eux qu' imparfaitement, & par de longues périphraſes. Il n' y a pas de mot propre qui réponde exactement à ceux de vertu, juſtice, liberté, reconnoiſſance, ingratitude* = Jam vero haec omnia, etſi propriis non poterant appellare vocabulis, Americanae gentes, confuſa tamen aliqua ratione noverant; ſi quidem non prorſus amentes, & fatuas, dici adverſarii volunt. Ergo dici non poſſet, eaſdem Divinitatem non agnoviſſe, quamvis nullum illae omnes nomen haberent, quod ſatis apte Divinitatem ſignificaret. Caeterum hoc ipſum non omnino verum ex iis, quae infra dicemus, eſſe conſtabit. Verum tamen eſt, ſaltem plures Americae populos, tam auguſto nomine caruiſſe.

(*b*) *Del Teco Lib. II. C. 26.*

(*c*) Garcilaſſus de la Vega *L. VII. C. XVIII*, ubi narrat, cum *Yuga Yupanqui* Peruviae Rex, Chiliam imperio ſuo ſubigendi cupidus, in provinciam *Copayapu* exercitum duceret, incolas illi obſtitiſſe = *por el deſeo de mantener ſu libertad antigua, y el amor de ſus Dioſes, que no quiſieron novedades* =.

cia quadam ipſius Chiliae agens, Deos eidem non obſcure tribuit. Itaque cum Barbaros Chiliae univerſim vivere ſine Dei notitia docet, de veri Dei notitia loqui putandus eſt. Praeterea Garcilaſſus idem leviter indicat, Solem, & Lunam, etiam a Chilienſibus, qui ducem Hiſpanorum Valdiviam fregerunt, habitos fuiſſe Deos. Etenim eo modo Senem quemdam ex Principibus inter eos Barbaros unum de iis Aſtris loquentem facit, ut ii ſolent plurimi Americani, qui divinis eadem honoribus proſequuntur (*a*).

Multo clariora illa ſunt, quae Alphonſus Ovallius, celeber apud Hiſpanos rerum Americanarum ſcriptor, in ipſa Chiliae hiſtoria memoriae prodit. Etenim diſerte ſcribit, eos Barbaros, de quibus dicimus, etſi neque Deos, Ethnicorum more, venerantur, neque verum Deum ſatis agnoſcunt, non tamen Atheos habendos eſſe. Rationem affert ejus rei, quod confuſam animo gerant Divinitatis notitiam, quae, cum ſoluti e corporibus animi evolent, ſive pios praemiis, ſive ſceleſtos poenis afficiat. Multa quidem accuratus auctor habet, quibus confirmet, quod aſſeruit. Sed illud nobis commemorare ſufficiat: Hiſpanum hominem apud eos Barbaros jam ab annis quadraginta ipſis captivum, in litteris, quas idem Ovallius recitat, ad Joannem Albizium datis multa narrare, quibus noſtra ſententia comprobetur. Etenim auctor eſt, *Genu Pillan* ſupremum a Barbaris iiſdem haberi Numen, cui multi pareant minores Dii, quaſi Duces, atque Miniſtri. Multa item de ſacrificiis habet, quibus ipſum Numen Chilienſes venerentur, & colant, multa de iis, quae mortuorum hominum immortalibus animis trans mare, neſcio quibus beatis in ſedibus, iidem ſervari confidant. Haec, atque alia multa in rem noſtram apud Ovallium leges (*b*).

Geo-

(*a*) Cum enim ſub initium praelii Chilienſes Hiſpanorum impetum vix ferre poſſent, ille percunctatus eſt, ut idem Garcilaſſus narrat *L. VII. C. XXI.* = *Si aquellos Eſpagnoles eran hombres mortales, como ellos, o ſi eran immortales como el Sol y la Luna* =.

(*b*) Alphonſus Ovallius (*Ovalle*) Soc. Jeſu ſcripſit hiſtoriam Chiliae

anno

Geographi quidem narrare ſolent, non aliud niſi *Diabolum*, a Silveſtribus Chilienſibus *Epanoman* appellatum, ipſorum ſuperſtitione coli. Equidem dum, quae Chilienſes bene multi de Spiritu illo tradunt, hoc loco diligentius conſidero, vix induci poſſum, ut arbitrer, Chiliae Barbaros univerſos naturam colere, quam improbam, atque malevolam eſſe fateantur. Itaque, ut aperiam ingenue, quod ſentio, *Diabolum* a Chilienſibus plurimis non alia ratione coli ſuſpicor, quam caeteris ab Ethnicis, aut Paganis, ut vocant, quorum nempe Deos *Daemonia* merito nuncupamus. Etenim quemadmodum univerſi fere Pagani ſuos illos Deos *Daemonia*, ſeu malos eſſe genios fateri nolunt, ſed quam confuſam gerunt, & erroribus maculatam divinae Naturae notionem ad ipſos transferre conſueverunt; ita plurimi Chilienſes, quamvis magnum illum Spiritum eo cultu proſequantur, qui, cum undique ſuperſtitione foediſſima ſcateat, *Diabolo*, non autem Deo Optimo Maximo placere poteſt, tamen ad eumdem, imperfectam, & mancam declinant Divinitatis notionem a majoribus, vel a natura ipſa miniſtratam. Etenim non illi quidem *Epanoman* eum habere mihi videntur, qui crudeliter hominibus noceat, quibuſcumque ut noceat, libido, non ratio ferat; ſed eum, qui ſontes homi-

mi-

anno circiter 1625. Libri VIII. Capiti II. titulum hunc facit = *De lo que ſieuten, e practican los Indios del Chile a cerca della Religiou* = Ait autem inter caetera, quae praetermittimus = *Chuuque los Iudios generalmente no adoran Dioſes .... ni tieuen claro conocimieuto del verdadero Dios, cou todo eſto no ſon Ateiſtas, ſino che tieneu alguu conocimiento aunque imperfetto, e coufuſo di alguna Deidad, que deſpues de eſta vida premia, e caſtiga nela otra, ala qual tieueu por cierto bau de paſſar deſpues dela muerte* = In epiſtola vero Hiſpani Captivi, de quo diximus, haec etiam legebantur = *Todos eſtan en eſtos errores; creen en ſu Geuu Pillan que es ſu Dios, i que eſte tieue muchos quecubus, que ſon ſus Ulmeues, ſus Grandes, y Caciques, a quien mauda, i que las almas delos que muereu bau de durar per ſempre, y que ſe vau de la otra parte del Mare, doude tienen ſus lugares di ricreacion, i guſtos .... Eſta ès la fee; que yò be alcaucado tienen eſtos Indios en mas di 40. anuos que eſtoy entre ellos cautivo* =.

mines poenis afficiat, atque ideo ſacrificiis placari debeat. Sane cum Fortem, atque Potentem habeant, quod vocem ipſam *Epanoman* ſignificare compertum eſt, perfectam eamdem Naturam, atque divinam habere videntur. Norunt enim quicumque Barbarorum ſententias, moreſque norunt, nihil apud eos robore, fortitudine, viribus, ac bellica virtute cenſeri praeſtantius. Quemadmodum igitur nos, cum Deum Optimum Maximum dicimus, iis nominibus eum nuncupare volumus, quae ſummam aliquo modo ſignificent, perfectamque Naturam; ita fortaſſe rudes illi Chilienſium nemorum habitatores ſuum Deum, cum *Epanoman* dicunt, eo nomine vocant, quo nullum gravius, atque ſublimius excogitare potuerint.

At in his quidem, quae de Chilienſium *Epanoman* diſſero, fieri poteſt, ut errem. In eo certe non erro, quod adverſarios affirmem, nihil unquam producere potuiſſe, quod ſilveſtres eoſdem homines, magis mente, quam corpore, caeteris a Barbaris eſſe diverſos efficiat, Divinitatem ſin minus religioſo cultu venerantibus, at certe ipſius naturae monitu, confuſa quadam ratione cognoſcentibus (*a*).

Locus ipſe me admonet, ut aliquid hic de populis addam, nihilo melioribus, quam reliqui ſint Americani, nimirum terras obtinentibus, quae Magellanicae vocari ſolent. Quamquam enim nullus memoriae meae Scriptor occurrit, qui populos eoſdem Atheos haberi voluerit, tamen, quae de ipſis dicemus, non modicam afferent utilitatem. Sunt autem

(*a*) Vide La-Martiniere *Art. Chili* oſtendentem plures inter eos Barbaros vitam alteram credere. Aliqua etiam conſideratione dignae hoc loco ſunt caeremoniae quaedam a Barbaris iiſdem uſurpatae, quae religioſae, primo ſaltem aſpectu, videntur. E. g. an. 1643. quando pacem cum Hiſpanis ſanciverunt, caeremoniis quibuſdam aliis adhibitis, plures mactarunt arietes, & ipſorum ſanguine ramum odorae arboris tinxerunt, quem demum ipſorum Nuntius Hiſpano Duci magna reverentia tradidit. Video tamen hujuſmodi conjecturis parum eſſe fidendum. Chilienſes cum aliis Barbaris defendit, praeter caeteros, Stillingfleet *Orig. Sac. P. II.*

autem ii populi temporibus hiſce noſtris multo melius cogniti, quam paulo ſuperioribus. Etenim de iis Emmanuel Garcias, Sacerdos Societatis Jeſu, valde accuratam anno 1746. dedit epiſtolam, cum primus, quod ego ſciam, ex Europaeis eaſdem regiones, fere ad illos dies inacceſſas, commode perluſtrare potuerit, & familiariter cum Barbaris pluribus, amiceque verſari; & ex ea quidem epiſtola Charlevoixius & diligentia ſcriptor, & fide commendatus pleraque ſumpſit (*a*), quae de Barbaris iiſdem, eorumque moribus, ac religione tradit.

Narrat autem Charlevoixius (*b*), hos populos quidem enormibus vitiis eſſe mancipatos, quin & pudoris, ac verecundiae caeteris hominibus a natura inditae nulla ratione

(*a*) *Le P. Pierre François-Xavier de Charlevoix, de la Comp. de Jeſus, Hiſtoir. du Paraguay To. VI. L. XXI.* Valde notandum eſt, quod habet hic Auctor ib. *p.* 144. = *Il n'eſt pas aiſé de trouver, où placer les Patagons. Ce qui eſt certain, c'eſt qu'on n'a trouvé dans aucune des Nations, dont je viens de parler, ni cette taille giganteſque, ni cette figure monſtrueuſe, ſous leſquelles on repréſente ceux-ci, quelque recherche qu'on ait faite à l'occaſion de l'entrepriſe, dont nous parlerons bientôt; car on n'a trouvé ni homme vivant, ni un ſeul ſquelette, qui donne lieu de croire, que ce Païs ſoit habité par des Géants* = Ante Charlevoixium jam Geographi plures accuratiores, quae de Patagonibus dicerentur, incerta eſſe, vel fabuloſa ſcripſerant.

(*b*) Charl. *l. cit. p.* 146. = *Ils ſont ſujets aux vices les plus groſſiers, & ils n'ont pas la premiere idée de la pudeur ſi naturelle au reſte des hommes. Cependant ils paroiſſent avoir une idée aſſez diſtincte de Dieu, & leurs Langues ont des termes pour exprimer ce qu'ils entendent par cet Etre ſupérieur: mais on ne s'eſt point encore apperçu qu'ils lui rendent aucune ſorte de culte &c.* = Idem *p.* 147. omnes eos populos teſtatur credere, animos hominum potereſſe corporibus; ac caeremonias deſcribit, quibus mortuos humare ſolent. Notatu dignum eſt etiam, quod poſtea narrat = *on porte*, inquit, *le corps au lieu de la ſépulture, & l'on enterre avec tout ce qui étoit à l'uſage du Défunt. On eſt même fort attentif à ne laiſſer rien qui puiſſe en rappeller le ſouvenir. A peine eſt-il hors de ſa Cabane, qu'on la réduit en cendres, & l'on regarderoit comme un très mauvais prognoſtic de rêver à lui en dormant. Ces Barbares ont quantité d'autres préjugés ſuperſtitieux, & croient beaucoup aux Sorcieres; car ce ſont les Femmes ſeules, qui ſe mêlent des ſortiléges, & elles ſe vantent d'avoir de fréquens entretiens avec les Démons* =.

dici poſſe participes: ſed tamen valde diſtincta praeditos eſſe cognitione Dei; quin & linguas ipſorum propriis non carere verbis, quibus idem Supremum Numen deſignent.

At quem agnoſcunt Deum improbi homines nulla viſi ſunt adhuc ratione colere; niſi quod Hiſpanus homo, qui longo tempore captivus apud montanos detentus fuit, eidem Garciae narravit, ſe Barbaros eoſdem audiviſſe, cum nomen Dei magna quadam pietate pronunciare viderentur. Credibile etiam eſt, gentem quae dicitur *Aucaes* cultum praeſtare Soli. Etenim cum feram venantes *Aucaes* ferro, vel ſude tranſverberarunt, verſus eumdem Solem ſanguinem projiciunt, perinde ac ſi non tam laetitiae dare ſigna, quam gratias eidem referre, aut agere velint. Praeterea mulieres inter eoſdem Barbaros prolem recens natam Lunae videntur offerre, ſive quod illi referant acceptam, ſive quod eidem proli fauſta quaevis ab ipſa Luna precentur. Sed levia iſta eſſe multo levioris indicia religionis nemo non videt.

Itaque verum vel hoc exemplo conſtat eſſe, quod ſaepius diximus, non idem eſſe, praeſertim ubi de Barbaris tam efferatis agitur, Divinitatem agnoſcere, ac Religionis alicujus eſſe ſacris addictum. Quamobrem nullum populum prorſus Atheum ex eo cenſere poſſumus, quod nulla ſacra colere, nullam Religionem amplecti voluerit.

Vides ex his, candide lector, quid ſit de iis Barbaris exiſtimandum, qui proximas regiones tenent Terrae Ignis (*a*) nomine cognitas. Quid enim de iis Hollandi Nautae, cum eas oras an. D. 1624. inviſiſſent, retulerunt, quod adverſariis faveat, niſi Religionis nullam apud eos umbram exiſtere? Etenim caetera, quae iidem nautae narrarunt, ſi quidem iis eſt adjungenda fides, illud tantum probant: beſtiis eſſe mortales illos, quam hominibus, multo ſimiliores (*b*).

Et

(*a*) *La Terre de Feu.*

(*b*) Ita enim de illis in Hiſtoria Itinerum (*Hiſt. Génér. des Voyag. p. 70. To. XLI.*) = *Ces miſérables Indiens reſſemblent moins d'ailleurs à des créatures humaines, qu'aux bê-*

Et id quidem de populis Americae univerſis veriſſime dici poteſt, quorum mentes nulla ſubire viſa eſt aliquando Divinitatis opinio. Itaque non abſurda, neque temeraria ſuſpicio eſt, quam ſaepe indicavimus, eos populos, aut pleroſque potius aliquando ex iiſdem populis homines, numquam rationis conſequi uſum, quo uno beſtiis humana praeſtare natura videatur.

CAPUT V.

De Paraquarienſibus.

QUod primo hujus operis noſtri libro aperte profeſſi ſumus; nullam eſſe gentem, cujus quidem homines eruditi commode explorare potuerint, & librare ſententias, quam aliqua fuiſſe opinione Divinitatis imbutam, non facile probare poſſimus; id enimvero in agreſtibus etiam, atque ſilveſtribus Paraquariae populis conſtat, a Scriptoribus aliquibus Atheiſmi per ſummam injuriam inſimulatis. Et nonnemo quidem eam accuſationem factitans magna confidentia produxit Nicolai Del-tecii teſtimonium. Hic enim in litteris, quas ex Paraquaria dediſſe dicitur, ea ſcripſit, quae totidem ipſius verbis afferimus = *Reperi eam gentem nullum nomen habere, quod Deum, & hominis animam ſignificet, nulla ſacra habet, nulla idola* =, & ea quidem verba de Paraquarienſibus tantum, qui *Caaïgues* (a) dicuntur, prolata videri

 de-

bêtes farouches. Les Hollandois ne purent douter qu'ils ne déchirent les hommes, & qu'ils n'en dévorent la chair crûe, & ſanglante. Ils n'ont pas la moindre étincelle de Religion, ni de Police. S'il leur prend quelque beſoin naturel, lorſqu'ils ſont enſemble, ils ſe ſatiſfont ſur le champ, avec autant de ſaleté, que d'impudence &c. =.

(a) Ea natio dicitur a P. Carlevoixio (*Hiſt. du Parag. To. II. L. VIII. p.* 286.) = *Nation aſſez peu nombreuſe, & fort ſauvage* = & infra *p.* 288. = *on ſeroit preſque tenté de les régarder plutôt comme des Animaux carnaciers, que comme des Hommes* = Vide caetera apud ipſum; qui tamen haec poſtremo loco poſita de parte tantum ejus gentis narrat.

debent (*a*): at a Paraquarienſium quibuſdam accuſatoribus, ad illos fere univerſos extenduntur.

Ea Nicolai legens inter alios Joannes Lockius ne leviter quidem dubitavit, quin confecta res eſſet, atque integra natio inventa, quae contra innatas ideas, quas ipſe recuſabat agnoſcere, teſtimonium dicere videretur (*b*). Equidem, cum iſta, & ſimilia non pauca legerem in Lockii libro, tacitus conſiderabam, quam vere de ingeniis etiam hominum illud uſurpetur:

„ *Non omnis fert omnia tellus ;*

aut illud Propertii,

„ *Omnia non rerum pariter ſunt omnibus apta ;*
„ *Naturae ſequitur ſemina quiſque ſuae .*

Ecce enim hic Metaphyſicus non raro audax, parum quandoque pius, at certe natura perſpicax, & acutus, ubi controverſias attigit Artis Criticae proprias, nihil omnino vidit. Itaque ipſi, quoniam audito Nicolai teſtimonio magnos animos efferre videtur, vetus illud proverbium in memoriam revocamus „ *Ne ſutor ultra crepidam* „ aut nobilius illud „ *quam quiſque novit artem, in hac ſe exerceat* „.

Sane, quamvis omnia veriſſima eſſent, quae Scriptor ille non ſatis exploratae fidei productus a Lockio tradidit, non inde tamen, omni Paraquarienſes eoſdem Divinitatis cognitione vacare, quiſquam oſtenderet. Quod enim ſacra non haberent, aut *idola*, vel templa, non ad ignoratio-

(*a*) Etenim, ut notat Stillingfl. *Or. Sac. P. II. C.* 1. idem Nicolaus *L. II. C.* 18. dicit Diaguitas adorare Solem, & animos immortales putare. Et *L. V. C.* 23. eumdem Solis cultum Calchaquienſibus, ſive incolis ejus regionis, quae *Val de Calchaqui* dicitur, tribuit, ut alia omittamus, quae apud ipſum, aut apud Stillingflitum videre potes.

(*b*) *Eſſai Philoſ. conc. l' Entendement humain L. I. c.* 3. *p. m.* 71.

tionem primae cauſae, quae mundum admirabili conſilio, ſapientiaque conſtruxerit, verum ad vitae totius improbitatem, ac morum corruptionem pertinere videretur. Quod vero nomen divinae ſignificandae Naturae nullum apparent, ne leviter quidem probaret, quod Lockius cupit. Nam, ſi eidem Nicolao ſit fides, ne nomen quidem habent, quo ſignificent, ut ille ait, animam hominis. Barbaros tamen illos & anima corpus humanum inſtructum agnoſcere, & eamdem pereunte corpore ſuperſtitem opinari, ſatis ex hiſtoria hujus gentis conſtat, quam Petrus Charlevoixius adornavit, & ex aliis, quae hoc eodem in capite dicturi ſumus.

Praeterea norunt homines in hiſtoria Novi Orbis illius legenda mediocriter exercitati, nomine, quod Naturam divinam indicaret, gentes caruiſſe non paucas, in quibus caetera quaevis crimina, non tamen proprie dictam ἀϑεότητα reprehendas. Aſſerit id, praeter caeteros, Joſephus Acoſta (*a*), quo graviorem, hac quidem in cauſa, teſtem fruſtra requiras.

Caeterum unicus ille teſtis tantopere Lockio probatus in hoc ipſo, quod eos Paraquarienſes de quibus loquitur nullum Dei nomen habere dixit, non ita facile admitti debet. Etenim Antonius Ruiſius, qui de Paraquaria, finitimiſque regionibus ſcripſit, & Paraquarienſes aliquo modo

co-

(*a*) Joſephus Acoſta in libro, cui titulus *Hiſtoria Natural, y Moral de las Indias, L. V. C.* 3. probandum aſſumit = *que en los Indios* (de Americanis loquitur) *ay algun conocimiento de Dios* = addit tamen = *no hallan mucha dificultad* (Apoſtolici Viri, qui Miſſionarii dicuntur) *en parſuadeirles, que ay un ſupremo Dios y Sẽnor de todo, y que eſte es el Dios de los Chriſtianos, y el verdadero Dios. Aunque es coſa, que mucho me ha maravillado, que con tener eſta noticia, que digo, non tenieſſen vocablo proprio para nombrar a Dios. Porque ſi queremos en lengua de Indios hallar vocablo, que reſponda a eſte, Dios, como en Latin reſponde Deus, y en Griego Theos, y en Hebreo El; y en Arabigo Ala, no ſe halla en lengua del Cuzco, ni en lengua de Mexico, por donde los que predican, o eſcriven para Indios, uſan el miſmo nueſtro Eſpanol, Dios, acomodandoſe en la pronnuciacion, y declaracion a la proprietad de las lenguas Indicas, que ſon muy diverſas* =.

cognoviſſe Deum (*a*), & eumdem *Toupan*, aut *Toupà* vocaviſſe tradit, & nominis ipſius eam rationem affert, quae praeſtantem illam, perfectamque Naturam ſumma dignam admiratione barbaris illis mentibus fuiſſe viſam oſtendit.

Quid plura? In prima Synodo Paraquarienſi, vel Sacerdotum Conventum dicere mavis, hoc idem nomen, quod aliquando paulo diverſa ratione pronunciatum (*b*) invenias, adhibitum legi ad Optimum Maximum Deum, Creatorem Coeli, ac Terrae, barbarico illo ſermone ſatis apte ſignificandum.

Certe Toupanum eumdem, aut Fupanum, Guarani, hoc eſt princeps inter omnes Paraquarienſes populos natio, fuiſſe credebant, ſi Barco Centenerae, ac Petro Lozano fides (*c*), qui, cum alia multa, eademque maxima ſuos in majores beneficia contulerat, tum eoſdem a Diluvii terras univerſas inundantis fluctibus liberavit; nec ita levibus indiciis eumdem Fupanum fuiſſe rerum hujus univerſitatis auctorem ab ipſis Guaranis creditum, deprehenſum eſt. Quare non video, cur Nicolaus idem Del-tecius ſcripſerit, Guaranos dicere non poſſe, quem ipſi Deum adorent (*d*).

Praeterea non alii deeſſent auctores, quos poſſemus, ſi quidem vellemus, Paraquarienſium opponere accuſatoribus. Nam & Eduardus Stillingflitus, ſapiens auctor, quando cum Calvino non deſipit, Paraquarienſes cum aliis Barbaris defendendos accurata oratione ſuſcepit (*e*); & Ludovicus An-

(*a*) In eo libello, ſeu *Relatione*, ut vocant, §. *X.* = *Conocieron que avia Dios, y aun en cierto modo ſu unitad, y ſe colige del nombre, que le dieron, que es Tùpâ. La primera palabra Tu, es admiracion; la ſegunda Pa? es interrogacion, y aſſi correſponde al vocablo Hebreo manhû, quid eſt hoc, en ſingulier* =. Notandum hic, quod Ruiſius (*Ruis*) eum Acoſta non pugnat. Hic enim loquitur de Barbaris Mexicanis, Peruanis, & aliis magis efferatis, qui regiones non longe diſſitas, & aetate illa magis cognitas Hiſpanis occupabant.

(*b*) Aliqui enim habent *Toupan*, aliqui *Tupan*, aliqui *Fupà &c.*

(*c*) Barc. in *Argentina*, Loçan. *in H. MSS.* quam Charlevoixius aliquando citat.

(*d*) *L. V. c. 7.*

(*e*) *Orig. Sac. P. II.*

Antonius Muratorius, inter homines litteris deditos illuſtre nomen, ac fere numquam ſine laude proferendum, de Manacichis agit (*a*) ad Borealem Paraquariae partem ſpectantibus, qui ſuos quoſdam Deos magna ſuperſtitione colant, multa etiam de Sacerdotibus referens, aut potius circulatoribus infelicem eam gentem incredibili aſtu decipientibus; & Scriptor Italus valde diligens, qui ſub Neralci Paſtoris Arcadis nomine latere voluit, Frontonum in Paraquaria meminit, populi bello potentis, ac numquam Hiſpano Imperio ſubjecti, qui ſervet adhuc quamdam reipublicae formam, nec non Ethnico ritu *Idola* veneretur (*b*); & Charlevoixius ipſe, qui non valde ſollicitus fuiſſe videtur de inquirenda, vel explicanda cognitione Divinitatis, quae ſuos apud Barbaros habeat locum, licet innumeris ex aliis capitibus ejuſdem libri maximo in pretio haberi debeant, ac ſoleant; Charlevoixius, inquam, nonnulla ſubinde narrat, quae non parum ad rem noſtram facere poſſint; ut, exempli cauſa, cum Guaycuros Paraquariae gentem, quae alias etiam ſub eodem nomine complexa contineat, Lunam teſtatur (*c*), ac ſtellas, Urſae majoris nomine deſignatas, habere Deos, quamvis Deo tribui ſolitis honoribus proſequi minime curent (*d*).

Sed univerſae Paraquariae gentes melius, niſi fallor, defendi non poſſunt, quam Hiſpani cujuſdam Sacerdotis, pietate, doctrinaque praeſtantis, qui bonam vitae partem inter eos Barbaros, Evangelii promulgandi cauſa, duxit, graviſſimo teſtimonio. Hunc ego nominatim, nec ſine debitis

(*a*) Vid. *Il Chriſtianeſimo Felice del Paraguay C. V.* quod eſt = *della Religione de' barbari Indiani* = Ibi caeteris earum regionum hominibus debilem quamdam Divinitatis non inficiatur ineſſe notitiam.

(*b*) *Neralco P. A. Le quattro Parti del Mondo Tomo II.* Ii populi *Los Frontones* dicuntur ab Hiſpanis.

(*c*) Nicolaus del Teco *L. IV. c.* 16. dicit a Guaycuris adorari Lunam.

(*d*) *Hiſt. du Parag. L. II.* Ibi etiam celebritatem deſcribit, quam ii Barbari, cum Plejades redeunt, magna laetitia peragunt, quam aliquis, initio ſaltem, fuiſſe religioſam ſuſpicari poſſet.

Digitized by Google

bitis aliis laudibus, appellarem, niſi, ne id facerem, ſingularis ejus modeſtia, cui morem gerere debeo, interceſſiſſet. Itaque ille rogatus a me per epiſtolam, ut quid de ſuis Barbaris, hac in mea cum Lokio controverſia non levi, ſentiret, aperire vellet, humaniſſime reſpondit, tum Hiſpanos, qui ante alios omnes Paraquariam tenuere, tum Sacerdotes in eas terrarum plagas, ut *Evangelium annunciarent omni Creaturae* profectos, agnoviſſe, *ſignatum ſuper nos lumen vultus Domini* tenebricoſas etiam Paraquarienſium mentes, ac tetra caligine vitiorum occupatos animos permeare potuiſſe.

Id exemplo Guaranorum praecipue probat, quos prae caeteris Paraquariae populis multitudine, & opibus floruiſſe jam indicavimus. Etenim, quod jam nos diximus, ille confirmat, & Deum Mundi univerſi conditorem a Guaranis exiſtimatum, & generalis Diluvii traditionem (*a*) a majoribus acceptam apud eos extitiſſe, quae cognitu digna profecto videatur. Etenim illi, cum nondum noſtros homines audiviſſent, narrare ſolebant, Fupanum in homines vehementer iratum, quod non debitam ipſi pro collatis beneficiis gratiam rependerent, univerſum illorum genus, Guaranis & piis, & fidelibus exceptis, perdere decreviſſe: itaque illos, qui Guaranos inter eoſdem excellerent, fuiſſe monitos, ut ipſi cum ſuis in proceras aſcenderent arbores, ea, quae per multos dies ad victum ſuppeterent, ſecum afferentes: Tum faciem univerſae terrae diluvii aquis repente occupatam, & homines nihil tale cogitantes ubique fuiſſe deletos; ac deinde Guaranos ex arboribus deſcendentes propagaſſe ſobo-

(*a*) Vocem hanc *Traditionem* etiam in hoc opere, quod non videtur ejuſdem eſſe generis, ac libri Controverſiarum in Haereticos, uſurpare ſolemus, quod uſu ipſo Scriptorum optimae notae tamquam vox recepta ſit Artis Criticae, ac Teologiae propria ad aliquid ſignificandum, quod ſi alia ratione dicere velis, non ita brevi uti debeas verborum circuitu. Sane ſi Cicero aetate noſtra ſcriberet neque vocem iſtam, neque ſimiles alias, Graeculorum quorundam more, quibus nihil ineptius fingi poteſt, rejicere auderet.

Digitized by Google

bolem, ex qua nationes univerſae per terrarum orbem longe, lateque diffuſae provenerint.

Caetera jam perſequamur, quae Sacerdos idem optimus in iiſdem litteris ad me datis ſumma fide, ac diligentia retulit. Nimirum Paraquarienſes, ut caeteri fere omnes Americani ſilvarum habitatores, Templa, ſeu Delubra conſtruere non ſolent. Nihilominus in regione, quae Vallis Calchaquienſis (a) dicitur, pone ripas ejus fluminis, quod *Salado* vocant Hiſpani, & Guaranos inter, & in ea praeſertim provincia, quae dicitur Guayra, mapalia quaedam, potius quam Delubra, inventa ſunt, quae Religionis alicujus officiis deſtinata viderentur.

Nec ſane mirum. Etenim levi quadam ex parte notionem ii Barbari ſervare videntur divinae Clementiae, atque Juſtitiae, pro ſingulorum hominum meritis, praemia in altera vita largientis, aut poenas infligentis. Putant autem in aſtra converti eorum animos, quos

„ *ardens evexit ad aethera virtus*:

contra vero, quos vitia corruperunt, atque foedarunt, in imum ſub tellure detrudi carcerem; atque torqueri „ *Per ſpeluncas*, opinor,

Saxis ſtructas aſperis, pendentibus,
Maximis, ubi rigida conſtat & craſſa caligo inferum „

Non enim de aeternis ignibus, aut malis Geniis malorum hominum aeternis tortoribus quidquam narrare ſolent.

Quid quod animos illos felices, priuſquam in aſtra cedant, purgari oportere ſentiunt a ſordibus, quas in hac vita contraxerunt? Itaque gentes aliquae per annos quinque, aliquae per ſex, aliquae per decem, aut plures, aut pau-

(a) *Val de Calchaqui*.

pauciores, corpori ſuperſtites animos in tellure, aut in mortuorum neſcio qua regione vagari comminiſcuntur. Et eam quidem regionem magno concuti motu Guaycuri, maxime ferox, & bellicoſa gens Paraquariae, jactabant, cum aliquis ex ſua gente ſpiritus ad ipſam accederet.

Ex hac opinione Paraquarienſium, quam dicimus, illa cura ortum traxit, quam circa mortuos adhibent. Nam ad ſuorum tumulos ollas cibis plenas apponere ſolent, more apud alios etiam Barbaros uſitato, ſimulque belli, ac venationis inſtrumenta, praecipue arcum, atque ſagittas, quibus cum ſe ab hoſtium incurſu tueri poſſint, tum ea, quae deficientibus ollis ſuppeditent ad victum, acquirant, & parent. Aliqui crudelem praeterea ſuperſtitionem ſequebantur, apud alios etiam Americae populos conſuetudine receptam (*a*), in exequiis Ducum ſuorum, aut illuſtrium aliorum hominum famulos, aut mancipia mactandi, quae poſſent illis in altera vita debitae praeſtare ſervitutis obſequia.

Neque vero ſunt minus ridiculae illae rationes, quibus animos tandem omni labe purgatos in coelum aſcendere fabulantur. Referam hic breviter, quod Mocovi, qui dicuntur, narrare ſolent, ut ex eo de reliquis liceat conjecturam capere. Ajunt enim ingentem eſſe arborem, in regione mortuorum tantummodo animis cognita, quae radicibus humi defixis ad coelos uſque ſuperba conſurgat: animis autem expiatis concedi, ut per arborem eam, formicarum, opinor, more, ſcandant, donec illuc perveniant, ubi convertantur in aſtra, vividiore, ſeu languidiore, pro meritorum varietate, ſplendore fulgentia.

At quid eae barbarae gentes in rebus habent praeclare geſtis, quae tam illuſtria praemia mereantur, quid in vitio po-

(*a*) Vide Lafitau *Moeurs des Sauvages*, ubi de Americae Septentrionalis gentibus praecipue loquitur. Quid Scythae olim, quid Tartari etiam recentiores, & Indi uſurpare ſoleant, vulgo notum eſt.

ponunt, pro quo corporibus exuti certiſſimas animi poenas luant? Hic enimvero tam turpiter errant, ut jam vix ullum in tenebricoſis earum ingeniis naturae lumen appareat. Non enim aliud virtutis nomine cenſere plerumque ſolent, niſi virtutis ſpeciem eam, quae bellicus furor potius, quam magnanimitas dici mereatur; ſimileſque dotes alias, ne vitia dicam, quibus & leones, & tigres, & alia bruta animantia hominibus antecellunt. Contra vero vitium animi vix aliud ab illis exiſtimatur, quam timor, quo potentibus hoſtibus dare terga malis, quam faciem, aut pectus oſtentare jaculis confodiendum.

At his omiſſis ea certe, quae jamdudum retulimus, alia Paraquarienſium placita, non eſſe illos Atheorum in ſocietatem adſcribendos, tam evidenter efficiunt, ut ſi pluribus id oſtendere velim, non aliud velle profecto videar, quam in eo agendo, quod jam actum eſt, contra veteris proverbii auctoritatem, tempus, operamque conſumere.

C A P U T VI.

De Braſilienſibus.

QUI ſententias animorum ex perverſitate tantummodo vitae totius aeſtimare velit, ſtatim Lerio, Spanhemio, Richerio, Lockio, aliiſque aſſentiatur, Braſilienſes inter Atheos deterrimos, quin & Atheorum opprobria vel maxima eſſe numerandos (*a*). Plurimi tamen ſunt, quibus etiam hic Juſti Lipſii (*b*) verba probantur = *Veriſſime alia alibi religio eſt, ubique aliqua: nec in veteri, & noſtro ſolum orbe hoc apparuit, ſed in rudi illo novo, ubi inter barbaros, feros, homicidas, homiedones, quis angulum adhuc reppe-*

(*a*) Haec, aliaque ſimilia, de Barbaris dicta ſemper intelligas neque Chriſtianum ullum Dominum, neque Chriſtum ipſum agnoſcere volentibus.

(*b*) *Ep. 26. Cent. 2. ad Belgaſ.*

rit, quem religio, & numen non vindicaret »: Sed mihi, ut ex dictis primo libro patet, non poſſunt ea omnia verba probari, niſi forte nomen religionis latius, quam fieri ſolet, ac plerumque debet, accipiatur; ut illo non certi quidam deſignentur, ſtatique ritus, & propria hominis in Deum officia; ſed admiratio ſaltem illa, nec non reverentia excellentis, ac perfectae Naturae, quae vix non exiſtere poſſit in hominibus eamdem vel imperfecta ratione cognoſcentibus.

Neque vero unus Iuſtus Lipſius aliqua Braſilienſes cognitione Divinitatis imbutos putavit. Illos enim ex Atheorum indice, vel *σύλλαβω* expungunt jam optimae notae plerique Scriptores, ut Joannes Ludovicus Fabricius, Eduardus Stillingflitus, Maturinus Croſaeus, Rodulphus Tertraeus, Bruzenus La-martinierus, Jo. Hookius, Antoninus Valſechius (*a*).

Rationes autem, quibus Braſilienſes defendi poſſunt, & validae ſatis, & perſpicuae mihi videntur eſſe; quamvis eas tantum perpendere velimus, quae ad univerſam nationem pertinere poſſunt; neque Voſſium imitemur, qui Tapuyos tantum in Braſiliae angulo commorantes defendit (*b*), Criſtofori Arciſſewski auctoritate.

Nam primo quidem in tanta barbarie Sacerdotes quoſdam ſibi deligunt, ac ſummis colunt honoribus, per quos & ritus neſcio quos exerceant, & ſacra faciant (*c*). Viderunt id etiam ex adverſariis nonnulli, qui ſpeciem quamdam Religionis, non autem cognitionem aliquam Numinis iiſ-

(*a*) Fabr. *in Apol. Gen. Hum. &c.* Stilling. *Origin. Sac.* La-Croz. *Entretiens &c.* Du Tertre *Entret. ſur la Rel. Tom. I. Entr. I.* La-Mart. *in Dictionn. Art. Breſil*, Hook. *Rel. N. To. I. p.* 14. Val. *L. I. C. IX. p.* 204.

(*b*) Voſſ. *Addend. ad lib. I. Idol. p.* 2.

(*c*) Vid. Laët. *de St. gen. Amer. p.* 183. Margrav. *de Braſ. Reg. C. IX.* qui teſtatur eo loco, Braſilienſes Deum colere *Tupa*, & *Tupana* nuncupatum, ex quo teſtimonio, aliiſque pluribus patet error Friderici Spanhemii *Exercit. de gratia univ. To. I. p.* 569. ubi Braſilienſes nomen ullum non habere, quo Deum exprimant, Joannis Laëtii auctoritate probat. La-Martin. *l. c.* Ex his patet non tam ad Braſilienſes, quam ad gentes alias nos reſpexiſſe, cum Lipſii verba de religione omnium gentium latius interpretati ſumus.

iiſdem Barbaris tribuentes non ſibi ſatis ipſi conſtiterunt. Itaque Tertraeus alicujus inconſtantiae non injuria quemdam Scriptorem arguit (*a*), qui Braſilienſes prorſus Atheos habens, quoſdam tamen inter eos narrat eſſe circulatores, qui ſeſe potentium *Spirituum* familiares eſſe jactent, ac poſſe, quibus velint, eoſdem amicos, aut iratos facere.

Jam quod pro modulo ſuo barbarae illae mentes Genios illos bonae, perfectaeque naturae eſſe opinentur, hac etiam ratione mihi videor poſſe concludere. Nam putant Genios eoſdem bellicam virtutem, & robur, atque conſtantiam in eos immittere, quos amant, & beneficiis ornare cupiunt. Itaque longas quaſdam caeremonias ii, quos diximus, Sacerdotes maxima ſuperſtitione peragunt (*b*), ut ſuper illorum capita, quibus maxime favere volunt, Spiritum quemdam attrahant, ac virtutem ſuis clientibus, quam diximus, impetrent. Igitur maximi boni, quod ipſi quidem noverint, ac maximae ſanctitatis Genios eoſdem auctores faciunt: quare confuſa quadam ratione multo magis, quam hominem quemlibet, *Spiritus* illos & bonos, & ſanctos, & ſumma gaudentes perfectione naturae exiſtiment neceſſe eſt.

Nihil autem facilius probatur, quam, quod potius mihi ſumere, quam conficere, moroſus aliquis adverſarius cauſari jam poſſet: ideſt maximi boni, quod Braſilienſes noverint, *Spiritus*, quos dicimus, ab iiſdem auctores credi. Teſtatur enim idem, qui caetera, Bruzenus, in ea Braſilienſes eſſe dementia, ut nihil putent bellica virtute, ſeu potius, ut jam de Paraquarienſibus dicebamus, barbaro illo, quo agitantur, furore laudabilius, atque praeſtantius; nihil contra formidine deterius, atque corruptius. Itaque fortes in

(*a*) *Loc. cit.* His autem, quae afferimus etiam Morerii ſententia refutatur, qui tantum ex parte Braſilienſium accuſatoribus favere videtur (*Art. Breſil.*) Ait enim plures inter eos Barbaros Deum eſſe neſciviſſe, antequam didiciſſent ab Europaeis: nec tamen idoneam ſui pronunciati rationem ullam producit.

(*b*) Deſcribit eas La-Martiniere, ac per ſex, aut ſeptem aliquando ſpatium horarum durare ait.

in praeliis, cum e corporis cuſtodia egreſſi animi fuerint, in beatas abire ſedes, ut aeterna cum ſuis pace fruantur; contra vero meticuloſos, qui ſuorum hoſtium impetus ferre non audeant, Agniano tradi maximis cruciandos, aeterniſque ſuppliciis. Eſt autem illis Agnianus, aut *Agnian*, ut ipſi dicunt, idem, ac nobis Diabolus, quem horrent, ac metuunt, & a quo vivos etiam ſe verberibus plecti, atque contundi, non raro conqueruntur.

Et fuere quidem, qui tantum hunc Agnianum, hoc eſt maleficam, improbamque naturam coli Braſilienſi Religione arbitrarentur; quos inter Sampſon Abbevillaeus, inter Geographos ſatis illuſtre nomen (*a*). Ego tamen equidem *Spiritus* etiam illos bonorum, hoc eſt bellicoſorum hominum amicos, & hominibus virtutem impertientes apud eos coli, Bruzeno credo. Nam ille non modo ad cognoſcendos ex optimis Auctoribus Braſilienſium mores eam diligentiam attulit, qua Geographos fere omnes reliquos anteceſſit, ſed & ipſe in Braſilia fuit, & amice, ac familiariter cum Barbaris pluribus verſari voluit.

Jam Geniis iiſdem de Braſilienſium ſententia dominari quemdam *Tupa*, vel *Tupana* dictum (*b*), & a piis ipſe, doctiſque Luſitanis hominibus accepi, & extra controverſiam ponere videtur Hookius (*c*), ubi *Tupana* primum, & ſummum affirmat a Barbaris iiſdem haberi Deum. Hunc porro tonantem coelo maxime regnare credunt, quin & ipſa tonitrua voces eſſe putant ejuſdem Numinis irati hominibus, atque minitantis: quare iis auditis illico in mapalia, vel in cavernas, aut inter denſiora nemora ſeſe abdere ſolent, & incredibili quodam timore correpti preces Tupano fundere videntur, ut a fulminibus ejaculandis abſtineat.

Putat etiam ipſe Bruzenus a Barbaris iiſdem & Solem, & Lunam tamquam Deos aliquo modo coli, cum ad eos pla-

(*a*) Samſon d' Abbeville *Introd. à la Geog. P. II. C. II. §. IV.*

(*b*) Recole quae de ſummo diximus Paraquarienſium Deo.

(*c*) *Loc. cit.*

planetas identidem manus tollunt, & vocem *Teh Teh*, quae motum apud eos exprimit mirantis animi, ſaepius ingeminant.

Iidem Barbari narrationis a majoribus auditae de maximo illo diluvio rudera quaedam, ſi ita loqui fas eſt, atque reliquias adhuc ſervare videntur. Etenim illi *Mair* quemdam quo ſolent nomine externos plerumque homines deſignare, magna potentia praeditum narrant, cum majores ipſorum odio haberet, maximam aquarum vim immiſiſſe, qua cunctos perdiderit, duobus tantum ſervatis, ut novum conderet hominum genus, a quibus ipſi originem traxerint.

Haec, aliaque ſimilia Divinitatis notitiae cujuſdam efferatas Braſilienſium mentes non eſſe prorſus expertes, niſi fallor, ſatis oſtendunt.

CAPUT VII.

De quibuſdam Africae populis, qui non aliis fere, quam poſtremis aetatibus innotuerunt.

Ex Braſiliae litoribus in Africam vela ſolvimus, ut ampliſſimam eam regionem eodem, quo Julius Caeſar, omine, at non eodem cum incommodo teneamus (*a*).

Nam Canarias Inſulas luſtrare ne noſtri quidem adverſarii jam curant, quamvis eos populos nullam fateri Divinitatem Columbus olim non levi confidentia ſcripſerit. Nunc enim, ut Joannis Hookii (*b*) verbis utar, eos = *unum Deum agnoviſſe virtutis remuneratorem, & ſcelerum vindicem, conſtat ex hiſtoria ſubactionis iſtarum Inſularum* =.

Sed & inter Africae gentes inhumanas magis, & efferatas, quam complecti cogitatione facile quiſquam poſſit, fru-

(*a*) Notum eſt eruditis, cur Caeſar in Africam appulſus, & littus exoſculatus fuerit, & magna voce exclamaverit „ *Teneo te Africa* „.

(*b*) Hook. *Tom. I. &c. p.* 14.

fruſtra iidem adverſarii praeſidium aliquod Atheiſmo requirent. Neque vero hic meminerimus, non exiguam Africae partem Chriſtiana Religione, quibuſdam in locis pura, & nativa, ſed in aliis pluribus, aut Dioſcori fraudibus, aut aliorum impiorum, corrupta teneri. Alias enim regiones & ampliores, & plures Mahummedis ſtultitia, vel Pagana, quae dici ſolet, ſibi ſuperſtitio vindicat.

Ea quandoque tam foeda eſt, atque tam horrida, ut lumen illud divini vultus, de quo Regius Profeta, fere omne in infelicibus illis mentibus videatur extinguere. Sed tamen & eaedem mentes, quod Dei, vel Deorum nomine colunt, eſſe aliquid humana ipſa natura majus, aut melius ea ratione ſentiunt, qua poſſit aliquid ſumma ſentire barbaries cum incredibili maximarum rerum ignoratione conjuncta.

Non igitur Atheos puto illos, de quibus Boſmanus loquitur a Baylio productus, quamvis Deum, cum praeclara velint de ipſo tradere, omnium rerum, quaſi moleſto, ac feraci curarum ſpolient imperio, neque alios, quorum idem Boſmanus abſurda quaedam alia refert, atque impia dicta (*a*).

Et

(*a*) Propter eamdem rationem neque Atheos puto populos, qui *Gallans* dicuntur, Abyſſiniae finitimos, qui Coelum ipſum putant eſſe Deum, ut teſtatur Ludolphus *Hiſt. d' Eth. Lib. I.* quin & ſtultos, & impios, non tamen prorſus Atheos exiſtimo eſſe dicendos incolas Regni, quod *Ardra* dicitur, ſub Ludovico XIV. ſatis in Gallia cogniti; quamvis de iiſdem ea, quae ſubjicimus, Delbejus retulerit (*M. D' Elbée*. Vid. *Hiſtoir. Génér. des Voyag. To. XV. Livr. X. p.* 154. 155.) = *L' idée même d' un Etre ſuperieur n' a rien de fixe, & de reglé dans l' Eſprit des Habitans. Ils n' ont ni Temples, ni aucune forme de culte. Ils n' offrent point de prieres, ni de ſacrifices. Toutes leurs vûes ſe bornent à la vie préſente ſans aucun ſoupçon d' un état futur* = Attamen ipſe Delbejus aliquam apud eos Religionis agnovit ſpeciem, quam eſſe definivit = *un amas confus des ſuperſtitions &c.* =. Fuſe autem agit de Pontifice (*le Grand-Prêtre*) cujus eſt, ſingulis familiis *Idola* aſſignare, quae debeant ab iiſdem coli: ſed cultum hunc non aliud eſſe dicit, niſi reverentiam quamdam ſine precibus, ac ſine ſacrificiis exhibitam. Idem haec narrat = *Les Fétiches* (ideſt *Idola*) *du Roi, & de l' Etat ſont de gros oiſeaux noirs, qui raſſemblent aux corbeaux de l' Europe. On les nour-*

rit

Digitized by Google

Et hic quidem ex eo capite fortaſſe caſtigari debet, & corripi, quod nimis diſtincta de populorum quorumdam opinionibus ſcribere voluerit, inter quos non longo tempore moratus per interpretes tantum accipere, ac reddere ipſe reſponſa cogebatur. Quot igitur, quantiſque patuerit, ut ita dicam, & obnoxius fuerit erroribus, quis non facile aſſequitur?

Sed non minus reprehendendos putarem, qui Borni regnum (*a*) eſſe regnum Atheorum levi de cauſa ſentiunt, niſi ex illo numero Huetium fuiſſe ſcirem pietatis hominem, atque doctrinae quavis laude praeſtantem (*b*). Ea quidem accuſatio non alio ex fonte profluxit, quam ex incredibili Barbarorum illorum improbitate, qua factum eſt, ut nullam Religionem amplecti voluerint; cujus quidem criminis & Joannes Leo Africanus, qui uno circiter menſe verſatus eſt inter eos, & Joannes Boterus, qui eadem fere Leonis verba deſcripſit, & Dapperus, qui etiam ad illos acceſſiſſe dicitur, & qui aures iiſdem praebuerunt, alii teſtes non pauci produci poſſunt (*c*).

Sane quamvis eam gentem Atheis concederemus, non haberent hi, niſi vellent omnino deſipere, de quo magnopere gloriarentur. Quis enim neſcit eos populos tam ingentibus eſſe criminibus aſſuetos, atque tam turpibus, ut inter homines a nemine cenſeri poſſint, niſi cum in homi-

 nes

rit avec beaucoup de ſoin ... mais le culte qu'ilsé reoivent n'approche point de celui, qu'on rend aux ſerpens de Iuida. Il ſe reduit à croire qu'on ne peut les tuer, ou les bleſſer ſans attirer ſur le Pays les plus grandes infortunes. Chacun Négre a ſon propre Fétiche. Les uns choiſiſſent une montagne, d'autres un arbre, une pierre, une piéce de bois, ou quelqu'autre ſubſtance inanimée &c. =.

(*a*) Africae Regnum eſt in ea plaga, quae Nigritia ſolet appellari. A. Cl. Geographo de l'Isle *Bournou* vocatur, a caeteris autem pleriſque *Borno*, cujus Regem ditiſſimum auri, ac mancipiorum eſſe dicunt.

(*b*) *L. II. Quaeſt. Alnetan. C. I.*

(*c*) Jo. Leo Afr. *Deſcr. Afr. P. VII.* Bot. *Relat. Univ. P. I. L. III. p. m.* 181. Dapper apud Laurentium Echard *in Diction. Geogr. Portat.* Vide etiam Moreri, & La-Martiniere *in ſuis Diction. Art. Borno*, & alios facile obvios.

nes inſultare, vel hominum velit arrogantiam, ſuperbiamque comprimere? Nulla cognoſcitur apud eos temperantiae lex, nulla verecundiae, nulla pudoris. Uxores communes habent; ſi tamen uxores illae vocari poſſunt, quibus cum aliquo tempore frequentius, quam cum aliis mulieribus congrediuntur. Sed quod pertinet ad ipſos Viros, neſcio an unicus inter eos adoleſcens infamem illum puerum non imitatus fuerit, in quem Chriſtianus Poëta luſit;

„ *Illum delicias tunc Divi Principis, illum*
„ *Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili,*
„ *Hadrianique Dei Ganymedem.*

Imo vel eo ſunt Antinoo quolibet illi foediores, quod non unius hominis, ut pueri apud Turcas libidinis cauſa empti, poteſtati ſubduntur; ſed matrum atque ſororum facilitatem in omnes, ac liberalitatem imitari, neque rem flagitioſam neque indecoram putant. Alia vitia peſſimae gentis in iiſdem auctoribus invenies, qui non modo eam Religione omni, ſed etiam qualibet Lege vacare ſcribunt, ut vel hinc intelligas, non facile poſſe Legem ullam ſine ulla Religione conſiſtere.

Caeterum ſi diligentius adverſarii nobiſcum rem totam rimari velint, hoc eodem tam debili patrocinio, atque tam turpi Atheorum impietatem facile ſpoliari fatebuntur. Ut enim omittam, quod mercatores illi retulerunt, de nulla ſcilicet a foediſſimis iiſdem Africanis Religione ſuſcepta, doctis aliquibus hominibus, inter quos Genuenſis videtur eſſe (*a*), perſuaderi non poſſe; perſpicuum ſatis eſt ex iis, quae tum hoc libro, tum ſuperiore congeſſimus, aliud eſſe, hominem voluptatibus, ac caeteris tantum vitae commodis inhiantem, nihil videri de colenda Divinitate, ac Religione capeſſenda ſollicitum, aliud vocem ipſius non audire naturae, quae neminem aliquid cogitantem dubitare ſinit

(*a*) *Element. Metaph. P. III. Append. ad C. I.* Confer §. 3. *cum 6.*

nit, quin ſapientiſſimus quidam ſit rerum omnium conditor, aut ſator, ut ita dicam, & parens, atque educator, & altor Deus (*a*). Sceleratos igitur Bornianos, atque nefarios, & ſi vis etiam, prorſus irreligioſos, & impios, non autem, niſi nova quaedam fruſtra, opinor, conquirenda monumen-

(*a*) Aptiſſimum ad hanc rationem confirmandam mihi videtur exemplum, quod incolae Regni Benini (*de Benin*) in eadem Africa poſiti ſuppeditant. Nulla enim Deum Opt. Max. religione proſequi videntur. Teſtantur tamen hiſtorici non ita confuſam illis cognitionem Divinitatis ineſſe (*Vid. Hiſtoir. Génér. des Voyages Tom. XV. Lib. XI. &c. p. m.* 273. 274.) Id praeter alios Dapperus idem narravit, quem, ad accuſandos Borni populos Atheiſmi, producere ſolent adverſarii. Ita enim de barbaris Benini gentibus in ea, quam innuimus, hiſtoria (*l. c. p.* 274.) dicitur = *Suivant Dapper, ils ont de veritables notions d' un Etre ſuprême & d' une nature inviſible, qui a créé le Ciel, & la Terre, & qui continue de gouverner le Monde par les loix d' une profonde ſageſſe. Ils l' appellent Oriſſa. Mais ils croient qu' il eſt inutile de l' honorer, parce qu' il eſt néceſſairement bon; au lieu, que le Diable étant un Eſprit mechant, qui peut leur nuire, ils ſe croient obligé de l' appaiſer par des priéres, & des ſacrifices* = Quis jam praeſtet, Borni populos non eadem impia ſtultitia laborare, ut Deum quidem eſſe ſciant, non tamen ipſum precibus, votiſque placare, aut ullis proſequi honoribus oportere arbitrentur? Validior, ut opinor, haec eadem coniectura ex eo fieri poteſt, quod hanc ſtultitiam aliorum quoque *Nigrorum* (ita enim dicuntur non paucae noſtris temporibus Africae gentes) miſeras mentes occupaviſſe, qui de iis agunt Scriptores facile conſentiant. Sane Boſmanus apud Baylium (*Rép. aux Queſt. &c. III. Part. Cap. XIII. p. m.* 934.) praeter illa, quae alio loco retulimus, narrat = *que les Negres, qui demeurent ſur la Côte (des Eſclaves) croyent pour la plupart un ſeul, & vrai Dieu, qui a créé, & qui gouverne toutes choſes* = addit tamen = *qu' ils ne font jamais de ſacrifices a Dieu, ni ne l' invoquent dans leurs béſoins* = Conjicit quidem Boſmanus, Nigros ab Europaeis Dei cognitionem accepiſſe. At ea conjectura Baylio diſplicet, cuius ratio, ſi quid efficit, hoc tantum efficit, a maioribus Nigros ea didiciſſe, quae de Supremo Numine narrare ſolent. Quocumque modo ſeſe res habeat, nobis oſtendiſſe ſufficit, apud ſtultos eos populos Dei notitiam ſine ullo Dei cultu poſſe conſiſtere. Quis igitur eos Nigros, qui ad orientalem eius vaſtiſſimae regionis partem Regnum Borni tenent, omni prorſus affirmabit Dei cognitione carere, quod nulla Deum religione proſequi videantur? Caeterum nihil fere de ſuperſtitionibus locuti ſumus, quibus inferiora neſcio quae Numina, imo *Diabolum* ipſum, ac malos Genios Nigri demereri ſtudent, quod, ut facile vides, non id haec noſtra, ſaltem hoc loco, tractatio poſtulet. De iis laudatos Auctores conſulere potes.

ta producas, Atheos eodem ſenſu, quo Spinoſam, quo Mirabodium, quo caeteras huiuſmodi peſtes, vocare poſſis (*a*).

Facilius eſt excuſare Cafros, de quibus veriſſima ſufficeret Genuenſis verba deſcribere (*b*) = *Enim vero*, inquit, *Cafri, quos primi viatores Atheos fecere, magna ex parte ſunt idololatrae, non parva etiam Muhammedani* =.

At Cafros inter ipſos qui Hottentoti dicuntur, magis quam reliqui Africae populi ſpem Atheorum alebant, atque ſuperbiam; perinde ac ſi viliſſima quaedam, non dicam equino, ut olim Concani, ſed humano ſanguine laeta portio Barbarorum, qua videlicet monſtrorum mater Africa nihil unquam magis foedum, nihil magis horrendum tuliſſe

(*a*) Haec omnia ita diſſeruimus, ut adverſariis, nullam eſſe Religionem in Borni regno, concederemus. At facere non poſſumus, quin tandem ſuſpicionem hac in re noſtram innuamus. Scilicet, cum eius populi mores Europaeis magis perſpecti erunt, facile continget, ut etiam apud illum aliqua ſpecies Religionis exiſtere videatur. Id ſane peragrantibus Africam Viatoribus non ſemel contigit, ut ſine ulla religione vivere populos arbitrarentur, quos poſtea turpiſſimae ſuperſtitioni, qua tamen Divinitatem colere vellent, mancipatos eſſe deprehenderunt. Novum huius rei exemplum afferamus. Etenim in hiſtoria Itinerum, quam ſupra laudavimus, haec habentur de Hollandis qui anno 1595. regiones tenuerunt, quae Sinum S. Auguſtini (*la Baye de St. Auguſtin*) circumjacent (*Hiſt. Gén. des Voyages &c. T. XXIX. p. m.* 252.) = *Ils n' avoient pû remarquer s' ils* (*les Negres maritimes*) *avoient quelque lumière de religion; mais dans la ſuite ils apprirent des ieunes garçons qu' ils emmenerent, que leur religion eſt celle de Mahomet, & qu' ils reçoivent la circonciſion, Leur Foi ſe borne a reconnoître un Créateur de tout ce qui exiſte; mais ils ne lui adreſſent ni ſacrifices, ni prieres; &c.* = ſimile quid etiam fortaſſe accidet de iis Nigris, de quibus in eadem Hiſtoria (*T. X. p.* 119) ſcribitur = *Tous les autres Negres ...... ſont idolâtres, a l' exception des Sereris, & de quelques autres, qui peuvent être regardés comme des Sauvages, ſans aucune apparence de Religion. Le Maire prétend que vers Sierra Léona & la Côte d' or, la plûpart n' ont aucune idée de culte, ou du moins qu' ils adorent le premier objet qu' ils rencontrent le matin. Autrefois ils rendoient des adorations au Diable, & lui ſacrifioient des veaux. Quoiqu' ils mangent la chair de leurs beſtiaux ils croyent la Métemſicoſe* =

(*b*) *Ibidem* §. 6. ubi tamen citat Andream Kolbi *in Deſcript. Capitis bonae ſpei*, quem Petrum vocare debuiſſet.

liſſe putatur, (*a*) generis humani concordi poſſet intercedere, perpetuaeque ſententiae.

Verum Hottentotos ipſos Atheorum caſtra non ſequi iam probatiſſimi quique Scriptores aperte conſentiunt. Etenim non modo nobilis auctor Anglus (*b*) eorum arguit temeritatem, qui cum ſermonem, quo Hottentoti utuntur, non eſſe cognitum ſibi faterentur, nullum ab iiſdem agnoſci Deum pronunciare voluerant; non modo Solem, & Lunam eoſdem venerari certis, atque ratis caeremoniis Joannes Hookius tradit (*c*); non modo Adamitici peccati, atque di-

(*a*) Eruditione non minus, quam ingenio praeſtans Auctor, Antoninus Valſechius ita de iis Barbaris *L. I. C. IX. p.* 205. = *Popoli, al dir del Signor la Croze, di quanti ci ſon venuti a contezza i più orridi, e i più ſtomachevoli per iſchifezza, e fetore.* =

(*b*) Auctor *Speciminis de Providentia, & Poſſibilitate Phyſica Reſurrectionis, Epiſtola VII.* quem ex Valſechio aliis etiam locis adduximus.

(*c*) Hooke citat ad hanc rem comprobandam, quos ſubjicio: Jo. Dos Sanctos, *Hiſt. de l' Ethiop. Orientale*, C. *VII. P.* Tachard, *Voyag. de Siam L. II. p.* 84. M. de la Loubere, *du Roy: de Siam, T. II. p.* 122. de Chaumont *Iourn. du Voy. de Siam p.* 78. Ten Rhyne, *Schediaſma de Prom. bonae Spei.* Petr. Kolben *Deſcr. C. bon. Sp.* Hiſt. des Voy. *Vol. V.* At vero hi Auctores ſaltem plerique de cultu Lunae, non autem Soli, ab Hottentotis exhibito, loquuntur. De hoc Lunae cultu ita ſcribit Hiſtoria Itinerum (*Hiſt. des Voyag. Tom XVIII. p.* 82.) = *Ils rendent des adorations a la Lune, dans des aſſemblées qu' ils font la nuit, en plein champ. Ils lui ſacrifient des beſtiaux, & lui offrent de la chair, & du lait. Ces Sacrifices ſe renouvellent conſtamment aux pleines Lunes. Ils félicitent ces aſtre de ſon retour. Ils lui demandent un tems favorable, des pâturages pour leurs troupeaux, & beaucoup de lait. Ils le regardent comme un Gounga inferieur, qui repréſente le Grand* = quae poſtrema verba valde notanda ſunt. Satis autem, opinor, ex his omnibus ii refutantur, qui Lunam ab Hottentotis coli negaverunt. Hi decepti ſunt ab Auctore, qui fuerat, ut Petrus Kolben advertit, ab Hottentotis ipſe deceptus. Nihil enim ii Barbari antiquius habent, quam ut exterarum Gentium homines, quibus non maxime fidant, de ſuis opinionibus, ac moribus, ac praeſertim de tota Religione celent. At aetate noſtra callidi homines, magna cum Barbaris familiaritate verſati, quidquid illi de Religione ſentiunt, aſſecuti videntur. Praecipue autem tibi conſulendi ſunt, ſi eam penitus noſſe cupis, & Petrus Kolben, & Hiſtoria Itinerum, a qua non pauca deſumimus. In ea, poſt cultum Lunae deſcriptum, id etiam ſubditur = *Ils honorent auſſi comme une Divinité favorable, certain inſecte de l'eſpéce des cerf-volans, qui eſt particulier á cette region* = &c. Caetera non huius loci.

diluvii memoriam ſervare aliquis deprehendit (*a*), non modo animorum quoque immortalitatem fateri Petrus Kolben ſenſit, ſed & hic idem praeter alios graviſſimus teſtis unum ſummum Deum, ac reliquorum Deorum Regem ab iis agnoſci confirmat, Mundi architectum, ac dominatorem, hominumque judicem; & eumdem ſapientia praeditum, atque virtute, quae non ſatis ab hominibus iiſdem capi queat, *Gounga Tekquoa* inamoeno illo, & hiulco ſermone nuncupatum (*b*).

Hic

(*a*) Vide Genuens, *l. c.* §. 6. *p. m.* 127.

(*b*) Haec omnia ſatis idoneis teſtimoniis confirmari poſſunt. Quod pertinet ad animorum immortalitatem haec habentur in Hiſtoria Itinerum (*Ibid. p.* 85.) = *On ne leur a point reconnu la moindre notion d' un état futur, & bien moins l' eſpérance d' une reſurrection. Cependant quelques raiſons portent a croire qu' ils ſont perſuadés de l' immortalite de l' ame. 1. Ils adreſſent de priéres, & rendent des bonneurs aux Hottentots vertueux, aprés leur mort. 2. Ils craignent les revenans, ou les eſprits des morts; & cette crainte les oblige de changer de Kraal lorſqu' ils ont perdu quelqu' Habitant. 3. Ils croient que les ſorciers, & les ſorcieres ont le pouvoir d' attirer ces Eſprits. Mais ils paroiſſent perſuadés que les ames des Morts font leur domicile autour des lieux où leurs corps ſont enterrés; & l' on ne s' apperçoit point qu' ils redoutent un Enfer, & des punitions, ou qu' ils eſperent des récompenſes dans un état plus beureux* = Horum omnium teſtis laudatur locupletiſſimus Petrus Kolben (*Voyage de Kolben. Vol. I. p.* 104. & 234.) In eadem hiſtoria (*p.* 82.) Kolbeni eiuſdem, nec non Saarii (*Saar*) Tachardi (*le P. Tachard*) & Bovingii (*Boving*) auctoritate probatur = *qu' ils reconnoiſſent un Dieu, Créateur de tout ce qui exiſte. Ils l' appellent Gounga, ou Gounga Tekquoa, c' eſt-à-dire, Dieu de tous les Dieux. Ils diſent de lui, que c' eſt un excellent bomme, qui ne fait aucun mal a perſonne, de qui l' on n' en doit jamais craindre, & qu' il demeure fort loin au-delà de la Lune. Mais il ne parôit pas qu' ils ayent aucun eſpéce de Culte inſtitué pour l' bonorer. Quand les queſtions qu' on leur fait ſont preſſantes, ils apportent pour excuſe une tradition, qui leur apprend, diſent-ils, que leurs premiers parens ayant offenſé ce Dieu, ont été condamnes, avec toute leur poſterité, a l' endurciſſement du coeur; de ſorte que s' ils le connoiſſent peu, ils confeſſent, qu' ils n' ont pas beaucoup d' inclination à le connoitre & à le ſervir mieux* = Iidem tamen peſſimi homines malignum Spiritum, quem *Touquoa* appellant, quemque malorum omnium putant auctorem, honoribus maximis, ac ſacrificiis genti ſuae conciliare ſtudent. Ex quo vides ea ſummopere con-

Hic autem eſt Petrus ille Kolben, cuius libri laudibus vix aliquid addi poſſit, cum a praeſtantiſſimo Fabricio (*a*) accuratus, ac diligens Auctor appellari meruerit. Fuerat autem ipſe Kolben, cum librum eumdem emiſit, per annos omnino decem in barbaris iiſdem Africae littoribus, nec miſeros illos, etſi non minus corpore foedos, quam mente, mortales tantopere horruerat, ut nollet amice cum ipſis, ac pene familiariter, veritatis agnoſcendae cauſa, congreſſus, atque ſermones habere.

Vides ex his omnibus, quam levibus dicendi ſint indiciis illi fuiſſe decepti, quorum Baylius, & Lockius fidem ſecuti ſunt (*b*), cum Divinitatis eam gentem, non minus, quam humanitatis omnis, ac politioris cultus, inimicam eſſe duxerunt.

Reſtaret, ut aliquid hic de populis adderemus ampliſſimae illius inſulae, quae *Madagaſcar* appellatur. At argumentum, quo nonnulli (*c*) fecerunt eoſdem Atheiſmi reos, non aliud eſt, quam illud ſaepius jam ſolutum a nobis; quod videlicet ſine ulla plerique Religione vivant.

Caeterum vel inde, quam ſit argumentum ipſum debile, inferre illi deberent, quod aut melius, aut certe non pejus, eos Barbaros de ſummo Numine ſentire, quam pleroſque Chriſtianae Religionis luce carentes, idoneis teſtimoniis effici poſſit. Etenim ſumma ſapientia pollentem, ſumma bonitate, atque viribus Deum eſſe volunt, a quo facta omnia, & conſtituta ſint, quibus haec rerum univerſitas conſtat, & coelum, & aſtra, & terra, & mare, & Intelligen-

confirmari, quae ſaepius de non levi diſtinctione diximus inter Supremi Numinis cognitionem, eiuſdemque cultum agnoſcenda. Fieri enim poteſt ut illa quocumque tandem modo exiſtat, ubi nullum huic locum immanis impietas fecerit.

(*a*) *De Ver. Relig. Chriſt. C. VIII.*

(*b*) Lockius *L. I c.* 3. §. 8. accuſat teſtimonio Rhöe apud Thevenot *p.* 2. Cafros illius regionis, quam ipſe vocat, niſi alterius mendum eſt, *Baye de Soldanie*. At *Saldagne* dici debuerat, ut ex Geographis facile colligas. Latine dicitur Saldaniae Sinus, circa quem Hottentoti ſunt, cum ad Occidentalem quoque partem Cafreriae pertineant.

(*c*) Quos arguit Stilling. *Orig. Sac. P. II.* & Vaſſech. *L. I. C. IX.* &c.

gentiae, quae his omnibus praeſint; ita ut bonorum omnium, quibus quotidie fruimur, origo non ab alio fonte repetatur. (*a*)

Porro Intelligentias illas eſſe volunt ſicuti milites, qui ſummi Imperatoris iuſſa faciant, & ſiderum regant curſus, & elementa moderentur, & hominum vitae conſulant, & fruges curent, & reliqua, quae Terra pariat, nec non tempeſtates, ac temporum varietates, Coelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubeſcant.

Haec omnia praeclare dicerentur ab iis, niſi tantus error, ac tanta Barbarorum eorumdem animis offuſa caligo eſſet, ut potentiſſimam alteram naturam admitterent, cui pars non ita levis in mundi adminiſtratione tribuenda ſit. Naturam vero illam potius Arimanium a Perſis creditum mali cuiuſcumque principium, quam Diabolum a Judaeis, Chriſtianiſque cognitum facere videntur. (*b*)

Sed & ſub malo principio Naturas corporea mole carentes putant eſſe non paucas, quibus etiam propria ſint penſa quaedam conſtituta, vel munera.

Arimanii quidem illius, aut *Diabolum* appellare malis, nihil enim repugno, tanto timore corripiuntur, ut ipſum deteſtabili ſuperſtitione, obſequiis, ac ſacrificiis placare ſtudeant (*c*). Quin etiam, ſi quando Supremo Numini ſacra faciunt, quod & praemia bonis impertiri, & malis ſupplicia fatentur (*d*), ante caeremonias alias, ipſius victimae fruſtum projiciunt in terram, ac *Diabolo* veluti libant, ut mu-

(*a*) Vid. Flacourt *Hiſt. de Madagaſcar C. XXX.*, Moreri, & La Martiniere *in Dictionariis ſuis Art. Madagaſcar*, Dellon *Relat. d' un Voy. Tom. I. c.* 8. P. Cauche *p.* 119. Hooke *Rel. Nat T. I. &c. p.* 14. alioſque.

(*b*) Appellant autem ipſum *Beliche*, teſte Morerio, quemadmodum Deum Opt. Max., ut idem ait, *Zamharre* vocant.

(*c*) Vid. de his La-Martiniere *in Diction. Geog. Art. Madagaſcar*, qui & de Spiritu agit, ſive Deo, quem divitiis praeficiunt, & de multiplici, quam inducunt, Geniorum, tum bonorum, tum malorum, diviſione differit.

(*d*) Vid. Moreri *in Diction. Art. Madagaſcar*.

munere, atque honore laetus abſcedat, & a malis inferendis abſtineat.

Jam vero, quod iidem populi ea ſacra qualiacumque peragant, neſcio an facile cum eo componi queat, quod prorſus ſine ulla Religione vivant. Et hoc quidem mendacium ex eo etiam convincitur, quod Circumciſionem, alioſque ſimiles ritus magna pompa, & ſuperſtitione celebrent (*a*).

Omittimus eſſe in eadem ampliſſima Inſula populos, qui *Zafferamini* dicuntur, ſuperſtitione Muhammedis implicitos (*b*), alioſque *Zaffrehibraim* appellatos, hoc eſt ex Abrahae ſtirpe progenitos, qui non pauca in deliciis habeant Judaicae perfidiae deliramenta. Etenim ea potius afferre voluimus, quae latius ad populos caeteros ejuſdem Inſulae pertinerent, quos ipſa hujus noſtri ſuſcepti operis ratio poſtulabat, ut ab Ἀθεότητος illata calumnia defenderemus.

Fama vero illa de nulla Madagaſcarenſium Religione ex eo tantum orta mihi videri ſolet, quod in vaſtiſſima terrarum plaga, ſi Flacurtio ſit fides (*c*), nulla in honorem Divinitatis delubra, vel templa inveniantur extructa: quod tamen, ſatis, ſuperque jam refutatum a nobis argumenti genus fuſiorem orationem non deſiderat. Potius hic obiter adverſarii plures rogandi ſunt, ut advertant, quam clara ſit in luce conſtitutum oporteat, quod aliqua ſit a nobis agnoſcenda excellens, ac perfecta Divinitas, cum id ne Africana quidem Barbaries non videre potuerit, qua nihil inhumanius, nihil ſingi poſſit incultius.

(*a*) V. de his etiam La-Martiniere *l. c.*

(*b*) Ad hanc inſulam pertinent ii Nigri, qui ab Hollandis deprehenſi ſunt in regionibus, quae Sinum S. Auguſtini circumjacent, ut diximus.

(*c*) *Hiſt. de Madagaſcar C. XXX.*

CAPUT VIII.

De Druſis Aſiae populo.

QUeritur Baylius (*a*) Joannem Ludovicum Fabricium, cum genus humanum adverſus calumniam Atheiſmi defenderet, nihil auctoribus illis reſpondiſſe, qui Druſos (*b*), Libani populum in Aſia, faciunt ejuſdem Atheiſmi reos.

Nimirum Druſi Baylio digni viſi ſunt, qui caeteris opponerentur hominibus, atque nationibus, & Carteſiana placita nulla teneri veritate demonſtrarent. Hinc etiam alio loco quod inter eos filiarum concubitum patres, ac matrum filii non horrerent, & quaedam eſſet incredibilis morum omnium, officiorumque perturbatio, atque perverſitas, ideas innatas verecundiae, pudoris, & honeſtatis nullas in ipſorum unquam mentibus extitiſſe intulit: tam cito videlicet oblitus eſt, quod eodem in libro tam ſaepe nobis, atque tantopere ingerit, hominem ſaepius non id agere, quod ratio ſuadet, aut certa quaelibet animi notio, ſed quod cupiditas, aut libido flagitat, quò perturbati rapiunt ejuſdem animi motus, quò conſuetudo demum, aut prava aliorum exempla vehementer alliciunt.

At in hoc ipſo, quod eoſdem Druſos inter Atheos poſſe cenſeri ſignificavit, pugnare ſecum Baylius videri fortaſſe poteſt. Quid enim? Nonne idem hoc eodem libro (*c*) totius eloquentiae ſuae vires exeruit, ut oſtenderet, populum quempiam non poſſe, cum Religionem ſemel aliquam ſuſce-

(*a*) *Contin. des Penſées ſur la Comete &c. §. XIII. p. m.* 55.

(*b*) Ii ſunt, de quibus Jo. Boterus *Relat. Univ. P. I. L. II. p. m.* 150. = *Menano vita barberiſſima. Si circoncidono, come Maumettani, bevono vino, come Criſtiani, ſi congiungono con le proprie figliuole, come beſtie &c.* =.

(*c*) *Contin. des Penſ. §. VI. p.* 21. & 22. quas attente legas; etenim a Cotta dicit hanc argumentationem haberi potuiſſe, quam ipſe & in medium profert, & inſolutam relinquit.

ſcepit, & coluit, eamdem ita prorſus abjicere, ut praeceps in ἀϑέοτητα ruat? Nonne idem ſubdola quidem ratione, ſed ab acutis, & curioſis hominibus facile detegenda, neſcio quid eo loco ſignificavit, quod & Religionis moenia concutere, & omnem fortaſſe Divinitatem exterminare videatur? Nam ſi, quod ait, Populus, qui ſemel Atheus deprehendatur, ab ultima fuiſſe origine Atheus, ac majores, vel Auctores ſuos habuiſſe prorſus Atheos dicendus eſt; cum non paucos hujuſmodi populos poſſe produci, Baylius idem opinetur, neque jam a Noë, vel ab Adamo genus humanum deducere, neque ab alio poſſumus, qui ſuum agnoverit conditorem, atque parentem Deum: ex quo demum quid ſequatur, nemo eſt qui non videat, planeque non ſentiat. Haec, inquam, argumentatio tota, cujus more ſuo Baylius in libro, quem ad hunc praecipue, de quo loquimur, defendendum emiſit (a), omnino videtur oblitus, ex eo etiam facile corruit, quod, ipſo auctore, Druſi Athei debeant, aut poſſint exiſtimari.

Quis enim neſcit, ſiquidem hiſtoriam a primo, ut ajunt, limine ſalutaverit, quam originem illi ſeſe habuiſſe putent; quos, inquam, ſui generis jactent auctores? Eos nimirum, quibus vix aliquid fingi poſſit cum bellica virtute nobilius, tum germana in Deum Optimum Maximum pietate praeſtantius: ideſt Chriſtianos, maxime Gallos, qui ſub Gothofredo illo Bullionio duce pia ſigna Paleſtinae intulerunt, ut

 lo-

(a) *Réponſ. aux queſt. d' un Provinc. ubi C. XCIX. p. 701.* = *Que des peuples ignorans, qui vivent ſans loix, & qui comme des oiſeaux de proïe ne ſubſiſtent que de brigandage, ou qui n' ont pas aſſez d' eſprit pour ſe garantir des injures de l' air, qui en un mot ne ſont pas moins déréglez quant à la morale, que ſtupides d' entendement perdent l' idée de la Divinité, c' eſt ce qui ne choque point la vraiſemblance.* = Nos quidem numquam id contigiſſe arbitramur; at ſi contigiſſet non poſſe ullo modo conſecutionem illam inde trahi cum Baylio contra Baylium ſentimus, quam fortaſſe vellet Cotta deducere. Et id quidem clarius mihi videtur, quam ut clarius hoc loco fieri ulla oratione poſſit.

loca ſanctiſſimae Religionis noſtrae conſecrata myſteriis ab impura Saracenorum ſuperſtitione vindicarent.

Neque vero plerique Scriptores magnificentius id ab illis putant dici, quam verius. Ut enim Minadojum, atque Fevrèum, alioſque praeteream (*a*), ipſe Beſpierius, qui laudem hanc immeritis hominibus eripere tentavit, diſerte fatetur (*b*), ad eam uſque diem doctos etiam homines in eadem opinione fuiſſe.

Jam ſi Baylius etiam doctis iiſdem conſentit hominibus, nonne ſecum ipſe pugnat, cum Druſos a Gallis originem ducentes Atheos haberi poſſe contendit, & populum tamen Atheum inveniri poſſe inficiatur, cujus majores Divinitatem aliqua ſuſcepta Religione coluerint? Quod ſi forte Gallicam Druſis originem Baylius etiam invidit, ex eo ſaltem reprehendi poteſt, quod, ubi maxime fuiſſet opportunum, a communi ſe diſcedere ſententia, ne uno quidem verbo ſignificaverit.

Sed Baylio tandem dimiſſo, quid ſit de Druſis hac in noſtra cauſa ſentiendum manifeſtius aperiamns. Ac primo quidem prodeat in medium, prodeat egregius illorum accuſator, cui caeteri teſtes adſtipulari videntur, aut capſulas cuſtodire. Judaeus eſt is, cui Beniamino (*c*) nomen, *Rabbinica* apud ſuos dignitate auctus. Quid ultra quaerimus? Non debet ejus teſtimonium hoc praeſertim in judicio recipi. Cauſam enim ii dicunt, qui atroces non minus contra Judaeos, quam contra Saracenos, aut Turcas inimicitias exercent.

Si tamen ii, qui cauſam diſceptant, nolint Judaeum Doctorem tantopere contemnere, mendacem alia quoque ratione probari ſciant. Nam eodem in libro Regni cujuſdam in

(*a*) Minadoi *della Guerra di Perſia*, & Mr. de Thou apud La-Martin. Le Fevre *Etas de l' Empire Ottoman. C. VI.*

(*b*) Beſpier apud La-Martin. *Art. Druſes*, qui eos etiam vocari ait *Drus*, *Druzes*, *Druziens*, & *Druſis*.

(*c*) R. Beniamin. *in Itin.* mortuus eſt an. 1173.

in Aſia meminit, cui *Duces de femore Iudae* magna cum dignitate dominentur. Quis hic leviter etiam eruditus a cachinnis abſtineat? Quis facete non ludat, eodem ſcilicet hoc loco, quo novum poſt Titi Auguſti tempora Judae Regnum, Regnum etiam Atheorum eſſe collocandum?

Etenim ex iis quidem temporibus Judae poſteri extorres, atque palantes, nuſquam jure ſupremae poteſtatis potiri, nuſquam leges condere, capitis damnare, monetam cudere, bella indicere, foedera componere poſſunt; at caeterarum ubique nationum ſubduntur imperio; nec modo Chriſtianos, quos acerrimos illi ſibi fingunt hoſtes, ſed & Turcas, & Perſas, & Indos, & Sinenſes dominos ſentiunt (*a*). Quare non acutius profecto, quam verius Daniel Huetius (*b*), ſummo Vir ingenio, exquiſitaque doctrina ſcriptum reliquit, impuram gentem ludibrio ubique, ac deſpicatui habitam velut in celeberrimo orbis univerſi theatro atrociſſimas ſcelerum ſuorum poenas luere. Equidem, ſi quis nondum, cum ſcriberet Beniaminus, *ſceptrum de Iuda, duceſque de femore ejus*, tot inter curtae genti clades, & calamitates illatas, & poſtquam ſcelerati corporis membra, magis quam illius miſeri Medaeae fratris, confracta, avulſa, conciſa, per omnes oras diſſipata eſſent, defeciſſe fateatur; non video, cur non idem Carthaginis, aut Athenarum, aut Mycenarum, aut Sicyonis ſceptrum, aetate hac etiam noſtra, vigere contendat.

Itaque, cum Beniaminus in ſuo illo itinere Judae non mo-

(*a*) Sunt etiam ſine Templo, ſine Altari, ſine Sacerdotio, ſine Sacrificio, ut *Cap. III.* Oſeas fore praedixerat = *Dies multos ſedebunt filii Iſraël ſine Rege, ſine Principe, ſine Sacerdotio, ſine Altari, ſine Ephod* (genus hoc erat ſacrae veſtis) *& ſine Teraphim* = quae nempe ſimulacra erant Cherubinorum ſuper Arcam Foederis. Quis obiter hic non advertat cum Prudentio *in Apoth. adv. Iud. v.* 536. quod Judaeus

„ *Supplicium pro Caede luit,*
Chriſtique negati
„ *Sanguine reſperſus commiſſa*
piacula ſolvit.

(*b*) *Dem. Evang. Tom. II. Prop. IX. C. IV.*

modo duces, ſed & florentiſſimum regnum cognoſcere ſe potuiſſe glorietur, jam videt ſapiens lector quodnam ferendum ſit de illius auctoritate ſuffragium.

Quare ne illud quidem advertere jam neceſſarium puto, non aliud tandem ab ipſo Beniamino dici, quam quod nihil omnino Druſi religionis habeant. Nam quod aliquam habeant, alii tradere ſolent probatae fidei Scriptores, licet noſtris hominibus non ſatis cognitam eſſe, plerique fateantur.

Minadojus (*a*) quidem ſcribit, Chriſtianae ſenſim eos Religionis oblitos a fallaci quodam *Propheta*, ſeu circulatore potius, ac nebulone, cui nomen Iſmano, fuiſſe facile adductos, ut novam quamdam amplecterentur. Similia Thuus, ſimilia Fevrèus (*b*), ſimilia plures alii Scriptores. At Arvieuxius in libro, quem de moribus Arabum conſcripſit, Druſos eoſdem inter Arabas Mahummedanos recenſet (*c*). Rectius, opinor, qui librum eumdem edidit Roquèus ad eum locum animadvertit, Druſos inter Mahummedanos numerari non poſſe, at ſolum inter eos populos, quorum Religio externis hominibus ignota ſit.

Sed omnium optime, niſi fallor, de Druſis Morerius ſcripſit, quae fere totidem ipſius verbis afferimus (*d*). Ait enim, ipſos velle Chriſtianos dici, quamvis nullum praeſeferant Religionis Chriſtianae ſignum: eoſdem de Filio Dei, ac ſanctiſſima illius Genitrice magna ſemper cum reverentia loqui; odium autem fovere implacabile contra Judaeos, ac Mahummedanos, quod in foenore nummos ponant: nihilominus vulgo eos inter Mahummedanos cenſeri: praeterea Sacerdotes apud ſe neſcio quos habere, nec non libros ali-

(*a*) Minadoi *l. c.*

(*b*) *Mr. de Thou, & Mr. Le Fevre l. c.*

(*c*) Arvieux in libro, cui titulus, *Moeurs, & des Coutumes des Arabes p.* 89. Eum edidit Roquèus (*de la Roque*) ad calcem ſui, cui titulus *Voïage dans la Paleſtine;* qui ſubdit, inter caetera *in not.* = *Leur Religion a été juſqu' à preſent un myſtere preſque impenétrable* =.

(*d*) Moreri *in Diction. Art. Druſes* citans *Mr. le Chevalier d' Ervieux*, quem de Druſis, Maronitis, Turcis optime ſcripſiſſe ait, quae nondum edita ſint.

Digitized by Google

aliquos Druſa eadem lingua conſcriptos: denique Sapientem eos praeſtolari venturum ab Ægypti finibus, ac Legem, qua melius Druſi regantur, allaturum. Haec, inquam, aliaque ſimilia Morerius, cujus auctoritas hac praeſertim in cauſa contemni nulla ratione debet.

Hic jam Graeculus aliquis exiſtit, qui non minus inepta, quam longa oratione probare velit, non pauca eſſe in immenſis Morerii voluminibus ab auctoribus non ſatis idoneis collecta, vel non juſto ſatis examine librata; quae ſcilicet ſaepe Baylius notat, alienas merces, ut ſuas venditare facilius poſſit, elevare ſatagens.

At nos Graeculi ejuſdem loquacitati paucis verbis occurrimus. Morerium ſcilicet hominem fuiſſe dicimus, cui neque ingenium defuerit valde perſpicax, neque doctrina omnino ſingularis. Errores ipſius neque ita paucos, neque ſemper ita leves eſſe dicendos, ultro concedimus. At, ſi diligentius advertas, illi temporis potius tribuendi ſunt, quam hominis vitio. Neque enim ille ad ſcribendum praeſidiis iiſdem, atque adjumentis, quibus poſtea Baylius, uti potuit.

Quamvis haec omnia non tibi probentur, Sacerdotem tamen optimum fuiſſe fateberis, qui, praeſertim leviſſima quavis de cauſa, mentiri noluerit. Jam vero mendacem non fuiſſe Morerium ſatis eſt, ut ejus hac in re, de qua loquimur, conſtet auctoritas. Etenim ille teſtatur, quae ſcripſit de Druſis, ab Equite Gallo, ſcilicet Ervieuxio ſe accepiſſe, qui fuerat in Aſia, atque adeo in Syria, librumque de Druſis, Maronitis, & Turcis magna diligentia compoſuerat (*a*). Et eum quidem librum, ſive *Memorias*, ut vulgo dicere ſolemus, in lucem edi Morerius vehementer & cupit, & flagitat.

Igitur jam hic Ervieuxii potius, quam Morerii diligentia examini ſubjicienda eſſet. Cum vero contra illam oppone-

(*a*) Mor. *eod. art.* = *C'eſt à M. le Chevalier d'Ervieux à qui je dois ce que je rapporte d'eux* =.

nere nihil adverſarii poſſint, quid eſt, cur non eidem Erveuxio Druſos non ab omni ſpecie Religionis abhorrere credamus, atque hinc eſſe dicendos ab ἀθεότητος impietate prorſus alienos?

CAPUT IX.

De Inſulis Nicobarenſibus, & aliis quibuſdam Auſtrali Plagae proximioribus.

CUM in hiſtoria univerſa Theologiae naturalis nihil fere gravius, magnificentiuſque dicatur, quam totum genus humanum, ne barbaris quidem exceptis, efferatiſque nationibus, in agnoſcenda vi quadam, Naturaque divina mirifice conſentire: tum nihil hanc ipſam veritatem clariore mihi videtur in luce ponere, quam quod, Populos a nonnullis Atheos exiſtimatos quo melius cognoſcimus, eo certius aliquo vel amore, vel timore, vel alio quopiam ſenſu Divinitatis affici, deprehendimus. Id enimvero & in gentibus non ita paucis hactenus vidimus, & in pleriſque, niſi fallor, de quibus hoc libro habendus jam reſtat ſermo, viſuri ſumus.

Nam illarum Inſularum habitatores, quae Bengalenſis vaſtiſſimi Sinus ad ipſas fauces exiſtunt, ac nomen a praecipua inter ipſas, quae *Nicobar* appellatur, mutuari ſolent; illarum, inquam, habitatores agreſtes, & inhumani nullum cognoſcere Deum ab aliquibus dicebantur. Ratio autem iis erat, quod, ut Morerius teſtatur (*a*), non modo Deorum ulla ſimulacra non colerent, ſed neque Templi alicujus eſſent apud eos ulla veſtigia, neque ſignum aliud verae pietatis, aut fictae, qua Divinitatem proſequi viderentur.

Sed

(*a*) Mor. *Art. Nicobar.* = *Ils n'ont ni temples, ni idoles, & on ne remarque point, qu'ils rendent de culte extérieur à aucune Divinité* =.

Sed Vir Apoſtolicis deſtinatus laboribus, cui Faure cognomen, Societatis Jeſu Sacerdos, alia de ipſis Barbaris retulit (*a*). Etenim cum in eas terrarum plagas Evangelicam lucem illaturus, magnam ad gentis ejuſdem & ſtudia, & mores cognoſcendos diligentiam adhibuiſſet, Lunam ab ea religioſe coli, ac malos quoſdam Genios, aut δαίμωνας confuſa quadam, & craſſa ratione cognitos non mediocriter timeri, didicit.

Idem quoque nullum apud Nicobarenſes publicum extare monumentum, aut aedificium accepit, religioſo cuipiam cultui dicatum; ſed tamen eos Barbaros antra neſcio quae in rupibus cavata magnopere venerari; quò etiam ingredi nulla ratione audeant, ne a malis illis Geniis plectantur, atque vexentur (*b*).

Addit Sacerdos idem nihil de moribus aliis, ac de forma regiminis earumdem inſularum ſeſe narrare poſſe, quod nemo unquam unus ita penitus in regiones illas penetrare potuerit, ut omnia, quae cognoſcere vellet, facile aſſequeretur.

At ex iis, quae narravit, ſatis, opinor, nos aſſequimur, Nicobarenſes videri Atheiſmi crimine liberandos; quamvis Divinitatem templis, ariſque poſitis, & oblatis muneribus, victimiſque mactatis minime venerentur.

Quis hic etiam illud non inferat, neque Barbaros alios Atheiſmi eſſe damnandos, ſtatim ac nulli religioſo cultui Numinis alicujus videantur addicti? Fieri enim poteſt, ut more Nicobarenſium, aliorumque ſimilium, caeremonias omnes propter impietatem, rituſque projecerint, cognitionem

(*a*) *Lettr. édifiant. Rec. X.* vide epiſtolam P. Faure datam anno 1711. ubi inter caetera = *Tout ce que j'ay pû connoiſtre de la Religion des Nicobarins, c'eſt qu'ils adorent la Lune, & qu'ils craignent fort les Démons, dont ils ont quelque groſſiere idée ....On n'y voit aucun monument public, qui ſoit conſacré à un culte religieux. Il y a ſeulement quelques grottes creuſées dans les rochers, pour les quelles ces Inſulaires ont une grande vénération, & ou ils n'oſent entrer, de peur d'y eſtre maltraitez du Démon* =.

nem tamen Divinitatis a Natura vel inſculptam eorum animis, vel alia ratione ſuppeditatam utcumque retinuerint. Fieri praeterea poteſt, quod eodem exemplo iterum diſcimus, ut aliquo contenti ſint ſupremae rerum omnium Cauſae, vel praeſtantiſſimae Naturae praeſtito cultu, aut obſequio; cujus tum demum nos veſtigia deprehendemus, cum certius aeſtimare licebit, quid ſibi velint barbari, cum quaedam agunt, quorum nunc rationes ignoramus, quid moliantur, quid taciti animo volvant, quid a majoribus tandem acceperint.

Hinc illos hoc loco non leviter eſſe reprehendendos exiſtimo, qui Barbaros Inſularum videlicet, quarum nomina vix apud recentiores Geographos aliquos invenimus, Atheos habendos eſſe cenſent, quod aut Jacobus Le-Maire, aut Schoutenus, aut Dampierus (*a*), aut alii, Navitae quidem intrepidi, atque animoſi, at non Critici ſagaces, aut acuti Philoſophi, vacuas omni Religione eaſdem inſulas exhibent, aut potius exhibere videntur.

Etenim egregie notat Hookius & Jacobum Le-Maire, & Schoutenum, non modo de populis fuiſſe locutos, quibus cum

(*a*) Religione carere Inſulas quasdam Meridionales, aut proximas Terris Auſtralibus habet Jac. Le-Maire *Deſcript. Navig.* 31. *May.* Idem de inſula quadam prope litus Novae Guineae narrat Schouten *Diarii p.* 47. Quod pertinet ad Dampierum, celeberrimum ex Anglia Navitam, vide laudatum a nobis opus, cui titulus, *Hiſtoir. Générale des Voyages, Tom. XLII. P. II. L. III.* ubi de incolis Sabudae *p.* 91. dicitur = *Dans la difficulté de diſtinguer leur Religion, Dampier jugea ſeulement, que ce n' eſt pas le Mahométiſme; parce qu' ils bûvoient ſans ſcrupule des liqueurs fortes dans la même coupe, que les Anglois* =. Eodem libro longa deſcriptio eſt Inſulae, quae *Timor* appellatur, quam luſtraſſe totam Dampierus idem dicitur. De incolis autem illius ita *p.* 148. =. *Dampier s' informa de leur religion. On l' aſſura qu' ils n' en avoient point. Il obſerve qu' à la faveur de la langue Malayenne, qui eſt en uſage dans toutes les Isles voiſines, le Mahométiſme s' étoit repandu dans celles qui faiſoient quelque commerce, avant que les Européens y fuſſent venus. C' eſt ainſi qu' il eſt devenu la Religion dominante de Solor, & d' Ende: mais il ne paroît pas qu' il ait pénétré dans l' Isle de Timor, ni que les Portugais, ou les Hollandois y ayent obtenu plus de faveur pour le Chriſtianiſme* =.

Digitized by Google

cum numquam ipſi ſermonem conſerere potuerant, ſed & non aliud tandem narraviſſe, niſi pauca ſeſe apud illos detexiſſe Religionis veſtigia.

Dampierus autem de Inſula, cui Sabuda nomen, ad quam anno 1700. delatus eſt, verba faciens, quid tandem de Barbarorum illorum impietate narravit? Nimirum ſe, cum quaenam eſſet eorumdem Religio internoſcere non poſſet, hoc tantum tuliſſe judicium; non eſſe ipſos Mahummedanae ſuperſtitioni mancipatos, cum generoſos liquores eodem, quo Angli utebantur, poculo haurire non dubitarent.

Gravius eſt, quod idem Dampierus de Auſtrali alia Inſula retulit, quae *Timor* appellari ſolet: videlicet ſe, cum eamdem peragraret, cognoſcere voluiſſe, quaenam ibi Religio eſſet, ac certiorem fuiſſe factum, eſſe Religionem omnino nullam.

At impavidus ille Navita, qui certe ſecare potius aequor, quam rimari ſenſus hominum noverat, quam diligentiam ad rem tantam cognoſcendam adhibuit? quo uſus eſt interprete? quid ipſo tandem nomine Religionis intelligi voluit? Scimus enim Viatores profecto non paucos Religionem ibi nullam agnoviſſe, ubi neque Templa conſurgere, neque Sacerdotes initiari, neque mactari victimas, neque adoleri thura, neque dies feſtos celebrari viderant, aut audiverant; cum tamen, ut aliquando certis argumentis deprehenſum eſſe diximus, non eſſet in iiſdem regionibus ſapientiſſimi rerum omnium Conditoris obliterata cognitio, imo neque penitus officiorum deleta memoria, quibus homines eidem referre aliquam gratiam & poſſint, & debeant. Itaque Criticus omnino levis ille ſit oportet, qui ne Dampieri forte laedatur auctoritas, durius aliquod judicium de Barbaris illius Inſulae ferendum eſſe pronunciet, quod de Barbaris aliarum quarumcumque regionum ferri ſine injuria non poſſe, vetus omnis, atque recentior hiſtoria declarat.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Inſulis, quae Dos Palaos, aut Novae Philippinae vocari ſolent; ubi & de Carolinis.

„ NON *ita Dardanio gaviſus Atrida triumpho eſt,*
„ *Cum caderent magnae Laomedontis opes:*

ut gaviſus eſt Baylius noſter, cum in Jeſuitarum epiſtolis, & in ipſis Clementis XI. litteris ad Reges Chriſtianiſſimum, atque Catholicum, & ad Archiepiſcopos Mexicanum, atque Manhilenſem datis, nationem, quae & Athea eſſet, & optimis, quamvis Athea, moribus imbuta, ſibi deprehendere viſus eſt (*a*). Ea ſcilicet natio eſt, quae inſulas tenet, paulo ante initium hujus noſtri Saeculi detectas, quae *dos Palaos* ab Hiſpanis, aut Novae Philippinae nuncupari ſolent (*b*). Jacent autem illae inſulae inter antiquas Philippinas, atque Marianas, ut Clemens idem XI. nec non Ludovicus Magnus, cum de iiſdem ad Philippum V. Regem Catholicum ſcriberent, teſtati ſunt (*c*).

Sed, ut a Clementis graviſſimo teſtimonio initium ſumamus, quid habet ille tandem, quod Baylio favere poſſit? Videlicet cum Reges ille Galliarum, atque Hiſpaniarum, non magis opibus, & imperio, quam pietate, ac religione prae-

(*a*) *Réponſ. aux queſt. d' un Provinc. III. P. C. XII. p. m.* 929. Qua ratione detectae ſint illae inſulae videre potes in epiſtola Patris Clain *Lettr. édif. Rec. I.* ſub finem, aut in narratione P. Le-Gobien, quam fere ad verbum La-Martiniere deſcripſit, habes autem *Lettr. édif. Rec. VI.* ubi etiam legere potes Pontificias, ac Regias litteras, de quibus loquimur.

(*b*) Anno 1696. Naufragi, de quibus dicemus, Hiſpanorum litora tenuerunt.

(*c*) Vide Cartam, ut dici ſolet, Geographicam earum Inſularum apud P. Le-Gobien, & cum carta conferas Carolinarum, quam dedit P. Cantova *Lettr. édif. Rec. XVIII.* Vide etiam Echard *Diction. Geog. Portat.*

Digitized by Google

praeſtantes hortaretur, ut Barbaros, de quibus loquimur, Evangelica doctrina imbuendos curarent, famam indicavit, quae ſpem apoſtolici pectoris non mediocriter alere videbatur. Fama enim ferebat, eos populos & ab ea ſuperſtitione, quam *Idololatriam* appellamus, alienos omnino eſſe, & bona indole praeditos, facilique natura, & Chriſtianae Legi recipiendae non impares.

At quid eſt in his omnibus, quo Baylius uti potuerit, ut gentes eaſdem faceret Atheiſmi reas? Num quod *Idola* non colere dicuntur? num quod non Ethnica ſuperſtitione laborare? Ridicula, ut verum fatear, Bayli, mihi videtur tua iſthaec populos integros accuſandi ratio. Quid enim? Plurimos jamdudum cenſebas Atheos eſſe dicendos, quod *Idola* colerent, ac Deos eadem eſſe putarent. Nunc vero ſcenam repente convertis, & eos, qui non videantur eodem furore capti, propter hanc ipſam cauſam Atheos eſſe contendis. Pugnantia te loqui non vides? Ubi eſt acumen tuum?

Caeterum hoc eodem loco ingenuum Lectorem cenſemus eſſe monendum, famam illam, de qua loquitur Clemens, non omnino veracem poſt annos plures fuiſſe deprehenſam. Neque tamen advertere neceſſe eſt, nihil hinc aut Romani Pontificis, aut ſanctiſſimi, doctiſſimique hominis auctoritati deperire.

Validius eſt argumentum, quod a Jeſuitarum epiſtolis deſumi poteſt ad eorumdem Barbarorum Ἀθεότητα demonſtrandam. Nam Paulus Claenius Soc. Jeſu Sacerdos (*a*), cum valde accuratam de Inſulis, ac gentibus iiſdem tunc primum cognitis epiſtolam exararet, diſerte ſcripſit ad eam diem non potuiſſe ullum indicium reperiri, quo Divinitatem ii Barbari ullo modo cognoſcere, aut *Idola* colere viderentur. Similia deinde Carolus Gobienus ſcripſit (*b*), ſimilia quidam alii tradiderunt.

At

(*a*) *P. Paul Clain.* Vid. ejus epiſtol. *Tom. I. Lettr. édif.* quam citavimus.

(*b*) Vid. ejus *Hiſt. des Isles Marianes;* & epiſt. aut narrat. *To. VI. Lettr. édif.*

At primo quidem advertere juvat, quae de Palais in ea epiſtola narrantur a Claenio, quem caeteri ſecuti ſunt, ad rem noſtram pertinentia, duarum ancillarum fide, atque auctoritate muniri (*a*). Cum enim Palai nonnulli horrida tempeſtate in litus Inſulae, quae *Samal* dicitur, conjecti eſſent, ab Hiſpanis humaniſſimo hoſpitio accepti, cibiſque recreati ſunt, & omni officiorum genere adjuti, verbis profecto non paucis ultro, citroque habitis. Jam ſermonum iſtorum non alii fuerunt interpretes, quam ancillae duae, de quibus diximus, olim ab Inſulis illis iiſdem ad Samaliae littus eodem, opinor, vento compulſae, quae tamen regionis hujus linguam non optime callebant. Jam in ſermonibus iiſdem Hiſpani Barbaros de Religione, ac Divinitatis notitia interrogarunt, ac non alia, quam quae Claenius narravit, exculpere potuerunt. Quis jam in hoc toto negotio aliquem errorem non ita levem intervenire facile potuiſſe, non putet?

Deinde Claenium, atque Gobienum fuiſſe deceptos vel inde patet, quod mira quaedam de Barbarorum illorum facilitate, atque humanitate, optimaque indole narraverint, quae nulla veritate fulciri, poſtea deprehendimus. Nam duo Sacerdotes Hiſpani, Duberonius, atque Cortilius (*b*), qui poſt Serranum naufragio perditum, ad Novas Philippinas, Evan-

(*a*) De iis P. Clain = *Comme elles ſçavoient un peu la langue de ce païs, elles ſervirent d' interpretes, & c' eſt par leur moyen qu' on apprit ce que je dirai dans la ſuite &c.* =. Jam inter ea, quae deinde dicit eſt etiam illud = *Il n' a pas paru juſqu' à preſent, qu' ils ayent aucune connoiſſance de la Divinité, ni qu' ils adorent des Idoles. On n' a remarqué en eux qu' une vie toute barbare. Toute leur ſoin eſt de chercher à boire, & à manger &c.* =...

(*b*) P. Duberon, & P Cortil. Accidit autem id anno 1710. Crudele facinus ab Hiſpanis poſtea certis indiciis deprehenſum eſt. Vide epiſtolam Patris Cazier datam anno 1720. *Lettr. édif. Rec. XVI.* Hinc, inquam cognoſcere potes, quam deceptus fuerit praecipue Gobienus (*le P. Charles Le Gobien*), qui maximis humanitatem, ac bonam indolem illorum laudibus extollit; imo iiſdem credit, numquam in regione ipſorum evenire, ut homo hominem occidat, quin & in proverbium apud eos hoc abiiſſe.

Digitized by Google

Evangelii promulgandi cauſa navigarunt, cum ad eas appuliſſent, ac mox Navis, qua vecti fuerant, impetu currentium aquarum fuiſſet abrepta, tam bene recepti ſunt ab humaniſſimo illo populo, ut non modo mactarentur veluti hoſtes, at veluti etiam viliſſima pecora vorarentur (*a*). Quare praeclaram ſcilicet Hiſpanis gratiam homines bonae indolis pro illo, de quo diximus, hoſpitio liberalitatis, & humanitatis pleno rependerunt.

Quanto melius ii Barbari a Carolinis, quam a Claenio, vel Gobieno cogniti ſunt! Carolini ſiquidem P. Cantovae narrarunt (*a*), Palaos propter inſignem crudelitatem a proximis gentibus odio haberi, ac veluti generis humani hoſtes evitari.

Quamobrem cum illi Scriptores in re tanti momenti tantopere decepti fuerint, quis jure non ſuſpicetur, etiam in eo, quod magis proprie pertinet ad quaeſtionem hanc noſtram, fuiſſe deceptos?

At de Carolinis iiſdem accuratum jam, atque proprium habere ſermonem operae pretium exiſtimo. Pertinent ii populi ad Auſtrales Inſulas, a Novis Philippinis non ita longe diſſitas, quas Hiſpani quidem eſſe jam ſenſerant, atque Carolinarum nomine donaverant, ſed nemo in eaſdem inferre pedem, aut mores populorum cognoſcere potuerat; cum anno Domini 1721. ipſi ſeſe Carolini cognoſcendos Marianarum Inſularum Colonis exhibuerunt. Nam duae Cymbulae illorum vi tempeſtatis, ac fluctuum ad Marianarum inſularum maximam, quae *Guaban* appellatur, fruſtra renitentibus nautis, delatae ſunt. Homines rerum omnium egenos benigno excepit hoſpitio, ac per menſes bene multos

(*a*) Vide epiſtolam, ex qua multa jam afferemus. P. Cantova *Lettr. édif. Rec. XVIII.* inter caetera ſcribit = *que les Indiens des Carolines regardent cette nation avec horreur, comme l'ennemie du genre humain, & avec laquelle il eſt dangereux d'avoir le moindre commerce* =. Teſtatur autem ipſe Cantova teſtimonium hoc valde cum iis conſonare, quae de Palais P. Bernardus Meſſia retulit.

tos aluit, ac fovit Hiſpanorum Charitas, praeceptorum Chriſti Domini noſtri, conſiliorumque non immemor.

Tunc Joannes Antonius Cantova, Societatis Jeſu Sacerdos, familiariter cum Barbaris agere inſtituit, ac multis officiis eorum animos ſibi conciliavit, ut Chriſto lucrari poſſet: quin & in Carolinas inſulas cum iiſdem commigrare, & Evangelii lucem inferre geſtiens, barbaricum ſermonem incredibili diligentia didicit, ac multa de moribus, multa de ritibus, ac religione, ſeu potius de ſuperſtitione, quae Carolinas, atque adeo reliquas Auſtrales Inſulas occuparet, percunctatus eſt. Etenim ii Barbari non modo ſuas Carolinas, ſed & Novas Philippinas, & reliquas Auſtrales, vix cognitas noſtris hominibus, optime noverant, cum mare illud ampliſſimum quidem, ſed crebris inſulis conſitum concurſare ſuis cymbulis, atque, ut ita dicam, metiri conſueviſſent.

Itaque de Inſulis illius Oceani quae Cantova retulit, quae, inquam, de Numinibus, ac Religionis aliqua ſpecie tradidit, ad Palaos etiam illos pertinere debent, quos nominatim Atheiſmi Baylius accuſat. Id vel ex eo maxime patet, quod exponens Cantova quid a Carolinis didiciſſet, Inſulas innumeras ejuſdem Oceani partitur in provincias omnino quinque, quarum una Novas Philippinas, aut *Dos Palaos*, ut vocant Hiſpani, complectatur. Tum Cantova nullam exceptionem adhibens, ea continuo ſubdit de miſeris Auſtralium Inſularum habitatoribus, quae non penitus omnem excellentis cujuſdam, atque humana longe melioris, perfectaeque Naturae cognitionem apud eos fuiſſe deletam oſtendunt. Ergo Cantovae teſtimonio, ſi quid ei tribuendum ſit, non modo generatim Auſtrales Inſulae, in quibus minuti quidam Scriptores populos Atheos deliteſcere autumant, ſed illae ſingillatim defenduntur, quas clientibus olim ſuis Baylius tanta confidentia vindicabat.

Quis autem erit in Catholicos tam vehementer iratus, ut Sacerdotis unius, quem Hiſpani ſemper omnes excellenti

lenti pietate, doctrinaque florere judicaverant, quem ad totam hanc rem cognoſcendam, non mediocrem profecto diligentiam attuliſſe vidimus, auctoritatem, duabus illis foeminis, & ancillis, & Barbaris praeponendam eſſe non putet?

Neque vero quiſquam ſuſpicari poteſt, Carolinos de ſuorum tantummodo civium loqui ſententiis potuiſſe, aut voluiſſe, aut de caeteris Auſtralium Inſularum habitatoribus a ſuis iiſdem civibus conjecturam feciſſe. Conſtat enim laudatam Cantovae epiſtolam legenti, ſatis accuratos eoſdem fuiſſe in ſententiis, ac populis, etiam quod pertinet ad rem noſtram, inter ſe diſtinguendis. Nam & incolas Auſtralis Inſulae, quam *Falupet* appellarunt, neque ad Carolinas, neque ad Novas Philippinas pertinentis, maximum quemdam, ac valde voracem piſcem adorare perhibuerunt (*a*); & alterius incolas, etiam a Carolinis, Philippiniſque diverſae, quam *Yap* vocarunt, Crocodilum venerari teſtati ſunt.

Quae cum ita ſint nihil jam reſtat aliud, quam ut videamus, quid ipſe Cantova tradiderit de Religione, atque opinionibus Barbarorum, qui Carolinas, ac caeteras Auſtrales Inſulas tenent. Nimirum ille teſtatus eſt, Barbaros eoſdem nullam fere notitiam Religionis habere, neque ratas caeremonias, certoſque ritus; quin etiam interrogatos aliquando, quis Coelos, atque Tellurem, & reliqua omnia condidiſſet, quae noſtris oculis uſurpamus, reſpondiſſe ſta-

(*a*) Vid. laud. ep. Cantovae, ubi de magna Inſula *Falupet* dicitur = *Les habitans adorent le Tiburon, eſpece de poiſſon cetacée, extrêmement vorace; que ces Inſulaires ſont Negres pour la plûpart, & des moeurs ſauvages, & barbares. C'eſt tout ce qu'ils en ſçavent; encore n'ont ils ces connoiſſances, que par quelques habitans de ces Isles, que la tempête avoit jettés ſur leurs côtes* =. Ibid. = *Les habitans de l'Isle d'Yap ont un culte plus groſſier, & plus barbare. Une eſpece de Cocodrile eſt l'objet de leur veneration. C'eſt ſous cette figure, que le Démon exerce ſur ces peuples une tyrannie cruelle &c.* =.

tim, ſe nihil horum ſcire (*a*). Sed tamen iidem Naturas, ut jam ſignificavimus, eſſe tradunt, quibus cum homines com-

(*a*) Cum quinque illas, de quibus diximus, diſtinxiſſet Provincias, Cantova ſubdit = *Voilà comme vous voïez, mon R. P., un grand Archipel, dont les habitans ſont bien dignes de compaſſion: ils n'ont preſque aucune ideé de Religion, ils vivent ſans culte, & dépourvûs de la plûpart des connoiſſances les plus propres de l'homme raiſonnable. Ie leur ai demandé, qui avoit fait le Ciel, & la Terre, & toutes les choſes viſibles; ils m'ont répondu qu'ils n'en ſçavoient rien...... Ils reconnoiſſent néantmoint de bons, & de mauvais eſprits; mais, ſelon leur maniere de penſer toute materielle, ils donnent à ces prétendus eſprits un corps, & juſqu'à deux, ou trois femmes. Ce ſont, ſelon eux, des ſubſtances celeſtes d'une eſpece différente de celles qui habitent la terre* =. Quoniam ea Cantovae epiſtola non ita vulgata eſt, ut facile omnes ipſam Lectores noſtri habere poſſint, operae pretium me facturum putavi, ſi particulam illius hoc loco deſcriberem, quam certo inſpicere debeat, atque perpendere, quicumque Lafitoji doctrinas aut defendere velit, aut impugnare. Habet enim Spiritum coeleſtem, qui *Sabucour* dicatur, filium habuiſſe *Eliulep*, hoc eſt, ſi vim barbarae vocis attendas, Magnum Spiritum, ac filiam *Ligobund*: Uxorem autem, ex qua illos ſuſceperit, *Halmelul*. Hic multa de Juvene quodam, ac matre illius; quae duo ſcilicet Numina Apollinem, ac Latonam referre videntur; multa de aliis quoque Numinibus. Tum ſubdit = *Ligobund ſoeur d'Eliulep, ſe trouvant enceinte au milien de l'air, deſcendit ſur la terre, ou elle mit au monde trois enfant. Elle fut bien etonnée de voir la Terre aride, & infertile. A l'inſtant de ſa voix puiſſante elle la couvrit d'herbes, des fleurs, d'arbres fruitiers. Elle l'enrichit de toute ſorte de verdure, & la peupla d'hommes raiſonnables. Dans ces commencemens on ne connoiſſoit point la mort; c'étoit un court ſommeil. Les hommes quittoient la vie le dernier jour du declin de la Lune, & dès qu'elle commençoit à reparoître ſur l'horiſon, ils reſſuſcitoient comme s'ils ſe fuſſent reveillés après un ſommeil paiſible. Mais un certain Erigiregers, eſprit mal intentionné, & qui ſe faiſoit un ſupplice du bonheur des humains, leur procura un genre de mort, contre le quel il n'y eut plus de reſſource... Ainſi l'appellent-ils Elus Melabut, c'eſt-à-dire, mauvais eſprit, eſprit mal-faiſant, au lieu qu'ils appellent les autres eſprits Elat Melafirs, qui ſignifie bons eſprits, eſprits bien-faiſans. Ils mettent au rang des mauvais eſprits un certain Morogrog, qui aïant été chaſſé du Ciel pour ſes manieres groſſieres, & inciviles, apporta ſur la Terre le feu, qui avoit été inconnu juſqu'alors &c.* =. De *Oul:fat* filio Numinis *Lugueileng*, & *Eliulep* nepote ita fabulantur = *Ce jeune homme aïant ſçû, que ſon pere étoit un eſprit celeſte, dans l'impatience de le voir, prit ſon vol vers le Ciel, com-*

comparari non poſſint, & quae coeleſtes, beataſque ſedes tenere ſoleant.

Ea vero de Naturis ipſis animantibus, & intelligentibus fabulantur, quae non levem cum tritis illis Graecorum poëtarum commentis ſimilitudinem gerant, ac certe a Laſitojo adhiberi potuerint ad non paucas opiniones, quas in libro de Silveſtrium Americanorum moribus expoſuit, probandas, atque muniendas. Nam & Saturnum in illis, & Opim, & Jovem, & Junonem, & Latonam invenias, & Apollinem, atque Dianam, quin & Prometheum, qui tulerit in terras ignem, & Icarum, atque Phaëtontem e Coelo praecipites, & Deos neſcio quos Penates, & alia non pauca, quae Barbari ſcilicet ab aliquo Heſiodi, vel Homeri Lectore didiciſſe videantur.

At, quod magis ad rem noſtram pertinet, non omittendum hoc loco mihi videtur, Numinum illorum Barbaros, qui ab omni fere cultu religioſo dicuntur alieni, non ita levi reverentia capi. Etenim, cum fama ſit apud illos, in Inſula, quae *Falalu* dicitur, Lacum eſſe puris aquis, atque cryſtallinis, quo Numina ſeſe, lavandi cauſa, vel na-

comme un nouvel Icare. Mais à peine ſe fut-il élevé dans les airs, qu' il retomba ſur la Terre. Cette chûte le déſola, il pleura amarement ſa malheureuſe deſtinée; mais il ne déſiſta pas pour cela de ſon premier deſſein. Il alluma un grand feu, & à l' aide de la fumée il fut porté une ſeconde fois en l' air, & parvint juſqu' aux embraſſemens de ſon pere celeſte = Tum ea ſubdit, quae nos etiam narramus de Lacu inſulae *Falalu*. Deinde = *ils donnent une ame raiſonnable au Soleil, à la Lune, & aux Etoiles, où ils croïent qu' habite une nombreuſe nation celeſte.... Telle eſt la doctrine des habitans des Isles Carolines, dont néanmoins ils ne paroiſſent pas être fort entêtés; car bien qu' ils reconnoiſſent toutes ces fabuleuſes Divinités; on ne voit parmi eux ni Temple, ni Idole, ni Sacrifice, ni Offrande, ni aucun autre culte extérieur. Il n' y a qu' à quelques-uns de leurs defunts, qu' ils rendent un culte ſuperſtitieux.... Ils mettent auprès du cadavre diverſes ſortes d' alimens, dans la perſuaſion où ils ſont que l' ame du defunt les ſuce, & s' en nourrit. Ils croyent qu' il y a un Paradis, ou les gens de bien ſont récompenſés, & un Enfer, où les méchans ſont punis...... Chaque famille a ſon Tabutup auquel on s' adreſſe dans ſes beſoins* =.

Digitized by Google

tandi, conferre ſoleant, nemo illuc audet accedere. Vereri etiam videntur, ne ſibi quidquam ſimile contingat, atque olim, ut Graeci fabulantur, Actaeoni, de quo tritum illud Ovidii:

„ *Inſcius Actaeon vidit ſine veſte Dianam;*
„ *Praeda fuit canibus nec minus ille ſuis:*

aut ſaltem quod Tireſiae accidit, de quo praeclare Graeci Callimachi verſus Callimachus alter Illyricus (*a*) Latine reddens:

„ *Solus adhuc, juvenem catulis comitantibus, ibat*
„ *Tireſias, ſacra ſe per loca circumagens:*
„ *Atque, ſiti aridulus longa, prope flumina venit,*
„ *Nec ſponte, infelix, vidit in amne Deam.*
„ *Quem, flagrante ira, tamen eſt adfata Minerva;*
„ *Nam quis te amiſſis hinc rediturum oculis,*
„ *Quis*

(*a*) Raymundus Cunichius *in Anthologicis p.* 188. 189., meus olim praeceptor, carminum ſuavitate, & elegantia cum poëtis aurei, quod vocant, ſaeculi comparandus. Callimachi Graecos verſus hic deſcribemus, ut doctus Lector judicium ferat, utrum ille, an Raymundus noſter pulchram fabellam nitidius, & elegantius expreſſerit. Ita enim Callimachus *in celebri Elegia, ſive Hymno in Lavacrum Palladis.*

Τειρεσίας δ' ἔτι μῶνος ἅμα κυσὶν, ἄρτι γένεια
Περκάζων, ἱερὸν χῶρον ἀνεστρέφετο.
Διψάσας δ' ἄφατόν τι, ποτὶ ῥόον ἤλυθε κράνας,
Σχέτλιος. οὐκ ἐθέλων δ' εἶδε τὰ μὴ Θέμιδος·
Τὸν δὲ χολωσαμένα περ, ὅμως προσέφασεν Ἀθάνα·
Τίς σε, τὸν ὀφθαλμὼς οὐκ ἔτ' ἀποισόμενον,
Ὦ Εὐηρείδα, χαλεπὰν ὁδὸν ἄγαγε δαίμων;
Α μὲν ἔφα, παιδὸς δ' ὄμματα νὺξ ἔβαλε·
Ἑστάθη δ' ἄφθογγος· ἐκόλλασαν γὰρ ἀνίαι
Γόνατα, καὶ φωνὰν ἔσχεν ἀμηχανία.

Meum porro, ſi quaeras, judicium eſt, neque alio modo, quam Cunichius, Callimachum, ſi Latino ſermone uti conſueviſſet, neque alio, quam Callimachus, Cunichium, ſi Graeco, fuiſſe locuturum.

Digitized by Google

„ *Quis malus, Everida, haec te Deus in loca duxit?*
„ *Sic ait; at puero nox premit atra oculos.*
„ *Obſtupuit; vox preſſa, artus tremuere, comaeque*
„ *Horrent, verborum conſiliique inopi.*

ac caetera elegantiſſime.

Sed, ne Barbarorum obliviſcamur, de quibus a nobis inſtitutus eſt ſermo, quamvis ii neſcire ſe dicant, quis mundum univerſum architectus molitus fuerit, atque condiderit, Deam tamen quamdam narrare ſolent, cum deſcendiſſet in tellurem hanc noſtram, & aridam omnem, ac ſterilem non ſine admiratione circumſpexiſſet, ſuae vocis unius, cui cuncta pareant, efficacitate, veſtiviſſe repente totam floribus, herbis, arboribus, frugibus, quin & hominibus repleviſſe, qui mentis eſſent, rationiſque participes.

Haec, inquam, aliaque ſimilia Cantovae a Carolinis narrata doctrinam continere videntur, quae in Inſulis fere omnibus illius vaſtiſſimi aequoris vigeat; duabus nimirum illis *Falupet*, atque *Yap* exceptis, quas Carolinorum ipſa fides, ac diligentia videtur excepiſſe.

Neque huic meae ſententiae quidquam officit, quod his, aliiſque narratis, Cantova doctrinam hanc eſſe Carolinorum ſubdat, quam tamen non magna pervicacia tueri videantur. Etenim quod ille de Carolinis affirmat, non ideo ſtatim de caeteris Inſularum Auſtralium habitatoribus negat.

Sane Cantova non debet maximae negligentiae nulla ſatis valida prolata ratione argui. Atqui maximae negligentiae fuiſſet, cum de Inſulis omnibus Auſtralibus loqueretur, in illo Mari noſtris hominibus fere incognito latitantibus, cumque univerſas in quinque provincias partiretur, illarum habitatores, dicere, neſcio quas amplecti opiniones, atque ſententias, ne levi quidem ſignificatione facta, jam de una tantum provincia ſermonem inſtitui, ſi

vere

vere de una tantum provincia ſermonem inſtituiſſet. Nonne maximae negligentiae, atque inſcitiae merito reprehenderer, ſi de Hollandia, vel de Anglia generatim diſſerens, illius ego regionis incolas eſſe dicerem Romanae Religioni addictos, niſi me tantum de aliquibus, non de omnibus, aut fere omnibus loqui ſignificarem?

Itaque de ſolis Carolinis ea tantum interpretor, quae, cum jam de Carolinis ipſis videtur ſingillatim agere, Cantova narrat: ea praeſertim, quae de Sacerdotibus narrat neſcio quibus eos populos decipientibus, quae de honoribus, quibus mortuorum animos proſequuntur, quae de poenis, aut praemiis alterius vitae, quae de Manibus maximam domorum olim ſuarum curam gerentibus, atque alia ſimilia.

Quamobrem graviſſimo Cantovae teſtimonio ſatis, opinor, Scriptores illi refutantur, qui cum non poſſent in regionibus antea cognitis Atheiſmo praeſidium ſatis validum invenire, Atheos ex illis Auſtralibus Inſulis, quarum nomina vix tenemus, arceſſere, & cum reliquo, ſi Superis placet, humano genere committere non dubitarunt.

CAPUT XI.

De Inſulis Marianis.

QUi Barbaros Marianarum Inſularum Indigenas, quod ferrea quaedam inſtrumenta, vileſque alias merces Hiſpanorum ſemel navigio ſurripuerint, infami, eodemque perpetuo nomine Latronum injuria notatos fuiſſe putavit, Carolus Gobienus, ipſe, quamvis imprudens, atrociore, niſi fallor, eoſdem populos affecit injuria, cum nullam Religionem ſecutos fuiſſe ſcripſit, ac nullam prorſus agnoviſſe Divinitatem (*a*). Gobieni teſtimonium Baylius arripuit, ac

(*a*) Carolus le Gobien *Hiſt. des Jsles Marianes* = *ne reconnoiſſoient aucune Divinité* =.

ac maxima, qua pollebat, ingenii dexteritate urgere non deſtitit (*a*).

Sane Gobienus & homo fuit eximia doctrina excultus, & diligentia omnino ſingulari mores Barbarorum cognoſcere conatus eſt, atque ſententias; ut ipſi eius libri, epiſtolaeque teſtantur. Advertit etiam Baylius, Gobienum ſocietatis ejus hominem fuiſſe, cujus profecto non intererat populum quemvis Atheum inducere. Quis igitur illius teſtimonium in hac noſtra cauſa non maximi faciendum exiſtimet? quis, non dicam homines aliquot, ſed plures plurium Inſularum populos Atheos inventos eſſe non fateatur?

Antequam ad iſta reſpondeam, aliquid juvat hic de Latronibus ipſis advertere, ut videant adverſarii, quamvis Atheos illos fuiſſe concederemus, ſe non habituros, de quo magnopere gloriari poſſint. Ut enim inſignem feritatem, ac caetera vitia cum Barbaris aliis communia ſilentio praetermittam, ita certe imperiti, rerum omnium rudes, ignarique fuerunt, ut crudeles terras, ac litus avarum, antequam illuc Hiſpani migrarent, & bonae artes, & Humanitas omnis, & ipſa Veritas fugiſſe videretur.

Quid enim? Poteſtne majus aliquid ad illius gentis inſcitiam addi, quae ipſius ignis uſum ignoret? Ignorarunt tamen Latrones. Poteſtne aliquid afferri, quod magis incredibile videatur, quamvis omnino verum, quam nationem integram tanta rerum cognitu faciliorum ignorantia premi, ut Ignem ipſum exiſtere, numquam animadverterit? Numquam Latrones animadverterant. Itaque cum illum primo viderunt ab Hiſpanis ad inhoſpitas caſas comburendas adhibitum, animal eſſe putarunt, quod per paleas, ac ligna cum tanto ſtrepitu ſerperet, eademque devoraret; neque antea ſciverunt, quanta eidem animali vis ineſſet, quam comprimere conati flammas, aut in fugam convertere, manus pedeſque uſtulatos cum novo quodam doloris vehementiſſimi ſenſu retulerunt. Hunc

(*a*) *Contin. des penſées ſur la Comete* §. *XIV. p.* 57. &c.

Hunc igitur ego populum conſulam, cum quid homines de Divinitate ſentiant, aſſequi cupio? hunc, inquam, inter homines potius, quam inter bruta animantia recenſebo?

Sed tamen hic idem populus levi quadam ex parte notionem Divinitatis ſervaviſſe mihi videri ſolet, quam multo pleniorem, atque clariorem populi ſervant ingenuis artibus, ac liberalibus diſciplinis eruditi. Nam primo quidem licet Hookius nullum Gobieno poſſe teſtem opponi conqueſtus fuerit, eos opponi arbitror poſſe, qui Barbaros, de quibus loquimur, *Idolorum* eſſe cultores diſerte ſcribunt, ut Davitius, ut alii (*a*). Etenim qua ratione dicendi ſint Ethnici non prorſus omnem Divinitatis amiſiſſe notitiam, non ſemel explicatum a nobis eſt.

Deinde quaedam a Gobieno ipſo, pluribuſque aliis narrata, non obſcure, niſi fallor, id oſtendunt, quod propoſuimus. Putant enim, aut putabant potius, Marianarum Indigenae non modo animos hominum pereuntibus corporibus eſſe ſuperſtites, at in beatas abire ſedes, ubi voluptatibus affluant, qui bona ſoluti morte fuerint; contra vero, qui mala, in Inferna loca detrudi, maximis cruciandos, aeterniſque ſuppliciis. Etenim in iis locis malignum eſſe ſpiritum, *Chayſi* appellatum, fabulabantur, qui poenis quibuſdam exquiſitiſſimis vexare mortalium animos in deliciis haberet; quin & perpetuis eoſdem ab illo torreri flammis, cum primum flammas cognovere, ſuſpicati ſunt.

Pretioſum hoc, & illuſtre vetuſtiſſimae traditionis monumentum diceres, niſi mortalium omnium ſtolidiſſimi non aliam bonam eſſe mortem, niſi naturalem, non aliam vero malam, niſi violentam interpretati eſsent, ac niſi Cayſio illi tam atroci humani generis hoſti captivorum ſanguine litandum eſſe judicaviſſent.

At certe qui ea ſenſerunt, aut nullo modo rationis com-

(*a*) Daviti *de l' Amerique* citatus *in ſupplement. ad Morerii Dictionar. Art. Marianes*.

Digitized by Google

compotes dicendi ſunt, atque hinc neque digni, ut in hac noſtra cauſa de ipſis habeatur ſermo; aut praeter Cayfium vim neſcio quam, intelligentia praeditam, ac mortuorum animis dominantem exiſtere ſenſerunt. Nam niſi vim eam agnoviſſent, quomodo aliquid de illa diviſione animorum excogitaſſent, ut alii reciperentur in beatis ſedibus, alii vero ſtatim raperentur ad Tartara? Animi certe omnes ſibi relicti beatarum ſedium iniviſſent viam. Cayfius autem, poteſtate ſibi facta, cum tam ſaevus eſſet humani generis hoſtis, univerſos rapuiſſet ad poenas. Eſſe aliquis igitur debet veluti judex, qui bonos illos animos, aut potius felices, praemiis, caeteros autem poenis addiceret, aut ſaltem a Cayfio addici permitteret.

Praeterea nonne ſtatim ea cogitatio debuit barbaris illis mentibus occurrere; aliquem eſſe qui beatis praeſit ſedibus, qui bonis compleat animos, ac voluptatibus, qui futuros rerum exitus pandat? Mortuos enim eſſe futurorum praeſcios, tam certo ſibi perſuaſerant, ut hinc neſcio quos circulatores, quamdam Divinationis artem ope mortuorum, ut jactabant, exercentes ſummo in honore haberent.

Jam vero ea vis, ille judex, ille coeleſtium ſedium dominator, ac rector notionem, quamvis imperfectam, atque confuſam ingerit ſupremae Divinitatis. Quamobrem Gobienus, qui Divinitatem ab iiſdem Barbaris agnitam eſſe negat, aut non ſatis coſtare ſibi dicendus eſt, ut non pauci fatentur, aut idonea quadam ratione explicandus. Etenim fortaſſe, (quod etiam de Choméo Chiriguanos accuſante, ac de Claenio, eodemque Gobieno Palaos inſimulantibus, dicere potuiſſemus,) Divinitatem ab iis non agnoſci putavit, qui Mundi conditorem, atque Gubernatorem, bonitate, potentia, ſapientiaque maxima praeditum exiſtere, minime faterentur.

Si haec tibi explicatio non ſatis arrideat, & Gobienum tamen defendere velis, vim gallicae vocis, qua ille uſus eſt, ita poteris interpretari, ut Divinitatem tantummodo

 ne-

neget ab iiſdem Barbaris certos quoſdam Templorum, Sacrificiorum, & Caeremoniarum, ac Rituum honores habuiſſe (*a*).

CAPUT XII.

De regione, quae Yedſo dicitur prope Iaponiam.

CUM nullam praeſeferre Religionem, ac nullam agnoſcere Divinitatem, non eamdem omnino rem eſſe dicendam ſaepe viderimus, habitatores ejus regionis, quae Terra *Yedſo* nuncupari ſolet (*b*), ab Atheiſmi calumnia defendere, ſupervacanei operis labor videri poteſt. Etenim non alio nomine ſunt ejus impietatis accuſati, quam quod nulla viderentur habere ſacra, nullum invocare Deum, cum vitam in ſilvis ferarum more tolerarent, & Virgilianum illud in eos optime caderet:

„ *Victum infelicem baccas, lapidoſaque corna*
„ *Dant rami, & vulſis paſcunt radicibus herbae.*

Quae tamen omnia non eſſe vera eo magis deprehendimus, quò magis infelices eos populos, & ipſorum mores, atque inſtituta cognoſcimus. Itaque tantum hic aliqua notamus, ut adverſariorum levitas, atque temeritas adhuc magis appareat.

Nam primo quidem Hollandi Nautae, qui regionem eamdem an. 1643. diligentius cognoſcere curarunt, non illam

(*a*) Nihil de Bruzeno La-Martiniere diximus, quod Gobienum ille de Marianis agens fuerit ſecutus, atque hinc eadem de ipſo, quae de Gobieno ſtatuenda.

(*b*) Dicitur etiam Terra *Leſſo*, aut *Yeco*, aut *Eſo*, aut aliis nominibus, de quibus vide La-Martiniere. Utrum inſula ſit, an Aſiae Continenti juncta dubitatur. De illa videndus Martinii *Deſcript. de la Chine*, Thevenot *Relat. de la Terre d' Eſo Tom. III. Ambaſſade des Hollandois au Iapon p.* 1. Charlevoix *Hiſt. du Iapon. Lib. XX. & XXV. &c.*

lam omni prorſus, ut quidam fingunt, Religione vacare, ſed aut nihil, aut certe non multum ibi Religionis eſſe retulerunt. Nam tantummodo, ajebant, notari potuit, Indigenas, cum prope Ignem biberent, quaſdam Ignis partes aquae guttis, velut in libaminis morem, aſperſiſſe, & alia leviſſima quaedam praeſetuliſſe Religionis indicia (*a*).

Caeterum bonos eoſdem nautas in populorum moribus cognoſcendis minus, quam in ſuperandis fluctibus praeſtitiſſe, vel hinc, niſi fallor, cognoſcere poſſumus, quod nullam in Terra *Ieſſo* publici regiminis eſſe formam, nullum alterius Dominum eſſe narraverint. Etenim Hollandos in ea re non leviter fuiſſe deceptos, ex pulcherrima Charlevoixii hiſtoria de rebus Japoniae colligere potes (*b*).

Et ea quidem hiſtoria non ex incertis quibuſdam ignotorum hominum narrationibus conſuta fuit, ſed ex litteris, ac teſtimoniis Catholicorum Sacerdotum, qui pene incredibiles pro Chriſti promulganda doctrina labores exantlarunt, diligenter omnino, fideliterque collecta. Jam in ea hiſtoria de Regulo agitur Civitatis *Matſumay* nuncupatae, atque in eadem Terra *Yedſo* conſtitutae (*c*). Praeterea graviſſimum recitatur Hieronymi de Angelis teſtimonium, qui cum Eccleſiae Chriſtianae fundamenta in ea regione jeciſſet, mox Barbarorum mores in epiſtola ad Societatis Jeſu moderatores data deſcribens, non modo publici regiminis apud eos formam agnoſcit, ſed & ſapientiſſimis regi ſcribit inſtitutis, & legibus (*d*).

 Sed

(*a*) Vid. *Voyages au Nord Vol. III. Relation de la découverte de la Terre de Ieſſo, ou Eſo...par le Vaiſeau le Caſtricoom en* 1643. Ibi = *Autant que nous en pouvions juger, ces peuples n' ont point de Religion, ou du moins ils n' en ont que fort peu; car on remarqua ſeulement, que lorſqu' ils buvoient auprès du feu, ils jettoient quelques goutes d' eau en divers endroits du feu, comme par forme d' offrande* =.

(*b*) Charlevoix *Hiſtoire du Iapon*.

(*c*) E. g. *Tom. V. Hiſt. du Iapon Lib. XV.*

(*d*) Vid. eodem libro. Ibi *p.* 21. P. Hieronymi De Angelis Soc. Jeſu epiſtolam illam in pauciora contrahens, haec etiam habet = *Cette Nation n' à qu' une idée fort confuſe*

Sed ut id perſequamur, quod noſtra magis intereſt, ejuſdem Hieronymi teſtimonio fretus narrat Charlevoixius infelici nationi non eſſe, niſi valde confuſam Divinitatis notitiam. Magnis enim, ut ipſe teſtatur, honoribus Solem, Lunamque proſequitur, cum bonorum omnium eſſe putet auctores. Regem praeterea neſcio quem populus idem veneratur, quem corporeis oculis obnoxium non eſſe fatetur, Montibus, Silvis, Maribus, atque Fluminibus dominantem; ex quibus omnibus ea quae ſuppeditent ad cultum, & ad victum tam facile ſibi homines acquirant, & parent. Nihilominus & Sacerdotes ipſis deſunt, & ritus, & quaevis publicae Religionis forma, ut vel hinc videas, quod hujus capitis initio diximus, mirifice confirmari.

Apud eumdem Charlevoixium (*a*) Maffeji teſtimonium legimus aſſerentis non aliam Barbaris noſtris eſſe Religionem, quam quod Coelum adorent; quae quidem verba a Scriptoribus quibuſdam aliis fere deſcripta videri poſſunt (*b*).

At neceſſe non eſt in re ſatis, opinor, manifeſta, jam alios vocare teſtes, aut Scriptorum verba deſcribere. Potius obiter hic iterum adverſarii monendi ſunt, ut non ita facile Viatoribus omnibus, aut Nautis aures praebere velint; aut potius, ut non ita temere ad alienos ſenſus eorum verba contorqueant.

CA-

fuſe de la Divinité; elle rend des grands hommages au Soleil, & à la Lune, qu' elle regarde, comme les Auteurs de tous les biens. Elle révére néanmoins un Roi inviſible, a qui elle pretend qu' appartiennent les Montagnes, les Forêts, les Mers, & les Rivieres, d' où les hommes tirent toutes les choſes néceſſaires à la vie; mais il n' a aucun culte reglé, & on ne voit à Matſumay ni Prêtre, ni aucune pratique extérieure de Religion =

(*a*) Citat, = *le P. Maffei au cinquiéme Livre de ſes Lettres, ſur les Mémoires des Chinois* = ibi inter alia = *Ils n' ont point d' autre culte religieux, que celui d' adorer le Ciel* =.

(*b*) E g. *in Supplem. ad Morer. Diction.* legitur = *Ils n' ont aucune Religion, ſi ce n' eſt celle d' adorer le Ciel, & les Aſtres &c.* =

CAPUT XIII.

Occaſione a Sinicis Monumentis accepta, Digreſſio fit ad probandum, contra noſtros adverſarios, Mundum ab aeterno tempore non eſſe.

CUM gentes immanitate barbaras, & liberalium artium prorſus ignaras, aliquo Divinitatis tangi ſenſu, hactenus oſtenderimus, aequum eſt, ut de quibuſdam humanioribus jam agamus, quas non omnino, ſed magna tamen ex parte Ἀθεότητος inſania laborare, quidam aut non ſatis eruditi, aut non ſatis aequi rerum aeſtimatores arbitrantur. Ac primo quidem Sinae, a Barbaria, de qua nuper egimus, non ita longe diſſiti, defendendi occurrunt (*a*); in quibus nempe plurimum adverſarii confidunt.

Sed antequam de Sinis litterarum gloria florentibus; hos enim Athei ſibi praecipue vindicant; hos Atheis concedi, praeclarus ille Atheorum patronus ſuo quodammodo jure poſtulare ſibi videtur; hos Graeculi noſtri aut damnandos eſſe, aut certe non abſolvendos, eo ſupercilio pronunciant, ut Minois cujuſdam partes, aut Rhadamanti commiſſas iiſdem fuiſſe dicas: itaque antequam de Sinis iiſdem ago, quorumdam adverſariorum hoc loco temeritatem, & inſcitiam caſtigandam puto. Etenim cum de Sinis agendum eſſe audiunt, magnos animos tollunt, ii praeſertim, qui mundum ab aeternis antea temporibus fuiſſe defendunt. Quare non modo idem a Sinis praeſidium, quod a reliquis populis, Divinitatis, ut ajunt, cognitione carentibus, petunt,

(*a*) Nihil addimus de Japponiae philoſophis, quamvis eorum pars Atheiſmi poſtuletur, quod ſatis eos vindicaverimus, ubi de doctrina egimus Buddae tributa. Eo enim nomine cum aliis Indis ipſi accuſati ſunt. Alia quidem apud eos eſt Secta, quae Diis providentiam adimit. At craſſum hunc errorem ab Atheiſmo diſtinguendum eſſe, alio loco docuimus.

tunt; ſed & ſacram Moſis hiſtoriam arguere mendacii Sinicarum ope Tabularum, & errorem, quo tantopere delectantur, auctoritate ſatis probata tueri ſe poſſe confidunt (*a*). Liceat itaque nobis hoc in opere, quae laeſam hiſtoriae digni-

(*a*) Monumenta Sinarum etiam Increduli alii Θεοπνευστῳ Scripturae anteponunt, e. g. Voltaerius *Eſſai ſur l' Hiſtoir. Génér. Ch. I. Philoſ. de l' Hiſtoir. Ch. XVIII.* Hujus etiam Scriptoris eo tandem evaſit audacia, ut dubitaverit cum impiis, quos impugnamus, an Deus Creator Mundi ſit agnoſcendus. Ita enim apud Nonnot. *Err. de Volt. Avant-Prop. T. II.* qui citat, *Mêlang. Poëm. ſur la Loi naturelle* = *Y a-t-il un Dieu Créateur? Ce qui eſt certain, c' eſt que tous les anciens Philoſophes ont enſeigné l' éternité du monde: c' eſt que toute l' antiquité a cru la matiere éternelle* = Quare mirum non eſt eumdem ceciniſſe (initio Poëm. *ſur la Loi naturelle*)

Soit qu' un Etre inconnu, par lui ſeul exiſtant,
Ait tiré depuis peu l' Univers du néant,
Soit qu' il ait arrangé la matiere eternelle,
Qu' elle nage en ſon ſein, ou qu' il regne loin d' elle &c.

Quod autem ille antiquos omnes Philoſophos Mundi aeternitatem credidiſſe; tam confidenter pronunciat, ad eam pertinet impudentiam, cui parem, ut alio loco ſignificavimus, difficile invenias. Profecto Ariſtoteles (*Lib. I. de Coelo C.* 10.) ſe ante alios omnes mundi aeternitatem aſſeruiſſe gloriatur. Cum autem Ariſtotelem produco, eum nempe teſtem produco, qui non modo acutiſſimo pollebat ingenio, ſed exquiſita quadam eruditione, ac veteris philoſophiae notitia florebat. Quare dicendum eſt ante Ariſtotelem, ſin minus neminem, certe admodum paucos, eoſque non ita magni nominis, in eam iviſſe ſententiam. Jonici profecto philoſophi Mundum aliquo tempore productum opinabantur, quamvis materiam ipſam aeternam ſtatuerint. At quaeſtio de Mundi aeternitate cum alia de aeternitate materiae imperite confunditur. Plato quidem a recentioribus quibusdam diſcipulis, iis praeſertim, qui Scholae Alexandrinae praeerant, ita explicatus eſt, ut cum Ariſtotele conſentiret. Ejus praeſertim illa verba producta ſunt ex Timaeo = Πᾶσα ἀνάγκη τόνδε κόσμον εἰκόνα τινος εἶναι =. *Omnino neceſſe eſt mundum alicujus imaginem eſſe* = Cum enim ſemper eadem ea neceſſitas fuerit, hinc ſemper fuiſſe mundum ex mente Platonis, recentiores illi Platonici colligebant. At facile eſt ea verba ſic explicare, ut non aliud ſignificent, niſi hunc mundum, ſiquidem Deus illum velit exiſtere, ipſius imaginem Dei eſſe debere. Platonis certe libros legenti manifeſtum eſt, non aliam celeberrimi philoſophi ſententiam fuiſſe, quam a Diogene Laërtio *de V. Phil. l.* 3. relatam = *Duo omnino eſſe rerum principia, Deum, atque materiam. Illum & mentem, & cauſam appellat. Eſſe autem materiam informem, & infinitam; ex ea concretiones fieri. Ea cum aliquando temere, & inordinate move-*

gnitatem contra impios defendimus, hanc quoque controverſiam leviter, & curſim attingere.

Primum enim illud eſt, in quo admirer hominum levitatem Sinicis monumentis quibuſvis fidem habentium, quod certa nolint ab incertis ullo modo ſecernere. Nam ſi de tabulis quibuſdam ſermo ſit, quae ſeriem annorum a ſaeculis Diluvio longe recentioribus auſpicantur, quin graviſſima iiſdem tribuatur auctoritas, nihil in hac quidem diſputatione repugno. Sin autem de aliis agamus, quae longe plura ſaecula, quam ſacrae, vel etiam profanae hiſtoriae, videntur inducere, non alia ratio eſt, cur ab incredulis noſtrorum temporum tantopere laudentur, niſi quod ſacris iiſdem libris contraria docere videantur.

At advertere debuerant & contra ſacrorum librorum hiſtoriam nihil poſſe produci, quod non facile diſſipetur, & ſeriem ſaeculorum, quae ab iiſdem ſacris libris eruitur, profanorum quoque Scriptorum, omnium fere aetatum, ac gentium, teſtimoniis mirifice confirmari; quod prae caeteris inter antiquos Euſebius, inter recentiores Grotius (a) obſervarunt. Sed contra Sinica illa monumenta, quid tandem eſt, quod objici jure non poſſit?

Sciunt enim homines in hiſtoria gentis illius cognoſcenda diu diligenterque verſati, tertio fere ante Chriſtum Saeculo, tertio item poſt Confucium, in Sina Regem, aut Imperatorem, ut vocant, extitiſſe, qui litteris, ac litteratis, & ſtudio deditis hominibus crudele bellum indixerit. Hunc porro ita ſaeviiſſe, ut doctos homines univerſos, eorumque libros perdiderit, & bibliothecas omnes ferro, flammaque vaſtaverit. Eos tantummodo libros immanis bellua ſalvos

eſſe

veretur, a Deo ait in locum unum coactam, quod ordinem temeritati praeſtare cenſuerit = quae profecto Mundi originem in tempore declarant. Multa hic de Stoicis, ac de ipſis Epicureis diſſerere poſſemus. At neceſſe nihil eſt in Voltaerii erroribus refutandis hoc loco longius immorari.

(a) Euſ. *Praep. Evang. L. I.* Grot. *de Verit. Relig. Chriſt. L. I. §. 16.*

eſſe juſſit, quibus medicorum, aut agricolarum, aut ſortilegorum artes continerentur. Optima quidem foemina Confucii, ac Memcii libros intra parietem, glutine, ut quidam ferunt, illitos, abdidiſſe traditur, ne prorſus cum tanta litterarum jactura interirent. Sub eadem tempora paucos quoſdam libros, qui e tanta clade ſupererant, humaniores quidam Sinae in cavernis, aut in majorum ſepulchris occuluerunt. Cum vero peſſimus ille bonarum artium inimicus multos annos regnaverit, ac duriſſima rei Sinenſium publicae tempora, per annos ab ejus morte fere 40., conſecuta fuerint, foediſſima regiones illas inſcitia occupavit, ut jam nemo fere in illis eſſet, qui non modo conficere libros, ſed & legere, aut auderet, aut poſſet. Tandem aliquando litterae coeperunt efferre caput, aut potius reviviſcere, familiae quintae Regum beneficio excitatae, qui ſatis intellexerant, ſalutem civium, & rei publicae incolumitatem doctorum praecipue hominum artibus contineri. Tunc primum libri, de quibus diximus, cum ingenti bonorum laetitia apparuerunt, ſed vel annorum injuria, vel etiam locorum, in quibus delituerant, madore corrupti. Quamobrem optimi litterarum patroni, ac pene parentes curarunt, ut quam optime fieri poſſet id temporis emendarentur, lacunaſque ſupplerent illi ſeniores, qui ſe porro pueros aliquid a majoribus natu didiciſſe gloriabantur (*a*). Quis jam hinc recte concludi non videt, ut librorum, quos nunc habent Sinae, aut non tanta ſit, quanta dicitur antiquitas, aut non ea certe debeat eſſe, quam iiſdem Sinae, nec non Europaei quidam tribuunt, auctoritas? Quis enim Senes obliviofos multa de ſuo addidiſſe non ſuſpicetur?

At quod conjecturae loco ponimus, ipſa monumenta magis aperte declarant, ſine ullo partium ſtudio conſiderata. Multa enim in iis deprehendimus, quae *Calculum*, ut vocant,

(*a*) Vid. du Halde *Deſcript. de la Chine*. Nomen autem Imperatoris, de quo loquitur, tam crudelis litterarum hoſtis erat *Xi-hoam-ti*.

cant, Aſtronomorum non ſuſtinent, multa ineptis fabulis depravata, multa temere ficta, multa cum reliquis manifeſte pugnantia (*a*). Alia praeterea ſunt, quae doctiſſimi homines De-la-hirius, Caſſinius, Valſechius (*b*), Niccolajus, & ipſe Freretius (*c*) in medium attulerunt, ut oſtenderent Χρονολογίαν ab iis monumentis erutam non poſſe cum Moſaica niſi temere comparari.

Praeterea quae de temporibus Fohio Rege antiquioribus narrantur = *Sinae ipſi*, ait graviſſimus auctor Martinius in Hiſtoria Sinica, *pro ſuſpectis habent, ut quae falſa, & ridicula quam plurima complectantur* = Contra vero, quae poſt Fohium accidiſſe dicuntur = *certiſſima*, inquit idem, *Sinis habentur, ea maximè, quae ad annorum ſupputandam rationem ſpectant* = Atqui tempora ejuſdem Fohii cum Χρονολογίᾳ Mo-

(*a*) Vid. Euſeb. Renaudot *Obſerv. in Iouvencii Hiſtor.* quamvis hic auctor caute ſit legendus, Nicolaum Longobardum *To. II. Epiſtol. Leibn. p.* 28. Samuel. Pufendorf. *Introd. a l'Hiſt. L. VI. C. II.* & qui philoſophiae ſcribunt hiſtoriam.

(*b*) Sufficiat afferre verba Cl. Valſechii, qui cum iis, quos laudavi, Sinenſi *Chronologiae* dignitatem detrahit *L. I. p* 59. = *Primieramente a cagione degli sbagli, che vi s' incontrano intorno all' Eccliſſi, ed altre congiunzioni celeſti in quegli Annali notate: inoltre perchè quella ſterminata eſtenſione d' anni, che in eſſi ſcorgeſi, non è già reale, ma immaginaria, altro non eſſendo che il riſultato di periodi aſtronomici inventati per dar la congiunzion de' Pianeti in certe coſtellazioni: finalmente perchè, ſiccome il lodato Signor Freret più d' ogni altro forſe in tal materia perito fa vedere nelle ſue Memorie preſentate all' Accademia di Parigi; i Regni di Yao, e di Chuna, due Fondatori di quella Monarchia, hanno finito ſolo* 1991. *anno prima dell' Era Criſtiana, e per conſeguenza non ſolo ne' ſui principj non oltrepaſſano, ma nemmeno giungono all' Epoca della Creazione o del diluvio poſte da Mosè* =.

(*c*) Freretius, (*Mr. Freret Secr. perpet. de l' Ac. R. des Inſcr. & Bel. Lettr.*) in Sinicis rebus, atque adeo in tota antiquitate ſcrutanda apprime verſatus, magnam ſibi apud homines doctos famam comparaverat; quam tamen opus poſthumum non leviter maculavit ipſius nomine in lucem emiſſum. Opus illud eſt inter ea, quae Vetus ipſum Parlamentum Pariſienſe ferre non potuit, ſcilicet *Examen Critique des Apologiſtes de la Religion Chrétienne &c.* Vid. orationem Seguierii habitam in Parlamento Pariſienſi, de qua etiam alio loco diximus.

ſaica a noſtris auctoribus haud aegre componuntur (*a*). Quid quod Vir doctiſſimus Goguetius non modo affirmat, ſed etiam probat, Sinarum hiſtoriam, in iis, quae uſque ad annum ante Chriſtum 206. tradit, nullam omnino mereri fidem? (*b*) Quid quod graviſſimi Viri teſtantur Sinicam Χρονολογίαν ab iis tantum laudari, qui eam ignorant? (*c*).

Sed quando Tolandi, ac Spinoſae diſcipuli adeo ſunt indociles, ut non ſe patiantur iis rationibus a ſententia dimoveri, rogamus, ut ſibi ſaltem ipſi conſtent, neque ad libidinem eadem monumenta, cum favere videntur, laudibus extollant, cum adverſari, contemnant, atque rejiciant. Ecce enim eadem monumenta, quae Moſis hiſtoriae homines leviſſimi opponunt, mundum aliquando initium habuiſſe, cum antea non eſſet, diſerte narrant.

Optime enim Coupletius, qui Tabulam, ut ajunt, Chronologicam Imperii Sinici latinae conſuetudini tradidit, ſcriptum in ipſo proaemio reliquit = *Et vero quod creationem Coeli, ac Terrae, maris, ac foeminae determinatis temporibus aſſignent, jam ſatis clare fatentur, non extitiſſe Mundum ab aeterno ..... adeoque facile eſt ratiocinando hic conficere, Numen aliquod ſupremum Sinenſes cognoviſſe, a quo haec omnia certis temporum intervallis procreata ſunt* =.

Quid ad haec aeternitatis mundi defenſores, callidi nimirum, atque verſuti? Callidos cum Cicerone voco, quorum ingenium, ut manus, uſu fortaſſe obcalluit, verſutos ve-

(*a*) De *Chronologia* Sinarum, quod ſpectat ad rem noſtram, legendum omnino eſt praeclarum opus Joſephi Antonii Conſtantinii, cui tit. *La verità del Diluvio Univarſale &c.* Vid. *P. I. Sez. VI. a §. XXIV. p.* 214.

(*b*) Goguet *Origine des Loix To. III.* 3. *Diſſertat.* Hic etiam praeclarus Auctor paulo ante ſcripſerat, quae notatu digniſſima ſunt = *Ce ne fut ..... que plus de* 500. *ans après la deſtruction des monumens, c'eſt-à-dire l'an* 37. *avant I. C. qu'on vit paroître (chez les Chinois) un corps complet de l'ancienne Hiſtoire. L'Auteur même Tſé Matſienne qui la composa, eut la bonne foi d'avouer, qu'il ne lui avoit pas été poſſible de remonter avec certitude* 800. *ans au-delà du tems au quel il écrivoit* =.

(*c*) Vid. *Le Journal des Savans Mars* 1758.

vero, quorum celeriter mens verſatur. Dicent profecto nihil eſſe, quamobrem Sinica monumenta, cum Hebraei Moſis narrationi contradicunt, debeant a nobis repudiari; at cum initium mundo conſtituunt, id afferre, quod nulla ratione probari poſſit: a quibus ita diſſentio, ut omnino contrarium affirmem.

Etenim cum narrationi Moſis contradicunt, & humanae, qua nulla magis perſpecta ſit, & divinae, qua nulla major eſſe, vel fingi poſſit, auctoritati contradicunt: qua quidem de re nihil attinet fuſius hoc loco diſputare, cum pleni ſint ſapientum libri luculentis argumentis, invictiſque rationibus, queis impiorum hominum Moſi obtrectantium retundatur audacia (*a*). At cum Sinica monumenta Mundum aliquo tempore natum fuiſſe confirmant, & cum hiſtoria reliquarum gentium, & cum ipſa philoſophia mirifice concinunt.

Etenim non modo Hebraeorum, Phoenicum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, Perſarum, Arabum origines divinae litterae indicant, ſed & Sicyoniorum, Thebanorum, Arcadum, Athenienſium, Spartanorum, Doridum, Corinthiorum, Cretenſium, Eleorum, Macedonum, Italorum, aliarumque ſuis cognitarum temporibus gentium initia Graeci Scriptores prodidere (*b*).

Iidem tradunt, initio genus hominum in agris, vel in ſilvis, belluarum more degentium, non artes, non ullum ſcientiae genus coluiſſe, neque alia, quae ab bene, beateque vivendum neceſſaria ducimus. Tum homines extitiſſe divina quadam vel cogitandi, vel eloquendi facultate a natura inſtructos, qui reliquis, ut civilem ſocietatem, communitatemque conflarent, fuerunt auctores: denique primum pagos,

 dein-

(*a*) Vid. Cl. Alphonſ. Niccolai *Diſſ. e Lez. di Sacra Scrit. To. II.*

(*b*) Vid. Bochart. *in Geog. Sac.*, Pezron. *de antiq. temp.* Marsham *in Chron.* Stillingfleet *in Orig. Sacr.* Shuckford *in Hiſt. Mun.* Fourmont in *Sanchun. Hiſt. Univerſ.* Anglorum, & alios paſſim.

deinde majora oppida, poſtremo ampliſſimas urbes fuiſſe conſtructas, quarum conditores nominatim appellant.

Illud etiam apud eos cernere licet, exiguis ſane finibus cujuſque Reguli, ſeu potius Patrisfamilias auctoritatem ſub ea prima tempora fuiſſe contentam: Poſt autem neſcio quem hominem, dominandi cupiditate motum, finitimos, ut imperio ſuo parerent, cogere voluiſſe.

„ *Hinc hominum generi caedes, hinc praelia nata,*
„ *Hinc brevior dirae mortis aperta via eſt.*

Hinc iidem narrant, omnia quae ad pacis, ac belli rationem ſpectant, initium habuiſſe: quod vero non poſſent homines, ne alter alterum laederet, ſine publicis quibuſdam, atque perpetuis regi ſanctionibus, eo ſapientiſſimos extitiſſe Legum latores, ut Moyſem apud Hebraeos, Zoroaſtrem apud Perſas, Orpheum apud Thraces, Lycurgum apud Spartanos, Theſeum, Draconem, atque Solonem apud Athenienſes, Pythagoram apud Magnae Graeciae Colonos, alioſque non paucos.

Quid plura? Initia enim gentium ſuarum & ipſi ponebant Ægyptii, & Phoenices, & Chaldaei, & Perſae, quamvis ea de mundi ortu narrarent, quae ne illi quidem jam crederent, qui numquam philoſophum pictum, ut dicitur, viderunt (*a*).

Jam

(*a*) Doctiſſimi Scriptores facile demonſtrant inſanum eſſe laborem illorum, qui Ægyptiam, aut Chaldaeam Χρονολογίᾳ Moſaicae opponunt. Nobis verba Cl. Conſtantinii deſcribere liceat ex laudato libro *La Verità del diluvio &c. P. I. Sez. VI. §. 71. p. 261.* = *Un' altra oſſervazione in appreſſo cade in acconcio, cioè, che di quante Città furono fabbricate dagli Uomini, non vi è Storia vera, antica, ne moderna, che ne dimoſtri alcuna, che abbia origine di là dal Diluvio. I Caldei profeſſavano 470 mille anni di Regno; ma Babilonia ſua Capitale non potè mai farſi più antica di Belo, che la fondò. Gli Egizj parimenti, che tanta antichità pretendevano, mai ſeppero dimoſtrare in qual Città regnaſſero prima i Dei, e Semidei; poiche Tebe, e Menſi, Sedi de' loro Re Tebani, e Menfiti erano ſtate fabbricate dagli Uomini di quà*
dal

Jam porro argumentum, quod a rerum humanarum hiſtoria ducitur, ipſum Lucretium cum reliquis Epicureis vera fateri coëgit. Hinc enim cecinit (*a*):

„ Si nulla fuit genitalis origo
„ Terrai, & coeli, ſemperque aeterna fuerunt;
„ Cur ſupra bellum Thebanum, & funera Trojae
„ Non alias alii quoque res cecinere poëtae?
„ Quo tot facta virum toties cecidere, nec uſquam
„ Æternis famae monumentis inſita florent?

Ac ſane credibile non eſt homines, qui ſaecula nobis cognita tota aeternitate praeceſſerunt, adeo vel antiquitatis, vel gloriae ſuae negligentes fuiſſe, ut non ea litteris conſignarent, quibus & ſuae, & ſuorum famae, ac nominis immortalitati conſulerent. Homines certe, quales poſtremis hiſce ſaeculis novimus, nihil fere habent antiquius, ubi ingenio, litteris abundent, & otio, quam ut vetuſtatis monumenta colligant, neque vel belli, vel domi geſta praeclare interire patiantur. Gloria enim magno quiſque vir ingenio ita ducitur, ut niſi aut praecellens quaedam virtus, atque divina, aut neceſſaria multarum procuratio rerum, aut foediores cupiditates, & vitia alio animum avertant, atque traducant, in ea ſibi comparanda dies, ac noctes urgeri videatur. Neque vero multum iis eſt fidendum, a quibus humana gloria deſcribitur.

„ Par

dal diluvio. Le ſteſſe Piramidi, moli innalzate all' eternità dalla vanità di quei Re, è noto eſſer ſtate erette circa 1400 *anni dopo il Diluvio; e baſta ſodisfarſene in Monſig. Bianchini, in Marshamo, ed in altri eruditi antiquarj* = Optimè etiam illa Bentleyus, Vir acutiſſimus (*Refut. de l' Athëiſm.*) = *Permis a qui le voudra de venerer les Antiquitez de la Chaldée. Pour moi je ne ſaurois le faire, quand je conſidere, que dans une longue ſuite de ſiecles leurs Obſervations n' allérent pas juſqu' à decouvrir que la Lune eſt un corps opaque, & qui reçoit du Soleil ſa lumiere* =

(*a*) *Lib. V. Ver.* 325.

„ *Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.*

Niſi enim ad aliquam ex iis, quas attulimus, claſſem pertineant, hi magis, quam caeteri, abripiuntur amore laudis. Nam & ſi quos de contemnenda gloria ſcribunt libros, nomen iiſdem ſuum, ut acute Cicero notat, inſcribunt, & ea jactant in circulis, quae ſibi hominum, oculo irretorto ſpectantium quidquid falſo vulgus amat, nomen, gloriamque concilient.

Hinc poſtquam Cadmus litteras Graecos docuit, annis ante Chriſtum fere 1494., principio quidem non ita multi vel in ipſa Graecia ſcribebant: multis enim carebant ad ſcribendum praeſidiis: at ubi ea comparata ſunt a ſummis viris, caeteriſque communicata, tot librorum millia, quot ſane neceſſe non fuerat, terris incubuere.

Hebraei vero, & Ægyptii, quae nationes ipſis Graecis antiquiores habitae ſunt; ut de aliis ſileam; neque enim, ſi brevitati conſulere cupimus, omnia poſſunt afferri; illae, inquam, nationes libros habebant multo ante conſcriptos, quam Graeci ſuos; Hebraei quidem Moſaicos, alioſque auctoritatis omni ex parte ſpectatiſſimae; Ægyptii vero ſuorum maxime Sacerdotum, in quibus cum multis fabuloſis, multis etiam impiis aliqua ſcitu digna continebantur, & a quibus doctiores Pythagoras, & Plato rediiſſe dicuntur.

Quam ingens autem recentioribus aetatibus librorum numerus extiterit, illi demum ignorant, qui numquam bibliothecas ingreſſi ſunt, aut litteras minime didicerunt. Lepide enim, ut caetera, queritur Horatius, quod

„ *Scribimus indocti, doctique poëmata paſſim,*

& Juvenalis perſtringit, quos

„ *tenet inſanabile multos*
„ *Scribendi Cacoëthes.*

No-

Noſtra quidem hac aetate utinam tot librorum auctores eſſent, quot ii ſunt, qui libros in lucem emittunt! in quorum bene multos illud cadit, quod ab Apollodoro Athenienſi de Chryſippo dictum accepimus = *Si quis de Chryſippi libris tollat, quae aliena ſunt, vacua papyrus relinquetur* =.

Quae cum ita ſint, quis animum inducat, veteres illos, qui ante ſex annorum millia per totam aeternitatem terras incoluerunt, numquam eo gloriae amore pulſari ſeſe paſſos eſſe, ut ad ſcribendum operam ſuam, ſtudiumque omne conferrent; aut (ſi adeo germanae, ſolidaeque virtutis amore flagrabant, ut gloriae umbram deſpicerent) numquam, ut generi prodeſſent humano, quod eſt virtutis ac ſapientiae maxime proprium, cogitationes ſuas litteris mandare voluiſſe?

Sed quid ego iſta perſequor, cum artes omnes, tum quae in veri contemplatione conſiſtunt, tum quae aliquid moliuntur, & faciunt, non ita multis abhinc ſaeculis initium, & incrementa habuiſſe compertum ſit? quod genus ipſum humanum habuiſſe initium, niſi fallor, ſatis aperte demonſtrat. Quamobrem ipſe Lucretius hoc etiam argumentum plurimi fecit, atque illa ſcripſit (*a*):

„ *Quare etiam quaedam nunc artes expoliuntur,*
„ *Nunc etiam augeſcunt, nunc addita navigiis ſunt*
„ *Multa, modo organici melicos peperere ſonores*:

atque alia ſatis eleganter. At, quod gravius eſt, doctiſſimus Romanorum Varro vix ullam, ſua cognitam aetate, artem ſuperaſſe mille annorum antiquitatem auctor eſt (*b*).

Arabes autem majores ſuos primos fuiſſe gloriantur, qui coelorum motus obſervaverint. Ægyptii quidem, atque Chaldaei, haud facile illis hanc laudem concedunt, quam ſibi praereptam putant. Illud tamen Ægyptii melio-

(*a*) *Lib. V. v.* 333. (*b*) Ap. Polydorum Virgil.

liore ſibi jure videntur aſſerere, quod primi Geometriam excogitaverint, Chaldaei vero, quod *Horologium*, ut vocant, *Solare*, ſi Herodoto (*a*) fides, primi deſcripſerint. Medicinae artem ipſi etiam Ægyptii invexiſſe dicuntur, a quibus fortaſſe, ut Thales Mileſius Aſtronomiam, ſic facultatem eam primus Hippocrates hauſit, & inter Graecos exercuit: Apud quos Herodoti aetate, cum remediis egerent, in viis, atque plateis exponebantur aegroti, ut, qua ratione juvari poſſent, qui eam experientia forte didiciſſent, tranſeuntes indicarent. Phoenices omnium primos conſtruxiſſe naves, omnes conſentiunt auctores. At exteris cum nationibus negotiandi artem, primi videntur invexiſſe Carthaginienſes.

Graeci quoque, cum ingenio excellerent, multa excogitarunt humanis uſibus opportuna. Nam & Phido Argivus, teſte Plinio cum aliis, ponderum ac menſurarum, nec non monetae inventor fuit, & a Corinthiis contra Corcyrenſes primum, teſte Thucydide, initum eſt navale certamen, & Muſices elementa, quemadmodum alia multa, primus Pythagoras docuit, & apud eoſdem Graecos pingendi ars initium videtur, & incrementa accepiſſe, & primus apud eos in ſtatuis membra Daedalus effinxit, &, quod longe pluris aeſtimandum eſt, quam caetera, quae attulimus, univerſa, primus apud eos divinus ille Socrates philoſophiam ad fingendos hominum mores e coelo revocavit.

Jam temporibus ab aetate noſtra non adeo diſſitis mirabilem magnetis uſum, tormenta, quibus utimur, bellica, eorumque moderandorum artem, *Typographiam* demum, aliaque non pauca primum in lucem prodiiſſe ſcimus, illudque Senecae veriſſimum eſſe comperimus = *rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit* =. Sed & illud dolemus, quod a neceſſariis, & utilibus artificiis ad mollia quaedam, ac nimis delicata defluximus. Nam & auribus voluptates inventae

(*a*) Herodot. *L. II.*

tae ſunt, & oculis, & reliquis ſenſibus, plures profecto, quam neceſſe fuerat: Niſi quod poſtremis hiſce ſaeculis duobus, ut optime Cheynius advertit, liberaliſſima ſtudia Matheſeos longe majores, quam reliquis omnibus aetatibus, progreſſus habuerunt.

Quae cum ita ſint, dubium videri non poteſt, quin, ſi quaevis hiſtoriae monumenta conſulamus, ea non modo mundum non aeternum, ſed neque a pluribus exiſtentem ſaeculis, quam Moſaica ferat *Chronologia*, nobis conſtantiſſime exhibeant.

Vidit id epiſtolarum Perſicarum auctor, nec tamen illico manus dedit. Utinam Gallus ille ſatis notus, cum morti proximus non *Perſice*, at *Chriſtiane* mori curavit, ita veritati aliquando manus dederit, ut eorum, quae contra ipſam non uno in opere ſcripſerat, veniam ſit aſſecutus. Ita ergo ille in epiſtola quadam ex illis, quas diximus (*a*). = *Hiſtorici omnes de primo humani generis parente loquuntur: nobis naturam humanam quaſi naſcentem exhibent* = Quin ergo, ſi quid apud te ponderis doctiſſimorum, & clariſſimorum hominum auctoritas unquam habitura eſt, quae narrant illi omnes, inter veriſſima recenſenda putas? Ipſum audiamus (*b*) = *Nonne naturae*, inquit *conſentaneum eſt cogitare, Adamum ab aliquo communi infortunio ereptum fuiſſe, ut a Diluvio Noëmum, & hos magnos eventus nihil raros fuiſſe ſupra terram, poſt mundi creationem?* =

Quod mundi creationem agnoſcere ſeſe profiteatur, non cenſet cum eo pugnare, quod ſemper mundus extiterit. Sed mundi annos numerari non poſſe ullo modo cenſet,

(*a*) *Ep.* 99. = *Tous les hiſtoriens nous parlent d' un prémier Pére: ils nous font voir la nature humaine naiſſante* = Auctor eſt celeberrimus Monteſquièus, cujus morientis παλινῳδία ſatis vulgata eſt. Contra impium librum, de quo loquimur, vide *Les Lettres Perſannes convaincues d' impieté.*

(*b*) *Ib.* = *N' eſt pas naturel de penſer qu' Adam fut ſauvé d' un malheur commun, comme Noé le fut du déluge; & que ces grands évenemens ont été fréquens ſur la terre depuis la création du monde?* =

ſet, & ad id probandum praeclarum ſcilicet argumentum affert, ac novum. Nempe Deus, inquit, cum prius non habeat aliquid, neque poſterius, ſi ſemel aliquid voluit, ſemper voluiſſe dicendus eſt.

Quod quidem argumentum abhinc annos quingentos D. Thomas propoſuit, ac luculentis profecto verbis eodem in libro (*a*) diſſolvit; ex quibus illa ſufficiat afferre = *Divinae voluntatis*, inquit, *non retardatur effectus, quamvis non ſemper fuerit voluntate de eo exiſtente. Nam ſub voluntate divina cadit, non ſolum quod ejus effectus ſit, ſed quod tunc ſit. Hoc igitur volitum, quod eſt, tunc creaturam eſſe, non retardatur, quia tunc incoepit creatura eſſe, quando Deus ab aeterno diſpoſuit* =.

Si quis nebulones iſtos probe perſpectos non habeat, miretur profecto, quid ſit, quod, cum ſummos proximarum aetatum homines, per contemptum ſuperſtitioſos appellatos, ne flocci quidem facere videantur, ex illorum tamen libris argumenta fere omnia corradant, quibus Chriſtianos oppugnent: porro autem reſponſiones in iiſdem libris iisdem ſubjectas argumentis aut non legant, aut non intelligant, aut, quod propenſius eſt ad ſimilitudinem veritatis, ita ſe gerant, ac ſi vel nunquam illas legerint, vel numquam intellexerint (*b*). Ego tamen iſta non miror, qui jampridem, quale ſit ejus generis hominum ingenium, probe didicerim. Non illi ſcribunt, ut veritati conſulant, aut proſint caeteris, ſed ut indoctos in ſui admirationem excitent, eiſque ſuorum errorum merces obtrudant. Ut id aſſe-

(*a*) *Lib. II. con. Gent.* de quo recte Valſechius *L. I. p.* 62 = *S' invitano i Libertini a leggere i ſoli otto Capitoli, in cui tratta S. Tommaſo da tutti i ſuoi lati la quiſtione dell' eternità del Mondo; e impareranno ciò che dir voglia ſublimità d' ingegno, e giuſtezza di ragionare* =.

(*b*) Quae dicimus hoc loco non modo ad Spinoſiſtas, aut reliquos Atheos, verum ad omnes univerſe Incredulos noſtri temporis quadrant. Vid. *Dictionn. Antiphiloſ. Tom. II. Art. Meslier.* Vid. etiam Gerdilum *Introd. allo ſtudio della Religione*, qui praeſertim Bolingbrokio id exprobrat.

aſſequantur, nullum non lapidem movent: nihil homine, qui ſit honeſto loco natus, indignum, nihil ſibi vetitum putare videntur. Veritatis illi ſunt hoſtes: dum ea cadat,

„ *Dolus, an virtus quis in hoſte requirat?*

Eam quoque artem ſequuntur, ut, cum verborum elegantium calamiſtris laſcivientem orationem exornent, tum, velut ex Phoebi tripode oracula fundentes, aut mortalium magiſtri ex Deorum deſcendentes aliquo Concilio, fidenter ſane ac plenis buccis maximos errores, ac turpiſſima mendacia pronuncient. Iidem nihil tam vereri videntur, quam ne ſuos errores non ſaltem novis rationibus munivиſſe videantur. Haec ergo agit epiſtolarum Perſicarum infelix auctor, cum ſaepe alias, tum etiam ubi argumentum, quod diximus, ſane futile, non autem apertiſſimam reſponſionem ex Divo Thoma, vel aliquo D. Thomae diſcipulo deſcribit.

Sed & illud novum non eſt, quod de Diluvio, aut non abſimili calamitate ſcribit, a qua forſitan incolumis Adam evaſerit; ut hic humanum deinde genus propagaverit, ejus auctor propterea dictus, omniumque hominum parens. Quis enim vel in Scholaſticorum libris (*a*) non eos Atheos legit reprehenſos, qui, ut Mundum ab aeterno tempore exiſtere defenderent, diluviales aquas ſtatis temporibus, quibus certus aſtrorum factus eſt concurſus, tellurem univerſam obruentes, omnia perdidiſſe, & artium inventa, & animalium genera, credulis hominibus perſuadere conati fuerant?

Etenim illi, quamvis omitterent, quod Phyſici norunt, Diluvium id genus non potuiſſe, niſi a Deo ſceleribus, ac ſceleſtis irato, immitti (*b*), una interrogatiuncula, eaque

Pp 2 per-

(*a*) Vide e. g. Paul. Segnerum *L'Incred. ſenza ſcuſa P. I.*

(*b*) Bentleyus, quem nuper laudavimus, opportune advertit (*Réfutat. de l' Atheiſme*) quod ſi tota athmoſphaera in aquam converteretur, haec = *ne feroit qu' un orbe de 32. pieds de profond, ce qui s' ecouleroit*

perſpicua impudentiſſimorum hominum conſtrictam tenebant audaciam. Etenim, inquiebant, num ne quis a naufragio totius humani generis ſemper evaſit incolumis, an nemo unus? ſi alterum affirmes; quis tibi aſſentiatur, neque ipſum, neque alios, qui ab eo ducebant originem, & qui ſuam ei vitam, atque fortunas referebant acceptas, tantam rem, tam celebrem, tam ſcitu dignam litteris mandaviſſe? (*a*) ſi alterum velis, jam Deum agnoſcas oportet, quem ut e medio auferres, neque genitum mundum, & aeternum ſuſpicabaris. Quis enim poterat, niſi quaedam ſa-

roit bien vite dans les cavités de la Mer, ou dans les lieux bas de la Terre, bien loin de rien faire, qui approchât d' un Deluge univerſel. Mais, ou prendre même le poids immenſe, qui eſt neceſſaire pour comprimer la force elaſtique de l' Air, & pour la reduire a pres de la millième partie de l' eſpace, qu' il occupe? = Quantitas autem aquae Oceano toto recepta vigeſies minor eſt, ut Keillius demonſtrat, ea, quae ad altiſſimos etiam vertices montium tegendos requirebatur. Quod ſpectat ad aquam terrae viſceribus incluſam (de cujus immenſa copia vide Varenium. *L. I. Geog. c. 7. p. 3.*) nulla naturalis cauſa eam potuiſſet extrahere, ut ſuperficiem telluris totam operiret. Non vacat autem hic illos fuſius arguere, qui Diluvium cauſis omnino naturalibus, etiamſi a Deo praeparatis, adſcripſerunt; ut Cometae ad terram propius accedenti, quod Wiſtono placuit (*in Teor. Tellur.*) aut ipſi Terrae, quae multis partibus dirupta fuerit, & in ſuppoſitas aquas illapſa, quod Burnetius (*in Theor. Sac. Tellur.*) commentus eſt; de quibus, aliiſque conſulere potes laudatiſſimum Alphonſi Niccolaji opus *Diſſ. &c. di S. Scritt. &c.*

(*a*) Hac praecipue ratione refelli poteſt Macrobius *L. II. in Somn. Scip. C. 10.*, qui ut Mundi aeternitatem cum recentioribus Platonicis defenderet, ſolvere aggreſſus eſt argumentum ab hiſtoria ductum. Putat enim = *hanc viciſſitudinem contingere, ut modo calor, modo humor exuberet* = hinc fieri ſcribit, ut = *modo aëris mutata temperies licentiam praeſtet incendio, & terra penitus flagrantia immiſſi ignis uratur .... ac rurſus*, ait, *longo temporum tractu ita creſcens humor altius vincit, ut terris infundatur eluvio* = Hinc evenire dicit = *ut terrarum cultus cum hominum genere ſaepe intercidat* = Quomodo igitur ad haec tempora ſervatum eſt genus idem humanum? Reſpondet ille = *Nunquam tamen ſive eluvio, ſive exuſtio omnes terras, aut omne hominum genus, vel omnino operit, vel penitus exurit. Ægypto certe (ut Plato in Timaeo fatetur) nunquam nimietas humoris nocuit, vel caloris. Unde & infinita annorum millia in ſolis Ægyptiorum monumentis, libriſque releguntur. Certae igitur terrarum partes, internecioni ſuperſtites, ſeminarium inſtaurando generi humano fiunt* =. Haec ex dictis facile refelluntur.

ſapiens, potenſque Natura, quae *cuncta ſupercilio moveat*, humanum inſtaurare genus, idemque adjumentis inſtruere, quae tum contra feras, tum contra coeli intemperiem, tum ad ſocietatem faciendam, tum ad innumeros alios uſus erant neceſſaria vel maxime?

His itaque, aliiſque momentis rationum, quae Hiſtoria ipſa ſuppeditat, non eſſe rejicienda oſtenditur monumenta Sinarum, qua parte initium huic rerum Univerſitati aliquando fuiſſe confirmant. Sed & idem philoſophia declarat, quae multa profert ad hanc rem argumenta, eaque firmiſſima.

Huiuſmodi eſt illud, quod a montibus repeti ſolet, qui cum propter pluvias, aliaſque cauſas, in dies imminuantur, non adhuc tamen conſederunt. Atqui factum id eſſet, ſi, ut iſti volunt, innumeris abhinc ſaeculis ſaxorum, atque arenarum jacturam feciſſent, quae non ſatis ab ulla cauſa reparatur. Ingentes enim terrae motus hauſiſſe quidem urbes, monteſque novimus, non id effeciſſe, ut perpetua quaedam, ac per vaſtiſſimas ducta regiones montium ſeries, quae Coelo minari videatur, e terra proſiliret (*a*).

Idem argumentum e caveis ducitur ſub terram actis, quae videlicet arena, quam aqua illuc permeans ex telluris ſuperficie devolvit, ibique purgata plerumque relinquit, ſi aeterno tempore id factum eſſet, occludi tandem aliquando debuiſſent. Quin & ipſi marium alvei perpetuis fluminum alluvionibus, aliiſque de cauſis, cum ingentem arenae vim ſemper abſorbeant, neque tantam in terrae ſuperficiem evomant, aliquando fuiſſent litoribus aequati. Itaque maris alveo, terraeque viſceribus excluſa ſuperficiem ipſius terrae aqua inundaret. Neque enim ipſam poſset naturalis ulla cauſa cohibere, vel intra certos fines adigere, ut ne genus hominum, aliorumque animantium, & plantarum mi-

(*a*) Vide hac de re Cl. Conſtantinium: *La Verità del Diluv. ec. P. II.*

miſere perderet. Quapropter fatalis humano generi annus jamdiu advenire debuiſſet (*a*).

Praeterea numquam ſatis bene adverſarii noſtri (eos enim oppugno, qui Deum, ac Providentiam de medio tollere geſtiunt) explicare poterunt, quare, ſi mundus ab aeterno tempore exiſtat, non omnia fuerint adhuc ita confuſa, ſimulque permixta, ut in Χάος illud antiquum revoluta eſſe viderentur. Non haec eo dico, quod cum Panaetio, Stoiciſque timeam, ne mundus tandem omnis igneſcat; ſed quod probatiſſima etiam aetate noſtra philoſophia demonſtret, mundum hunc, etſi adeo ſapientibus conſtantem legibus, non poſſe tamen perpetuo conſiſtere, niſi naturae vires ipſius quodammodo temperet naturae parens. Nam & in planetis magnas factas eſse mutationes viri docti obſervarunt, ac Solem ipſum, quod continuo radios non redeuntes emittat, eſse conſumendum perſpicua ratio demonſtrat, & aliquid certe paſsum eſse detrimenti ipſius maculae indicant, & mundum univerſum quotidie ſeneſcere iiſdem periturum legibus, quibus modo regitur = *niſi manum emendatricem opifex afferat* = Vir plane divinus ſcribit,

(*a*) Valde notanda etiam ſunt, quae ſcribit in rem noſtram Joannes Hooke (*Relig. Natur. Tom. I. P I. S. I. &c. p.* 27.) = *Praeſens*, inquit, *terrae organizatio in eo ſita eſt, quod elementa omnia contra vim gravitatis permixta ſint, terra, aqua, aër, ignis. Tollitur in Coelum terra, in terrae viſcera truduntur aqua, aër, ignis: ſed juxta axioma „ omne violentum non eſt durabile „ ergo violenta haec aequilibrii interruptio per longum tempus durare poterit, lentaſque accipere imminutiones, ſed in aeternum permanere non poterit; & vis gravitatis ſola, qua telluris partes vincunt quinquies partes aquae, & quam nulla contraria vis ſatis ſuſpendit, efficiet tandem, ut cavernarum interiorum columnis fatiſcentibus, elementa minus gravia excludantur, ac juxta pondus ſpecificum diſponantur, ex illo ſtatu nulla vi naturali dimovenda* = Sed inter ea, quae ſcripſit Hooke in hac controverſia, ea maxime probo, quibus convellit = *hypotheſes* (ait ipſe *p.* 29.) *quibus utitur author clariſſimus hiſtoriae naturalis* (videlicet Buffonius *To.* I.) *nuper vulgatae, & quibus abuti poterunt religionis revelatae contemptores* =. Vide ipſum a *p.* 28.

bit, oſtenditque Newtonus. His aliiſque argumentis, (a) quae praetermittimus, philoſophia concludit, ut mundus ab aeterno tempore non fuerit.

Quamquam autem ea, quae ſive hiſtoria, ſive philoſo-

(a) Ea videre potes apud Bentleyum, Scriptorem Anglum ingenii valde profundi, eximiaeque doctrinae (*Refut. de l' Athéiſm.* quod opus *Vol. I. Collect. Burnet.* facile invenies, tametſi in pauciora redactum). Fateor tamen equidem non omnia mihi valde probari; ea praeſertim, quae ne potuiſſe quidem Deum ab aeterno mundum creare, ſi voluiſſet, oſtenderent, ſi quid oſtenderent. Mihi enim videtur magnum quid ea ſententia Divinae Poteſtati detrahere. Etenim ex ea ſequi videtur, ut, quandocumque Deus Mundum creaverit, neceſſario integra aeternitas, qua nihil creaverit, effluere debuerit. Fert igitur ea ſententia neceſſario Deum per totam aeternitatem ab omni externo opere, ut ita dicam, manus abſtinuiſſe: quo quid abſurdius excogitari poteſt? Itaque Clarkio equidem aſſentior exiſtimanti (*Tom I. de l' Exiſt. &c. Ch. IV.*) non poſſe Atheos ex ea parte oppugnari, qua Mundum aliquem ab aeterno eſſe potuiſſe docent. Ea etiam probo, quae idem doctiſſimus Newtoni diſcipulus eo loco ſubdit = *Ceux qui s' efforcent de prouver qu' un eſpace infini, ou une durée infinie ſont des chimeres, fondez ſur l' impoſſibilité, qu' une addition des parties finies compoſe, ou épuiſe jamais l' Infini* (in nota citat Cudvorth. *Syſt. p. 643.*) *qui objectent l' inegalité imaginaire du nombre des années, des jours, & des heures, contenus dans un tems infini, ou l' inegalité des lieües, des toiſes, & des pieds, contenus dans une eſpace infini, ces gens-la diſ-je, errent, parce qu' ils ſuppoſent faux. Ils ſuppoſent, que les Infinis ſont compoſez des parties finies; c' eſt-à-dire, que les quantités finies ſont des parties aliquotes, ou parties conſtituantes de l' infini, ce qui n' eſt pas. Car toutes les quantitez finies, quelles qu' elles ſoyent, petites ou grandes, unies enſemble, ou ſeparées, ont juſtement avec l' Infini la méme proportion, que les points Mathématiques ont avec la ligne, les lignes avec les ſurfaces, & les momens avec le tems; c' eſt-à-dire, qu' elles n' ont enſemble aucune proportion. C' eſt donc ſe moquer de gens, que de nier la poſſibilité d' un eſpace, ou d' un tems infini, uniquemente a cauſe de l' inegalité imaginaire d' un nombre de leurs parties finies, puiſque ces parties n' en ſont pas les parties conſtituantes, & qu' elles ne ſont a leur égard, que de purs néants. C' eſt tout comme ſi je niois la poſſibilité, & l' exiſtence d' une quantité finie, & determinée, ſous prétexte de l' égalité, ou l' inegalité imaginaire du nombre des points, & des lignes mathematiques, que cette quantité contient, puiſque tant ces lignes, que ces points, ſont, a proprement parler, abſolument ſans nombre* = Si maiorem forte auctoritatem pro hac ſententia deſideres, multi quidem SS. PP. afferri poſſent. At ſufficiat S Thomam hic laudare, qui noſtram ſententiam in *I. P. Summae* non obſcure tuetur.

Digitized by Google

ſophia miniſtrat nobis, hac in controverſia, rationum momenta cum Geometricarum evidentia conferri non poſſunt; ſed tamen ſatisfacere ſaltem hactenus poſſunt, ac debent, quoad adverſarii pro ſententia ſua melius aliquid proferant. Etenim hiſtoria non multis abhinc annorum millibus initium habuiſſe genus humanum, docili cuilibet ingenio haud aegre perſuadet. Jam haec pulcherrima rerum univerſitas, quae ante noſtros verſatur oculos, ad hominum uſus, & commoditates tam manifeſto facta eſſe videtur, ſive diſpoſita, ut alium ei ſtatuere finem nihil ſit aliud, quam ſibi oculos mentis eruere. Porro autem quis in animum inducat, domum, ut ita dicam, aeternam fuiſſe, cum incolas, & dominos tota aeternitate non fuiſſe, perſpicua ratio demonſtret? Philoſophia vero non potuiſſe docet ipſum mundum, eo, qui nunc obtinet, maximorum corporum ſtatu, niſi a definito quopiam tempore, exiſtere.

Jam ergo dicant adverſarii, quibus rationibus ipſi nitantur, dum aut alios corporum ſtatus inducunt, aut de veteris hiſtoriae fide dubitant. Iis profecto, quae aut plane ſint ineptae (*a*), aut id ſumant, tamquam verum, de quo vertitur quaeſtio. Etenim illi (ut ſpecimen quoddam ipſorum acuminis exhibeamus) a temporibus noſtris, atque aeta-

(*a*) Ocellus Lucanus e Pythagorae Schola Philoſophus omnium, quorum ad noſtram aetatem ſcripta pervenerint, primus pro mundi aeternitate pugnavit, in libello, cui titulus Περὶ τῆς τῶ πάντος φύσεος. Rationes autem, quas affert, ita ſunt ineptae, ut vere ſcripſerit Clarkius (*Tom. III. Collect. Burnet.*) = *Les raiſons, qu'il en donne, ſont en général ſi pitoïables, qu'il n'y a point d'Athée de nos jours, qui n'eût honte de les rapporter* = Hujuſmodi ratio eſt ex eo petita, quod ſphaerae Mundus figuram habeat, & in orbem agatur: ſphaerae autem, atque orbis neque principium ſit, neque finis = Ἦτι γὰρ τῶ σχήματος ἰδίω, κύκλως ὄντος, δὲ πάντοθεν, ἴσος, καὶ ὁμοίως, διόπερ ἄναρχος, καὶ ἀτελεύτητος = Similis eſt alia ratio, quam affert. Mundus inquit, omnia continet: ergo nihil eſt extra mundum, quod primo ipſum producere potuerit &c. Vid. Clark. *l. c.* & *Tom. I. de l'Ex. de D. C. IV. p.* 72. 73. 74. Similia ſunt, aut paulo validiora Procli argumenta quae ſoluta vide ab Antonio Genuenſi in *Metaph. Element.*

aetatibus dicunt de aliis aetatibus conjecturam eſſe faciendam: Quare cum nihil e nihilo creari nunc videamus, nec aliquo unquam tempore creatum fuiſſe credendum eſt. Neque vero aliam in orbe univerſo procreationis viam agnoſcimus, niſi qua res ab aliis generantur, aut producuntur. Mundus autem genitus non eſt. Quidquid enim genitum eſt variis incrementis a ſtatu imperfecto ad perfectum aſſurgit, ac variis deinde gradibus ad corruptionem deſcendit; quae certe, inquiunt, de mundo dici non poſſunt.

Miror haec non modo a quibuſdam Platonicis, ſed & ab ipſo Ariſtotele allata eſſe. Qui enim haec dicunt, vix animum a conſuetudine oculorum revocare poſſe videntur. Sane ſi quis infans in inſulam, relictam ab incolis, delatus, inibi adoleviſſet, eadem ratione ſibi perſuadere poſſet, aedificia, quae forte cernit, nunquam ab hominibus fuiſſe condita; quod nec unquam aedificia extrui, nec vero collabi, aut fatiſcere vidiſſet unquam.

Circa flumen Aſiae, de quo Cicero *in Primo Tuſculanarum Quaeſtionum*, animalia naſci dicebantur, quorum omnis vita unius diei curriculo definiretur. Jam ſi animalia illa ratione uti fingantur, & exercitum aliquem ad eas ripas per totam conſiſtere diem fors aliqua ferat, poſſent iiſdem rationibus ſibi perſuadere, aeternos homines eſſe, numquam natos, nunquam interituros; quod numquam homines neque naſci, neque mori vidiſſent, neque aliquid ipſorum corpora quavis a cauſa detrimenti capere.

Quod vero dicitur non alia, quam procreationis nobis cognitae via mundum potuiſſe produci, ſumitur, e nihilo mundum per infinitam Supremi Numinis virtutem educi non potuiſſe. At id nos iiſdem rationibus, ut alias nunc omittamus, aſſerere poſſumus, quibus, Mundum ab aeterno tempore non eſſe, comprobatum eſt.

Neque tamen volumus in his refutandis accuratius, quae mediocri etiam lector ingenio per ſe refutare facile poteſt, tempus, operamque conſumere. Etenim nimio plus

fortaſſe de controverſia diximus, quam in aliud tempus, ac tractationem omittere, ſine reprehenſione poteramus. At recentiorum Atheorum levitatem coërcere voluimus, qui Sinicos libros, ubi ſuis erroribus favere putant, magnopere laudant, ubi vero adverſari audiunt, ne de fama quidem videntur agnoſcere. Jam videndum ſupereſt, an Sinarum Litteratorum, ſic enim vocantur, qualicumque auctoritate poſſint Athei noſtri ſuos errores, impietatemque munire.

C A P U T XIV.

De Sinis antiquioribus, ubi etiam de Confucio, & Memcio.

TOta haec de Litteratis, ut eos vocant, Sinis quaeſtio commode dividi poteſt in partes duas: ut primo videlicet de antiquioribus, deinde de recentioribus verba faciamus.

Antiquiores autem eos appello, qui Saeculum a reparata ſalute XII. aetate praeceſſerunt. De illis ita contra Baylium ſcribit Hookius = *Ipſi illi authores, quos laudat Baylius, confitentur doctrinam veterum Sinarum per duo annorum millia ſanctiſſimam in hac parte fuiſſe, & agnoviſſe illos unicum Deum, bonum, & ſapientem rerum omnium conditorem, conſervatorem, & gubernatorem, ad quem in afflictis rebus confugiebant, & in cujus praeſidio ſpem omnem ponebant* = (a).

At negari non poteſt plurimos, eoſdemque doctiſſimos Vi-

(a) Habet haec Du Halde *Deſcr. de la Chine Tom. III.*, Couplet. *Decl. prooem. in Sc. Sin.*, quibus conſentiunt Leibnitius *Ep. ad Remond.*, Kortoltus *de Philoſoph. Sinenſ. Vol. II.*, Reimmannus *Hiſt. Ath. S. I. C. 12.*, Bulfingerus *Philoſ. Moral. Sin. I.* §. 45. At enim ea ſententia Doctoribus plurimis Sorbonae vehementer diſplicuit. Etenim ex illis 106., diſſentientibus 48., damnarunt hanc doctiſſimi viri P. Le-Comte propoſitionem = *Le peuple de la Chine a conſervé près de deux mille ans la connoiſſance de veritable Dieu, & l' a honoré d' une maniere, qui peut ſervir d' exemple, & d' inſtruction même aux Chretiens* =.

Viros, de Veterum Sinarum doctrina, in oppoſitas ei, quam retulimus, ire ſententias. Cum enim in antiquis libris (*a*) *Xang-ti* ſummis laudibus extollatur, eo nomine quidam non Deum, ut Auctores, quos Hookius teſtes adhibet, at Coelum divina quadam vi per omnia diffuſa, & commeante praeditum venire putant. Et eam quidem vim in Coelo maxime fuiſſe a Sinis antiquiſſimis agnitam dicunt, quod ea pars & nobilior, & ſpatioſior eſſet, quam alia quaevis, & ex ea minores Genii, ſeu potius Vires in inferna loca deſcenderent (*b*).

(*a*) Qui dicuntur libri apud Sinas antiquiſſimi, praecipue duas in claſſes dividuntur. Prima claſſis eos amplectitur, qui dicuntur *King*. Sunt autem quinque numero. De illis haec habet Agatopiſtus, (*Vol. I. &c. p.* 210. 211.) = *Il primo di queſti libri è detto Xu-Kim, e racconta le geſte degli antichi Principi e Legislatori, le leggi le ſentenze i conſigli per l' amminiſtrazione della giuſtizia e per la felicità della Republica. Il ſecondo detto Xi-Kim contiene poemi nè quali ſi cantavo in iſtil corto oſcuro e metaforico gli ſtatuti de' Regni e le lodi della virtù. Il terzo intitolato Ye-Kim è il libro di Fojo di cui abbiam detto* (*Vid. p.* 206. 207. Probat autem Agatopiſtus Leibnitii opinionem ſtatuentis non aliud eſſe librum tam celebrem, niſi antiquam, ut vocant, binariam arithmeticam) *Il quarto nominato Chumcieu narra i varj eventi delle virtù e de' viaj de' Principi. Il quinto inſcritto Li-Ki eſpone gli offizj e le ceremonie ſacre e profane* = Altera claſſis libros complectitur tres a Confucio conſcriptos, quibus liber additur Memcii e Confuciana ſchola philoſophi. Alii duos etiam his omnibus adjungunt. Jam vero libros illos enormiter depravatos ad nos perveniſſe, alio loco diximus. Iiſdem tamen & nos in hac utimur cauſa; primo quidem, ut adverſarios iis armis confodiamus, quibus nos petunt; deinde quia ſin minus vetuſtiſſimorum Sinarum, qui non multis a Diluvio ſaeculis floruerint, at quidem certe veterum Sinarum, qui aliquot ante Chriſtum ſaeculis vixerint, doctrinam, omnibus concedentibus, demonſtrare poſſunt. Ad extremum, erudite lector, monendus es, corruptionem vetuſtiſſimorum librorum, de qua diximus, non tantam eſſe potuiſſe, ut ne colligi quidem ex fragmentis liceret, de quo argumento agerent. Jam vero in aliquibus fuſiſſime de caeremoniis agitur, quibus Coelo ſacra facienda eſſent, neque in his rebus ea eſt, quae in annorum ſupputatione, Ἀντιλογία, neque porro cauſa eſt, quamobrem, a vetuſtiſſimis illis hominibus de ſacris caeremoniis non agi potuiſſe, arbitremur. Hinc & illi vetuſtiſſimi ſatis ab Ἀθεότητος infamia vindicantur.

(*b*) Hanc interpretationem ſequuntur Jo. Franc. Buddeus *de Spinoz. ante Spinoz.* & Baylius *Art. Spinoza in Diction.*

Alii medio tutiſſimos ituros ſeſe putant inter opiniones, quas diximus. Itaque pars exiſtimat *Xang-ti* praepotentem fuiſſe Naturam, quae Coelum teneret, quaeque Χάος ordinaverit; hanc de veterum illorum ſententia omnibus animantibus vitae fontem, atque originem extitiſſe: attamen eos poſtea non pauca addidiſſe, quae doctrinam illam foedarent, atque corrumperent, eoſdemque oſtenderent humiliter, demiſſeque de Divinitate ſenſiſſe. Ita praecipue Joannes Laurentius Moshemius, vir doctus in primis (*a*). Pars autem exiſtimat, *Xang-ti* Vim fuiſſe maxima intelligentia praeditam, ſeu potius nobiliſſimum Spiritum, qui Mundum neceſſario inſtar magnae cujuſdam Animae permearet, ac regeret; ſed cum in Coelo maxime ineſſet, ejus tamquam particulae decerptae fuerint, quae in reliqua, ut ita dicam, Mundi membra funderentur. Ita Jacobus Bruckerus, is quem ſaepe laudavimus (*b*).

Denique ad extremum graves non deſunt auctores, qui has interpretationes univerſas belle fictas citius exiſtimare, quam alicui ſubſcribere velint. Ipſi autem ſilentium hac in quaeſtione commendant. Neque enim poſſe nos de Veterum illorum mente certi quidquam ſtatuere, pronunciant. Placuit haec maxime ſententia praeſtantiſſimo Agatopiſto (*c*).

Jam nos utrum recte, an ſecus de Natura divina Sinicae illi Sapientiae principes per antiquiora tempora ſenſerint, neque volumus definire, neque debemus. Hoc tantum ſtatuere & debemus, & volumus: quidquid ſenſerint, Atheos certe non fuiſſe. Atheos autem eo ſenſu non fuiſſe dico, quo dicuntur ii, qui opponuntur Generis Humani Conſenſui in agnoſcenda Divinitate. Nihil enim impedio, quominus Athei ea ratione vocentur, qua vocavit Apoſtolus *Ἄθεους ἐν τῷ κοσμῳ* Ethnicos univerſos.

Hac

(*a*) *Ethica Chriſt. P. II. p.* 354.
(*b*) *Tom. IV. Hiſt. Crit. P. II.* ubi *p. m.* 218. de Sinis.
(*c*) *Iſtor. della Filoſofia Vol. I.*

Hac ratione forſitan excuſari poſſunt pii quidam homines, haud tamen ſcio, an ſatis hac in re, pro temporum conditione, prudentes, qui e Sina ſcripſerunt, & Veteres & Recentiores apud eam gentem Litteratos teterrimae Ἀθεότητος eſſe condemnandos: neque enim latum unguem illorum doctrinam cum Atheorum impietate differre.

At certe ſi Veteres illi Coelum tanta ſuperſtitione colebant, quanta fingi poſſit maxima, quod Sinarum accuſatores fatentur, & ex antiquis iiſdem libris apparet, ſaltem Divinitatis confuſam neſcio quam ſervabant, implexamque notionem. Neque enim illi Naturae, quam nihil intelligere, nihil providere, nihil ad ſummam nobis prodeſſe crederent, & vota, & preces, & ſacra facere conſueviſſent. Ipſi profecto Graeci, atque Romani, quorum ſuperſtitione nihil magis profanum excogitari poteſt, non alia de cauſa ligneos Deos, atque marmoreos venerabantur, quam quod eoſdem totius mundi, atque adeo noſtrarum rerum procurationem gerere arbitrarentur.

Quamquam veteres quidem Sinas aliquid de Natura divina ſuſpicatos fuiſſe, certioribus etiam argumentis oſtendi poteſt. Narrant enim, qui libros eorumdem antiquiſſimos nocturna, diurnaque manu verſaverunt, nullum eſſe Divini Numinis ***Attributum***; de quo in libris illis mentio non fiat. Neque vero hujus rei Voltaerium aliquem teſtem appellabo, qui Sinicos libros inſanis laudibus tollat (*a*), ut Moſaicis anteferat, neque Viatorem aliquem, aut Graeculum, qui non fere aliud a nitidis quibuſdam libellis, niſi temere de omnibus judicium ferre, didicerit. Equidem locupletiſſimum citabo teſtem Premarèum (*b*), Virum Apoſtolicis

cis

(*a*) Habet eas Voltaire *Eſſai ſur l'Hiſtoir. Générale Ch. I.* & *Phil. de l'Hiſtoire C. XVIII.* ubi tamen ſub nomine Bazinii (*de l'Abbé Bazin*) latere voluerat.

(*b*) Premarèus (*Le P. de Premare, Lettr. édifiant. Recueil. XIX.*) haec habet = *Il n'y a aucun de ces divins attributs* (de quibus Sacra Scriptura loquitur) *qu'on ne voye clairement marqué dans les anciens livres de la Chine appellez King* =.

cis laboribus diſtentum, qui cum multos annos inter Sinas verſatus fuerat, tum eam linguam, qua conſcripti libri fuerant, bene callebat, tum vero erat ex eorum Ordine hominum, quorum hac maxime in cauſa teſtimonium moroſiores Critici non poſſint, niſi temere, ſuſpectum dicere. Eorum enim hominum, ſi quid interfuiſſet id temporis, certe tantum interfuiſſet, Atheos haberi Sinas univerſos tum veteres, tum recentiores (a). At Vir tantus, atque tam pius, non quid verum dici aut ſibi, aut ſuis expediret, ſed quid verum eſſet, exponere cupiebat.

Simi-

(a) Sane Richardus Simonius Jeſuitarum, non quidem Sinas laudantium, ſed eos Atheos haberi volentium, teſtimonia rejecit. Ait enim (*Biblioth. Critique To. II. Ch. III. p. m. 62.*) = *Le parfait Athëiſme, que ces Peres attribuent a la Secte des Lettrés, ſur le quel ils ſe fondent principalement pour ſoutenir, que leur Religion n'eſt que civile; ce parfait Athëiſme, dis-je, ſe detruit entierement de lui même &c.* =. Jure tamen Valſechius (*Dei Fundam. &c. L. III. p. m. 149.*) nimiae ſeveritatis accuſavit Simonii in hac re judicium. Ratio autem aequiſſimo Viro fuit, quod non modo Jeſuitae, ſed & ex adverſariis Jeſuitarum nonnulli eadem ſcripſerant. Nimirum, ut humanitas ipſa, ne dum Chriſtiana charitas, interpretari nos jubet, non ut ſtudio partium ſervirent, prorſus Atheos eſſe Sinas, nonnulli ſcribebant; at cum non ſatis diſtincta uterentur Atheiſmi notione, homines male, vel, ſi vis, etiam peſſime de Natura Divina ſentientes Atheos vocabant. Hi omnes non ſatis viderunt, ſanctiſſima Pauli Apoſtoli verba nihil eo loco, qua proferuntur, obſcuritatis habere, ac nulli periculo, ne tenui quidem, exponere veritatem: At Sinas ita vocare Atheos, ut illi factitabant, cum non clarius aliis locis mentem ſuam aperirent, eſſe *periculoſae plenum opus aleae*. Dici profecto vix poteſt, quantopere impii, Tolando praeſertim, ac Baylio ducibus, animos, propter eorum teſtimonia, tollere, & quaſi triumphum de piis philoſophis agere, viſi fuerint. Attamen Scriptores illos haud equidem poſſum, niſi alicujus in ſcribendo negligentiae arguere. Caeterum Richardi Simonii judicium etiam in eo temeritatis cujuſdam argui poteſt, quod Jeſuitis univerſis id tribuere videatur, quod paucorum tantummodo Jeſuitarum fuit. Pauci enim, quos inter Nicolaus Longobardus, omni carentes Divinitatis cognitione Sinas antiquos exhibuerunt. = *Plerique* (falſi ſunt) *ſtatuiſſe Sinas priſcos, primo principio ſuo ineſſe ſapientiam, benignitatem, juſtitiam, & omnipotentiam, adeoque divinam dari providentiam* = Verba ſunt haec Jacobi Bruckeri (*To. IV. P. II. Hiſt. Cr. &c. p. m. 883.*), quem nimio plus Jeſuitis faviſſe, nemo cauſari poteſt. Jam quid de recentioribus Sinis plerique ex eodem Ordine ſenſerint, mox oſtendetur.

Similia fere ſunt, quae ſcripſit e Sina Vir graviſſimus Parenninius, cujus doctrina illuſtre retulit, tum a celeberrimo Mairano, tum ab univerſa bonarum artium *Academia Pariſienſi* teſtimonium (*a*).

Similia ſunt, quae a Brancato, Religioſo Viro, e Sina ſcripta perlegi, ſcilicet in libro *Li-ky*, & in libro *Xu-Kim* narrari, quod, quando = *Reges ad hoſtes debellandos procedebant, prius Sacrificiis ſupremum Numen placabant; deinde Tutelaribus Spiritibus litabant; tandem ante diſceſſum ingrediebantur defunctorum Parentum Aulam, quaſi facultatem petentes eundi, quò pergere volebant* =.

At neceſſe non eſt plures teſtes adducere, cum e veteribus iiſdem libris tantopere laudatis excerpta per nos ipſi facile poſſimus, tum apud Leibnitium, tum apud Kortoltum, tum apud alios legere. Pauca quaedam affero.

In uno ex illis verba laudantur, quibus Tamus, cum Imperii Sinarum habenas capeſſeret, homines allocutus eſt (*b*) = *O vos*, inquit, *omnium terrarum incolae, univerſi clare audite, & intelligite meum unius hominis monitum: ex quo tandem fonte pietatis profluxiſſe mortalium naturam, quinque virtutibus pietate, juſtitia, prudentia, fide, honeſtate, inſtructam putatis? A principio nimirum ſolus ille auguſtus, & ſupremus Coeli Imperator, dum procreare coepit Genus Humanum, de coelo contulit naturam iſtam; quae medii rectiſſima norma eſt* =.

In libro *Li-ky* ſive de Officiis haec habentur: = *Imperator, qui offerenda ſuo tempore animalia jubebat ali per centum urbes ſui Imperii, mandabat, ut nemo è plebe eſſet, qui non exerceret ſuas vires ad honorandum Regale Coelum, Supremum Imperatorem, celebriorum Montium, ac Fluminum, & quatuor Terrae Plagarum Spiritus, ut ab his pro populi incolumitate proſperitas flagitaretur* =.

In

(*a*) Vid. (*Lettr. édif. Rec. XXI.*) epiſtolam Parenninii Pekinio datam an. 1730. In ea praeter caetera, quae nihil hic afferre neceſſe eſt = *La doctrine*, inquit, *des King Chinois eſt tout-à-fait oppoſée, & contraire à cette idée* (*de l' Athéïſme des Chinois*) =.

(*b*) Habentur ea verba in libro *Xu-Kim*. Regi nomen erat *Tam*.

In alio libro diſerte dicitur (*a*) = *Imperium Coelitus conferri* = in alio (*b*) = *Coelum non agi affectu, qui tamen norit illud debite venerari, & colere, charum, & gratioſum illi eſſe ſemper, Spirituſque non ſemper exaudire, niſi eum, qui pollet vera virtute* =.

Magni etiam ponderis eſſe debent ea verba, quae docti homines ab alio libro vetuſtiſſimo (*c*), ut fertur, deſcripſerunt. = *Iſti aviti ſapientes, ac probi Reges ſunt in Coelo, neque omnino interierunt. Iſti igitur quomodo non poſſunt enixe implorare opem a Coelo, ut juvet, ac protegat ſuae familiae filios, ac nepotes?* = Quo loco potes obiter advertere, animorum immortalitatem, & alterius vitae praemia fuiſſe ab iiſdem agnita Sinis, de quorum ſententiis diſputamus.

Non ejuſdem roboris eſt conjectura, quam ſubjicio: aliquid tamen ad rem noſtram & ipſa facit. Nempe veri ſimile non eſt, eos nullo modo agnoviſſe Divinitatem, qui praeter corpora, quae ſenſibus uſurpamus, naturas eſſe putabant homine meliores, quas Graeci Δαίμωνας, Latini Genios appellant. Equidem non eos induxiſſe Naturas arbitror, quae non haberent cum ipſis corporibus neceſſaria commercia. Sed tamen aliquid eſt, quod in libro *Chûm-yûm* Confucius dicitur = *ut oſtendat ad ſupra dictam medii virtutem adeo amplam & ſublimem conſtanti conatu enitendum eſſe, exemplum deſumpſiſſe a Spiritibus, quorum uti vis intellectiva ſit excellentior, ita & in operando ſit efficacitas magna; dicere enim: Spiritibus ineſſe operativam virtutem, & efficaciam &c. docere Confucium, ineſſe Spiritibus ſupra memoratis vim quamdam prorſus eximiam, & ordinis ſuperioris: quia cum res omnes corporeae cadant ſub ſenſum, ſoli Spiritus hunc refugiant. Et percipere nos quidem eos viſu, quatenus in effectis ſe produnt, ſed ipſos tamen non videre; incorporare autem ſeſe rebus omnibus, vel exercere operationes ſuas circa res omnes ſic, ut*

res

(*a*) In libro *Tabio*.
(*b*) In libro *Xu-Kim*.
(*c*) Verba ſunt *Chao-cam* ad *Chimvam* Imperatorem.

res non poſſint eos a ſe dimittere, ſeu nequeant conſiſtere ſine eorum directione =

In eodem libro (qui ſub nomine *Scientiae Sinicae* ſub finem proximi Saeculi Florentiae prodiit) haec habentur = *O multitudo immenſa Spirituum! Homines debent eos venerari, ac ſi aſſiſterent ipſis supernè, ac ſi aſſiſterent ipſis ad laevam & dexteram. Oda ait: An Spiritus adveniant non poteſt determinari: magiſne vero poterit, ſi negligenter colantur?* =

In libro de Officiis, quem ſupra laudavi, haec habentur, teſte Brancato, rerum Sinicarum peritiſſimo = *Quoniam Spiritus inter caeteras res ſunt quid perfectiſſimum; propterea in rebus componendis, & dirigendis apicem attingunt. Clarum ſortiti ſunt nomen Quêy Xin, ut eſſent populorum directores; atque adeo reverenter illos timerent, & illis populi ſubjicerentur* = (*a*)

Locus ipſe me admonet, ut aliquid hic de ipſo Confucio (*b*) dicam, de quo tam variae ſunt, inter homines do-

(*a*) Ut paucis omnia comprehenſa videas, tota de Deo doctrina, in Sinarum antiquis libris expreſſa, ita deſcribitur ab Auctore Anglo ſatis accurato, in Hiſtoria Itinerum (*Hiſtor. Générale des Voyages &c. p. m.* 4. 5.) = *Il paroît par les Livres Chinois, ſur-tout par le Chu-King, que ce Tyen, ou ce premier Etre, eſt le Créateur de tout ce qui exiſte; qu' il eſt indépendant, & tout puiſſant; qu' il connoît tout, juſqu' aux plus intimes ſecrets du coeur; qu' il veille ſur la conduite de l' Univers, où il n' arrive rien ſans ſon ordre; qu' il eſt Saint; qu' il ne conſidere que la vertu dans les hommes; que ſa juſtice eſt ſans borne; qu' il exerce des punitions ſignalées ſur les méchans, ſans épargner les Rois, qu' il depoſe dans ſa colere; que les calamités publiques ſont des avertiſſemens qu' il employe pour exciter les hommes à la réformation des moeurs, mais qu' il y fait ſucceder encore des actes de bonté, & de miſericorde: que les prodiges, & les apparitions extraordinaires ſont d' autres avis, par les quelles il annonce aux Empires les malheurs dont ils ſont menacés, afin que les hommes reviennent à lui par le changement de leurs moeurs, qui eſt la plus ſûre voie pour appaiſſer ſon indignation. On cite pluſieurs paſſages des Livres Chinois, où ces principes paroiſſent bien établis* =.

(*b*) *Cum-fu-cu*, ſive, ut Europaei vocare ſolent, Confucius natus eſt in provincia Sinici Imperii, quae *Chantou* dicitur, annis ante Chriſti Domini ortum ad ſexcentis. Fuſe de illo rerum Sinicarum Scriptores, & qui Philoſophiae texunt hiſtoriam. Is in Scientia praecipue, quam Cicero Moralem appellare non dubitat, excelluiſſe dicitur. Ejus potiſſima

doctos, diſcrepanteſque ſententiae. Alii enim, hunc pene unum apud antiquos illos vidiſſe verum, arbitrantur, & exornaſſe Sinam univerſam, privatim & publice, praeſtantiſſimis & inſtitutis, & artibus. Alii autem gloriae celeberrimi Viri tantum detrahunt, ut, Atheum fuiſſe, velint exiſtimari. Equidem & eos magnopere laudare non poſſum, qui ſumma quaeque Confucio in Europa tribuunt, & eos vehementer inſanire arbitror, qui celebrem philoſophum in Sina non levi ſuperſtitione colunt. Sed prorſus Atheum appellari Confucium, id enimvero eſt, quod hoc loco ferre non debeo.

Leibnitius quidem, atque Kortoltus non abſurde Confucium de Natura Divina ſenſiſſe defendunt. Longius etiam progreſſus eſt, nec ſine reprehenſione, Coupletius, maximus Confucii, & Confucianae doctrinae admirator. Sanctiſſimam enim Religionis noſtrae doctrinam putat iis Confucii verbis adumbrari = *Lex ſive ratio produxit Unum, Unum produxit Duo, Duo produxerunt Tria, Tria produxerunt omnia* = Equidem non aliud ex iis verbis colligo, niſi Confucium ab intelligente cauſa rerum omnium originem repeti voluiſſe.

Jam porro teſtatur ipſe Coupletius, non ante cibos capere ſolitum fuiſſe Confucium, quam eoſdem Coelo in obſe-

ſima monita ſic exhiberi video in celeberrimo Salmonis opere italice reddito (*Salmon, Stato preſente &c. Vol. I. della China p. m. 187.*) = *Quello, ch'è nell' Uomo di divino e di celeſte, è dinominato Natura ragionevole. Si dinomina Legge quello che conviene colla Ragione e colla Natura. La Morale, o l' Iſtruzione nella virtù, è 'l fondamento di coteſta Legge, applicandola a ſe ſteſſo. Coteſta Legge ch'è realmente dovuta alla natura infuſa, ci è ſtata data dal Cielo. Le paſſioni vengono dalla Natura; ma una Perſona ragionevole dee impiegare la ſua Ragione per domarle. Un Uomo fatto dee oſſervare coteſte quattro Leggi. I. Di avere la ſteſſa ubbidienza, e pietà verſo i ſuoi Genitori, che quella ei domanderebbe da' ſuoi Figliuoli. II. Di eſſere tanto fedele al ſuo Principe, quanto noi pretendiamo, che coloro i quali ci ſono ſoggetti, lo ſieno verſo di noi. III. Di moſtrare a' ſuoi Superiori la ſteſſa ſtima, che noi ricerchiamo da' noſtri Inferiori. IV. Di aver tanta cura degli intereſſi de' ſuoi Amici, quanto de' ſuoi proprj* =.

Digitized by Google

obſequii ſignificationem obtuliſſet. Suis autem in libris idem Confucius ſaepe monet = *Coelo obſequendum, colendum Coelum, timendum Coelum* = atque ſimilia. Non is ego ſum, ut nomine Coeli non ipſum, quale oculis cernimus, Coelum, at Coeli Dominum, verumque Deum iis locis intelligi jubeam. At profecto Confucius numquam ea de Coelo ipſo pronunciaſſet, niſi maxima intelligentia, nec non providentia, pollere judicaſſet, atque ea, quam Graeci etiam, & Romani veteres Divinitati male agnitae tribuebant, perfectione naturae. Quis enim ubivis gentium inveniri unquam potuit, non dicam uſque adeo ſuperſtitioſus, ſed omnino vecors, ut Naturae, quam non modo gratia nulla, non modo nulla hominum charitate teneri, ſed & omni facultate intelligendi prorſus carere ſentiret, divinos honores eſſe tribuendos exiſtimaret?

Praeterea Confucium pulcherrimae non fuiſſe cognitionis expertem, de qua tam multa dicimus, Memcii (*a*) doctrina declarat. Fuit enim Memcius celeberrimus inter Sinas philoſophus, qui Confucii doctrinam a ſummo viro (*b*), quem erudiverat ipſe Confucius, acceperat. Semper autem Memcius Magiſtri doctrinae adhaeſit, eamque contendit inter Sinas pro viribus propagare. Atqui Memcius hic idem ea dixit, quae fortaſſe, melius aliquid ipſum cum tota ſecta de Natura divina, quam bene multos ex antiquis Graeciae philoſophis, ſuſpicatum fuiſſe, perſuadeant. Ait enim = *Vulgares homines naturam humanam in ſuo ſenſitivo appetitu, quem unum ſibi ſequendum proponunt, & coeleſtem providentiam in quadam gyrantis aëris periodo, & revolutione, qua deſides effecti ad omne bonum opus torpent, ſitam eſſe volunt; non ſic autem ſapientes* =.

Quae cum ita ſint, facile vides, erudite lector, quid judicandum de libello ſit, quem Renodotius edidit, infenſiſ-

 ſimus

(*a*) Sinis eſt *Mem-tſu*. (*b*) Cui nomen *Tſem-tſu*.

Digitized by Google

ſimus nimirum, neſcio qua de cauſa, Sinarum accuſator (*a*). Is, ut alia quaedam infirmiora praeteream, hoc argumento pugnat, ut Sinae univerſi vel fuiſſe vel eſſe Athei videantur. Ait enim, nullum eſſe in eorum lingua nomen, quod Deum ſignificet. Ut id doceat, publicum e Sina, idemque celeberrimum profert monumentum (*b*), in quo Deus nomine Syro appellatur *Alobo*. Hinc ille conjicit, Sinas monumenti auctores non habuiſſe, quod e patrio ſermone nomen afferrent; itaque neceſſitate coactos ad barbaram linguam confugiſſe.

At primo quidem Sinicarum rerum periti nomina proferunt, quibus apud eas gentes Natura divina non inepte deſignetur (*c*). Deinde haud ſatis equidem video, cur non potuerit eodem nomine Deus apud nationes duas, ut ut regionibus, moribus, & ipſo ſermone admodum diſcrepantes, deſignari. Quis enim neſcit nationes ipſas generis eoſdem auctores habuiſſe? Quis non videt facile potuiſſe contin-

(*a*) Libellus habet titulum = *Anciennes relations des Indes, & de la Chine de deux Voyageurs Mahometans traduites d' Arabe &c. a Paris* 1718. = Idem vero Renodotius (*l' Abbé Renaudot*) ſuis notationibus cum libellum illuſtrare conatus eſt. At enim habet plurima, quae nulla teneri veritate Sinicarum rerum periti affirmant. Rationes etiam ad Sinas damnandos ridiculas affert, ut cum ait = *Cette queſtion* (*de l' Athéïſme des Chinois*) *a été agitée de nos jours, & décidée* =. Optime illi reſpondit Premarèus idem, quem laudavimus (*Lettr. édifiant. Rec. XIX.*) = *Le precepte Apoſtolique veut que pour exprimer Dieu, au lieu du mot Tien, qui peut être équivoque, & qui veut dire Ciel, on employe le mot Tien tchu, qui ſignifie Seigneur du Ciel. Eſt-ce dans ce precepte qu' il a trouvé l' Athéïſme des Chinois?* =

(*b*) *L' Inſcription Chinoiſe du Chenſi.*

(*c*) Idem Premarèus eodem loco = *Le mot*, inquit, *Chinois Tao, qui n' eſt pas fort éloigné de* Θεὸς, *au moins pour le ſon, n' a-t-il pas un ſens, qui pouvoit auſſi lui convenir? Car enfin ce jeroglyphe dit dans ſon analyſe Cheou la tête, le commencement, & Tcho de tout mouvement, c' eſt-à-dire le premier moteur* = Idem ibid. = *Les Chinois diſent auſſi de l' Etre ſuprême, qu' il eſt Tſeë, a ſe: yeou, eus, l' Etre de lui même; Tou yeou, totus Ens, l' Etre tout Etre* = Alia reſpondet Renodotio doctiſſimus Premarèus, quae in laudata epiſtola videre potes.

tingere, ut ſanctiſſimum nomen a majoribus acceptum, potius quam caetera, cuſtodire poſteri vellent? Haec momenta maxime locum habent in re noſtra, quod nomen *Alobo* idem eſſe quod *Iebovab* Renodotius ipſe doceat, hoc autem non aliud, niſi ὁ ὢν ſignificare. Quare, cum aptiſſimum eſſet omnium ad perfectiſſimam, & a nemine pendentem Naturam ſignificandam, veriſimile eſt, non minus antiquioribus Sinis placuiſſe, quam Syris.

Poſſemus hic & de Latinis dicere, qui nomen ipſum *Deus* a Graecis mutuati ſunt. Poſſemus etiam advertere, Graecos nomen Θεὸς tantopere celebratum a vocula deduxiſſe, qua nulla fingi poſſit ineptior ad majeſtatem illam, ac perfectionem declarandam, qua nihil majus dici, vel fingi poſſit (*a*). Cum vero hinc nemo inferat, vetuſtiſſimos aut Latinos, aut Graecos Divinitatis omni prorſus cognitione caruiſſe, ne de vetuſtioribus quidem Sinis aliquid ſimile ſuſpicari poſſumus, quod voculam unam ad ſignificandam Divinitatem ab alieno forſitan ſermone detorſerint.

Sed nolo in ratiunculis tam ridiculis longius, quam neceſſe eſt, refutandis tempus, operamque conſumere. Nam quis eſt tam parum in arte critica exercitatus, quin videat, ex eo quod in publico gentis alicujus monumento Deus nomine apud Syros uſitato vocetur, quodvis aliud citius conſequi, quam apud eam gentem jam uſque ab antiquis aetatibus nullam Divinitatis notitiam extitiſſe? (*b*)

CA-

(*a*) Clemens Alexandrinus nomen Θεὸς a verbo Θεῖν (*currere*) Graecos deduxiſſe auctor eſt, propterea quod Planetarum curſus admirarentur, & eoſdem Deos eſſe putarent = Θεοὺς ἐκ τῦ θεῖν ὀνομάσαντες =.

(*b*) Quod contra veteres Sinas ex Nicolai Longobardi libro poteſt objici, mox diluetur.

CAPUT XV.

Sententiae clarorum quorundam Hominum de Sinis Recentioribus exponuntur.

Difficilius profecto recentiores apud Sinas Litterati (ſic enim homines dicuntur ei Sectae, quae primas obtinet in Imperio Sinarum, addicti) ab Ἀθεότητος nota purgari poſſunt. Quod ſi non aliud obſtaret, niſi piorum quorumdam hominum auctoritas, qui cum ex ea regione ſcriberent, ſaepe Litteratos fere ad unum omnes Atheos appellabant, non eſſet in hac explicanda quaeſtione magnopere laborandum. Quis enim non facile concederet, cum teſtes plurimos iis teſtibus opponeremus, poſſe totam litem ita componi, ut *Athei* nomen non eadem, qua nos, ratione pii, de quibus loquimur, homines uſurpaviſſe dicerentur? Nunc autem nobis maximum hac in re negotium faceſſit Nicolai Longobardi auctoritas, cujus probitatem, atque doctrinam, non modo ejuſdem Ordinis, & ejuſdem Eccleſiae homines, ſed & Proteſtantes, praecipue Leibnitius, Kortoltus, Bruckerus, magnopere laudaverunt.

Is cum annos plurimos in Sina fuiſſet, Praeſes demum illius, ut vocant, *Miſſionis*, ab ipſo moriente Matthaeo Riccio deſignatus, libellum conſcripſit, in quo multa narrat, ac multa diſputat, quamobrem Sinae univerſi tum veteres tum recentiores Athei dicendi ſint (*a*). Etenim philoſophorum Sinarum, qui a XII. ad XV. Ærae Chriſtianae Saeculum ſcripſerunt, commentarios diu, diligenterque ſcrutatus eſt (*b*), & *Mandarinos* conſuluit, quorum familiaritate utebatur. Hinc doctrinam Sinicam ille collegit, quam in paucio-

(*a*) Libello titulum fecit *Momenta nonnulla de Religione Sinarum.* Fuiſſe tamen imperfectum ab eo relictum legi.

(*b*) Auctores, quos conſuluit, praecipue fuerunt *Chau-cu*, *Chimci*, *Chu-cu*, & *Ta-civen*.

ciora redactam diligentia non minus, quam ingenio, doctrinaque magnus Bruckerus exhibet (*a*). Nos autem, plurimis omiſſis, ex Bruckero articulos deſcribemus, qui ad rem noſtram facere poſſint.

= IV. *Ex nihilo nihil fit, nec cauſa, vel principium datur, quod ex nihilo produxerit omnia.*

V. *Quoniam autem res omnes non ab aeterno fuerunt, ſed exiſtere coeperunt, ſequitur inde, ab omni aeternitate fuiſſe principium aliquod, quod cauſa rerum omnium eſſet, eaſque ab aeterno praecederet. Et hoc quidem principium vocatur Li, ideſt ratio, ſeu fundamentum totius naturae.*

VI. *Haec cauſa eſt Ens infinitum, incorruptibile, ſine principio, & fine, quia ſine his attributis cauſa prima eſſe non poſſet.*

VII. *Magna haec, & univerſalis cauſa non habet vitam, nec intelligentiam, nec auctoritatem, eſt vero pura, tranquilla, ſubtilis, perſpicua, ſine corpore, ſine figura, & non niſi intellectu comprehendi poteſt, ut res ſpirituales ſolent; & quamvis ſpiritualis non ſit, habet tamen neque activas elementorum qualitates, neque paſſivas.*

VIII. *Ex hoc principio Li, quod materiam primam, ſive chaoticam dicas, ortus eſt naturaliter aër, quinque emanationibus, & mutationibus ſeſe ſubſequentibus, donec tandem materialis, & palpabilis fieret.*

IX. *Li itaque ex ſe ipſo factus globus infinitus, nomen jam habet Tai-kien, ſumma perfectio.* =

Deinde Longobardus explicat, quomodo ex Aëre, Calore, Frigore, & Elementis rerum omnium ortus ea doctrina deducat.

Articulus autem XXVII. apud eumdem Bruckerum haec habet = *Haec Mundi productio mero caſu facta eſt, ſine fato, conſilio, & praedeſtinatione, ex fortuito concurſu cauſarum primariarum efficientium* =.

Articulus autem XXXVII. diſerte habet = *Omnes res una, eademque ſunt ſubſtantia* =.

Ar-

(*a*) *Hiſt. Crit. Tom. IV. P. II. a p. 890.*

Articuli etiam, quos hic ſubjicio, magna ſunt conſideratione digni.

= L. *Ex Li, quod eſt Chaos, ſive Seminarium primum omnium emanant quinque virtutes, pietas, juſtitia, religio, prudentia, & fides, cum habitibus ſuis: ex Li qualitatibus induto, & unito cum aëre primitivo emanant quinque elementa; phyſica itaque, & moralia omnia ex uno fonte Li oriuntur.*

LI. *Eſt itaque Li, eſſentia rerum omnium, ſive, verbis Confucianis, ratio & ſubſtantia univerſaliſſima.*

LII. *Res omnes producit Li per Ki, ſive aërem ſuum primogenitum, velut inſtrumentum ſuum, & eo mediante gubernat quoque omnia.*

LIII. *Poſt certos annorum numeros & periodos, quibus mundus durabit, finem habebit, redibuntque cuncta ad fontem, & principium ſuum, ſic ut tunc nihil futurum ſit, quam Li, & Ki, & tunc Li incipiet novum ex ſe mundum condere, idque periodis infinitis.*

LIV. *Dari Spiritus patet ex ordine coeli, & terrae conſtanti, & juſta, atque perpetua operationum continuatione.*

LV. *Inde concludendum, habere res omnes auctorem, & principium inviſibile, a quo reguntur. Id appellatur Chu, Dominus, Xin-Kuei, Spiritus exiens, & rediens, Ti-Kium, Rex, vel Imperator.*

LVI. *Alterum argumentum, ex quo dari Spiritus concluditur, ſunt beneficia ab iis hominibus exhibita, quae hos permoverunt, ut eos ſacrificiis honorarent* =.

In articulo autem LVII. de Sacrificiis agitur, quae per Veteres nimirum Sinas magnis quibuſdam *Spiritibus* fieri ſolerent. De his autem *Spiritibus* abſurdae Sinarum ſententiae explicantur, ut cum dicitur = *III. Spiritus ceſſaturos, ceſſante mundo, & revocatum iri in communem rerum omnium fontem. IV. Omnes Spiritus ratione ſubſtantiae ſuae eadem gaudere perfectione: & differre tantum in eo, quod locis vel partibus mundi aut majoribus, aut minoribus praeſint. V. Omnes Spiritus eſſe ſine vita, ſine ſcientia, ſine intelligentia, ſine li-*

bertate. *VI. Eos autem ſacrificia recipere*, *pro conditione operationum ſuarum*, *quae in locis iſtis deprehenduntur*, *quibus praeſunt*. *VII. Eſſe autem eos partes Suſtantiae univerſalis*, *quae a rebus*, *quibus inſunt*, *ſeparari nequeant ſine deſtructione illarum* =. Hactenus Bruckeri Longobardum fere deſcribentis verba retuliſſe ſufficiat.

Habet autem Longobardus hac in re ſibi conſentientem P. Antonium a S. Maria, qui de Sinica item doctrina libellum edidit. Et hic etiam iis in Sina muneribus functus fuit, ut Sinicae doctrinae diſcendae non ei deeſſet facultas. Longobardo autem aures praebuerunt & Carolus Gobienus, & Trigotius (*a*), & alii fere omnes, quibus celeberrimam inter Sinas philoſophorum haereſim Α'θεότητος macula conſpergere placuit.

At magnum illud Europae lumen, neque doctrina minus, quam ingenio praeſtans, Leibnitius in celebri ad Remondum epiſtola Sinarum vetuſtiſſimos ita defendit, ut vix, aut ne vix quidem, de illorum pietate in Supremum Coeli Dominum, eumdemque & beneficum, & providum erga genus humanum, dubitari jam poſſe, plurimi eruditi homines opinentur. Scriptores autem illos mediae, ut dicere ſolemus, aetatis, etſi non aeque laudat, ſatis tamen excuſat. Cenſet enim quidquid Longobardus attulerit, non id oſtendere, quod ille vult. At de proximarum aetatum Litteratis parum Leibnitius curare videtur. Ex eo tantum, quod illi ſint Athei, Atheos etiam antiquiores habendos eſſe negat. Doctrinam vero illam Sinicam a Longobardo, & ab aliis, quos diximus, expoſitam mira quadam ingenii vi Leibnitius ad meliores conatur ſenſus adducere. Putat enim, quiquid recentiores Athei dicant apud Sinas, nomine *Li* venire Cauſam rerum omnium Primam, ſumma praeditam intelligentia, ſummoque conſilio. Multa quaſi ἀλληγόρικως dicta explicat, multa ſin minus Deo, at certe ne materiae quidem primae, qua-

(*a*) Gob. *Hiſt. de l' Edict. &c.* Trigaut *de Chriſt. Expedit. L. I.*

qualem Ariſtoteles, aut potius Avicènnas induxit, tribui poſſe demonſtrat.

Me quidem argumenta duo maxime movent, quae a quibuſdam *Li* proprietatibus Leibnitius repetit. Alterum ex eo ducitur, quod operandi, ac ſapientiſſime quidem operandi, virtutem *Li* ſuo doctrina Sinica tribuat. Quare *Li* Peripateticae, ſeu potius Arabicae, illi materiae ſimile quid eſſe non poteſt. Alterum inde repetitur, quod nihil de materia prima ſapere poſſit, cui non in ordine ſolum, quem vocant phyſicum, ſed in eo etiam, quem vocant moralem, potiſſimus locus eſt. Jam in hoc ordine *Li* praecipue ſpectandum eſſe, Longobardus ipſe fatetur. Habet enim e *Li* virtutes animi fuiſſe profectas, atque alia ſimilia. Et ea quidem non ſatis intelligi poſſunt, niſi *Li* conſilio praeditum Sinae excogitaviſſe dicantur. Igitur, cum idem *Li* ſumma perfectione frui conſentiant, ſumme ſapientem, ſummeque perfectum Deum videntur inducere.

Caeterum negari non poteſt, ingenio Leibnitium in ea epiſtola nimio plus indulgere voluiſſe. Etenim non pauca profert, quae, partium ſtudio ſepoſito, citius ad arbitrium confiсta, quam e Sinarum ſententiis expreſſa dicas. Praeterea Sinas non adeo antiquos male de Deo ſenſiſſe, Leibnitius ipſe fateri coactus eſt. Scripſit enim = *Potuiſſe intelligere Sinas* (non de vetuſtiſſimis loquitur) *nomine Tai Kie Subſtantiam, & formam primitivam, & nomine Ki materiam primitivam, mundum concipere velut animal aliquod, vel ens vivum univerſale, genium ſupremum, perſonam ſummam, quem in modum Stoici de mundo locuti ſunt* =.

Hanc de Sinica Doctrina ſententiam, proſtremo loco relatam, maxime probavit, amplificavitque Bruckerus, quam veri ſimillimam non abſurde dixeris. Optimis enim argumentis efficere conatur, non aliam Sinarum, de quibus Longobardus agit, fuiſſe, quam Stoicorum mentem. Neque enim *Li* cum materia prima, neque cum unica Spinoſae ſubſtantia quidquam habere commune. Itaque *Li* Sinarum

idem

idem eſſe cenſendum, atque Animam Mundi *Xáos* informantem, *Tai Kie* Animam ipſius Mundi formati, putat. Hinc vir doctus concludit, ut non aliud de Sinicae, quam de Stoicae doctrinae impietate judicium ferendum ſit. Quo loco monendus es, erudite lector, Bruckerum in primo ſuae hiſtoriae volumine Stoicos *Atheiſmi formalis, ac directi* (iis enim vocibus uti ſolet) crimine abſolutos dimiſiſſe. Quare conſequens eſt, ut ne Sinas quidem eo ſenſu, quem in hac controverſia ſpectamus, Atheos habuerit.

At Leibnitianam Sinicae doctrinae explicationem omni ex parte defendendam ſuſcepit Scriptor & eruditione, & judicandi ſollertia nobilis, Kortoltus (*a*), qui recentiores etiam iſtos apud Sinas Litteratos egregie defendit; & ejus quidem judicium Valſechius maxime probare viſus eſt (*b*). Sed & alii clariſſimi viri, qui numquam in Sinam pedem intulerant, Kortolto citius, quam Longobardo fidem adjungere voluerunt; inter quos Mairanus fuit, magnum ſane, atque praeclarum aetate noſtra nomen (*c*).

 Aliam

(*a*) *In Differt. Prooem. ad To. II. epiſt. Leibnit. ad diverſos.*

(*b*) Valſ. *de' Fondam. L. III. p. m.* 150.

(*c*) Mairanus (*M. Dortous de Mairan*) haec habet, inter caetera, in epiſt. ad Parenninium in Sina degentem data = *Je ne ſuis pas pour cela plus diſpoſé à les croire Athées à la maniere dont on nous le raconte de la plûpart de leurs Lettrez, & de leurs Mandarins:* (de Sinis agit, quos ut Aſtrologos potius, quam Aſtronomos, ita Superſtitioſos potius, quam Religioſos, aut Philoſophos appellaverat). *N'y auroit-il point-là du mal entendu? Pour moi je ne vois rien de plus oppoſé au caractere dominant de la Nation; & bien que l' Athéïſme ſoit le renverſement de toute bonne Philoſophie, il eſt certain neanmoins, que pour en venir à un tel égarement d' eſprit d' une façon bien decidée, & avec autant de raffinement, que quelques Auteurs leur en attribuent, il faut une ſorte de Métaphyſique, qui ne me paroît point du tout être celle des Docteurs Chinois* = Haec Mairanus in epiſtola, cujus particula recitatur in epiſtola Parenninii, qua Cl. Viro reſpondetur. (*Lettr. édif. Rec. XXI.*) Habet autem inter caetera Parenninius = *Je ſuis de votre ſentiment, Monſieur, & il m'a toûjours paru, que ceux qui ont accuſé les Lettrez Chinois d' Athéïſme, n' ont eu d' autre raiſon de l' aſſurer dans le public, que l' intérêt de la cauſe qu' ils avoient entrepris de ſoutenir . . . . Ils ont apporté pour*

preu-

Aliam inivit viam, ut Sinas defenderet Joannes Hooke, qui magnam artis criticae peritiam cum mira quadam diſſerendi ſubtilitate conjunxit. Etenim Atheos ille quidem, vel etiam Atheorum Sectam apud Sinas eſſe non negat: ſed eamdem Sectam negat, aut antiquam eſſe, aut late diffuſam, aut imperium tenere: qua certe ratione maximam Sinarum Litteratorum partem ab Ἀθεότητος impacta calumnia vindicat (*a*). Idem addit = *Multa etiam dici poſſunt vel ad eos excuſandos, qui alium nullum Deum admittere videntur, praeter vim quamdam in natura, quam vocant Taiki, vel Li. Nam hanc vim non ſolum infinitam, & aeternam dicere ſolent, ſed etiam ſumme perfectam; vitam illi attribuunt, nominantque animam, ſeu ſpiritum coeli; & tam magnifice quandoque de ejus intelligentia, & ſolertia loquuntur, ut populus non dubitaverit templa in honorem Li, ſeu Taiki aedificare, eique vota, & ſacra facere* =.

Poſtremo non deſunt alii plures graviſſimi Auctores, ac rerum Sinicarum peritiſſimi, qui recentiores etiam Litteratos in Imperio Sinarum Atheos eſſe negent, & magnopere in ea re a Longobardo diſſentiant. Et illos quidem teſtes mox appellabimus.

CAPUT XVI.

Noſtra de Sinis Recentioribus ſententia proponitur, atque defenditur.

EQuidem recentiores apud Sinas Litteratos, de quibus agimus, ut de Natura divina peſſime ſentiant, maximam tamen partem prorſus Atheos non habendos eſſe pronun-

preuve des paſſages de quelques Lettrez du tems des Song, & entr' autres de Tſou ven Kong, qui favoriſoient leur deſſein, tandis qu' ils ont mis à quartier les paſſages du même Auteur, qui prouvent le contraire. Tout ce qu' ils devoient conclure, c' eſt que cet Ecrivain eſt tombé en contradiction avec lui-même, & que par conſequent il ne doit être cru ni pour ni contre &c. =.

(*a*) Relig. Nat. Tom. I. &c. p. m. 15.

nuncio. Ut id oſtendam, quod veriſſimum puto, liceat mihi aliquid de tanta Nicolai Longobardi auctoritate detrahere.

Illum quidem & ſanctitatis, & prudentiae laude, & illius doctrinae, quae ad Apoſtolica munera rite obeunda requirebatur, praeſtitiſſe non nego. At enim illud etiam negari non poteſt, neque a doctis hominibus negari ſolet, in multis Longobardum de Sinica doctrina ſcribentem peccaviſſe. Nimirum homo, quamvis bono praeditus ingenio, qui tamen inter Peripateticae Scholae tricas, & ineptias bonos annos conſumpſerat, nihil admodum, aut certe parum in arte critica poterat.

Sane, quid ineptius fingi poteſt, quam ad vetuſtiſſimos etiam Sinas Ἀθεότητος damnandos, Scriptorum quorumdam aetatis illius mediae, ac nonnullorum Mandarinorum, quibuſcum praeſens egeris, teſtimonium afferre? Id tamen in eo libro neque leviter, neque obiter Longobardus facit. Atqui ſuorum, inquis, majorum ſententias illi ſcrutati ſunt. Credo; ſed eo fortaſſe animo, ut quales eſſe cupiebant, tales exhiberent. Apud nos etiam Haeretici ſuas opiniones ſanctis Eccleſiae Patribus, atque adeo divinae Scriptnrae tribuunt. Quis tamen hinc, niſi praejudicatis alicujus Sectae opinionibus occupatus, eaſdem aut Patribus, aut Canonicis Scriptoribus ſententias placuiſſe colligit? Quidquid ergo pauci Scriptores, quos Longobardus producit, exiſtimaverint, aut potius exiſtimari voluerint, non facile concedet Criticus quiſpiam, antiquiſſimos Sinicae Sapientiae Patres nulla fuiſſe cognitione Divinitatis imbutos.

Sed & recentiorum Sinarum mentem non fuiſſe Longobardum, & paucos quoſdam cum Longobardo ſentientes aſſecutos, vel ex eo patet, quod res divinas nullo poſſe vocabulo ex Sinica lingua deſumpto deſignari contenderint (a). Dein-

(a) In libello, cui titulus = *Expoſitio Facti de Sinenſibus Controverſiis a PP. Soc. Jeſu oblata &c.* MDCC. = haec habentur = *P. Longobar-*

Digitized by Google

Deinde manifeſtum eſt, Longobardum ad ſcholaſticas notiones voluiſſe Sinicae Philoſophiae notiones referre: quo certe vix aliquid aptius excogitari potuiſſet ad Sinicam Doctrinam aut pervertendam, aut tenebris offundendam. Hoc praecipue Viro, quem pro ſua humanitate multis laudibus ornat, praeſtantiſſimus Leibnitius exprobrat.

Quid quod Longobardus ea ſimul jungere videtur, quae ſimul eſſe non poſſint, ut hinc non injuria non admodum ipſum ſibi conſtitiſſe dicas? Etenim diſerte ſcribit, *Ta-Kie* Sinarum cum Anima Corpus, ut ait, *informante*, & cum Anima Mundi, quam veteres apud nos Philoſophi commenti ſunt, optime convenire. Habet etiam id Antonius a S. Maria, qui Longobardum ſequitur. Habet etiam, licet non ita clare, Bernierius (*a*), diligens ille barbaricarum opinionum indagator (*b*). Jam id quî poteſt cum eo componi, quod neque ipſi *Tai-Kie*, neque alteri Spiritui Sinae Intelligentiam tribuant, aut ullas animi virtutes ab Intelligentia dimanantes? Imo quî poteſt id cum eo componi, quod prorſus

gobardus, propter unam illam, communemque rationem (quod Sinarum Litterati vel omnes, vel fere omnes in *Atheiſmum* deciderint) *tam vocem Tien chu, quam Tien & Xamti, aliaſque omnes Sinicas excludendas eſſe contendebat à ſignificatione rerum divinarum, & ſpiritualium. Id quod ſimiliter fecere R. P. a S. Maria, ac Reverendiſſimus Dominus Navarretta, a quibus reproductus eſt Tractatus Patris Longobardi, quem author imperfectum reliquerat. Et id quidem tam generaliter verum eſſe credidit Reverendiſſimus Dominus Navarretta, ut inde negaverit Baptiſmum valide conferri poſſe in lingua Sinica &c.* = Jam vero, quin fuerint iſti Auctores in ea re turpiter decepti, nemo, quod ego ſciam, aetate noſtra dubitat.

(*a*) Ejus teſtimonium laudatur *To. XII. de l' Acad. R. des Inſcrip. p.* 25. Habet autem opinionem de Anima Mundi etiam ad Sinas penetraſſe: quod quidem in Litteratorum Sectam, non vero in aliam ullam cadere poteſt.

(*b*) Conſentire cum his videtur etiam Minorellius in *Obſerv. ad Iouvencii errores* ubi ait *p.* 126. = *Recte autem ex parte dici veteres, ut & novos Sinas animam mundi coluiſſe, ſi tamen anima vocari poſſit vis materiae inſita, quae ſparſa per ſingulas mundi partes in iis tamquam totidem animae, ſeu Genii, & in Coelo .... tamquam primum praecipuumque numen, & alter Jupiter colitur* =.

ſus Athei Sinae Litterati cenſendi ſint? Etenim & priſcos illos Europae philoſophos Animae Mundi tribuiſſe Sapientiam, magis certum eſt, quam ut ullo debeat hoc loco teſtimonio confirmari, & eoſdem Atheos eſſe vel habendos, vel appellandos, nemo concedit, niſi, more Buddei, ſententiam, quam quis tueatur, cum ſententia, quam tueri deberet, ſi perpetuo ſibi conſtaret, imperite confundat.

Ipſe Longobardus concedit, Sinas Litteratos ex mirabili Aſtrorum ordine, ac ratis, perennibuſque curſibus, & ex mirifica Telluris pulchritudine, ac varietate ad id aſſurgere, ut nobiliores, praeter corpora, naturas, aut *Spiritus*, ut appellat, exiſtere fateantur, Idem, auctore Longobardo, Litterati ex innumeris beneficiis colligunt, quibus perpetuo humanum genus afficitur. Jam quis Longobardo aſſentiatur, homines omnium Scriptorum judicio non omnino vecordes uſque adeo poſſe deſipere, ut nulla prorſus voluntate, nulla prorſus intelligentia *Spiritus* eoſdem vigere arbitrentur? Nam, qui non ſit inter homines truncus, ſi quid ex mirabili Orbis pulchritudine, ac beneficiis in humanum genus collatis colligit, hoc certe colligit, Naturas, quae ſint corporibus praeſtantiores, & eam praecipue Naturam, quae ſit inter omnes maxima, & intelligentia, & conſilio, & voluntate, & bonitate vigere, quibuſcum humana ulla vel ſapientia, vel charitas comparari non poſſit. Itaque haud equidem queo cogitatione complecti, quomodo ingenioſi homines, de quibus agimus, & eſſe praeter corpora, *Spiritus* iis, quae tetigimus, argumentis aſſequantur, & *Spiritus* tamen eoſdem, non minus quam craſſiſſima corpora, ſine vita eſſe dicant, ſine ſcientia, ſine libertate, ſine intelligentia, hoc eſt, ut lapides, ut truncos, & inertes, & brutos, & formica quavis, aut muſca deteriores.

Quae cum ita ſint, facere non poſſum, quin Longobardi, optimi caeteroquin hominis, nec indocti, hac quidem in cauſa, judicio ſtare omnino recuſem, & alios mihi teſtes adhibendos, alios auctores conſulendos putem.

Ete-

Etenim Longobardo, & aliis quibuſdam Longobardum ſecutis, Scriptores optimos opponere poſſum, qui aut multos ipſi annos in Sina fuerunt, aut ab iis, qui fuerunt, fideliter narrata litteris, incredibili diligentia, conſignarunt.

Ii nimirum, quamquam Atheos in Sina eſſe concedunt, eo tamen nomine maximam ſectae, de qua loquimur, partem reprehendi non poſſe conſentiunt. Sunt autem, ut aliquos nominatim appellem, Martinius, Magalhaënius, Duhaldius, Bartolus, Parenninius, Premareus, quibus valde favent Beyerus, Buvetius (*a*), aliique. Hic,

(*a*) Martin. *Hiſt. Sin.* initio, Magalhaens *Nouvel. Relat. de la Chine*, Du Halde *Deſcript. de la Chine T. IV.* ubi de opinionibus agit Imperatorum, atque Magnatum, qui praecipui ſunt in Sinarum Imperio Litterati, Bartol. *Aſia P. III. L.* 2. Parenn. *Lettr. édif. Rec. XXI.* de Premare, *ib. Rec. XIX.*, Beyer in *Muſaeo Sinico*, Bouvet in *Icone Regia Monarchiae Sinarum*. His omnibus addi poteſt accuratus Auctor Anglus, alio etiam loco laudatus a nobis, qui fuſe de Religione Sinarum agit. (*Vid. Tom. XXIII. de l' Hiſtoir. Générale des Voyages, praeſertim a p.* 84.) Etenim, quamquam eos non conſtare ſibi concedit, haec tamen de iiſdem habet = *Ils enſeignent nettement, que l' ame, par l' empire qu' elle a ſur tous les mouvemens, & les affections, peut arriver a la connoiſſance de l' ame ſuprême, c' eſt-à-dire de l'Intelligence qui gouverne tout; que de même la ſimple conſideration de la maniere étonnante dont chaque Etre ſe perpétue & produit ſon ſemblable, prouve eviddement l' exiſtence d' un grand Etre intelligent, qui conſerve, gouverne, & conduit toutes choſes a leur propre fin par la voie la plus convenable. Ils vont juſqu' a ſoutenir que cette admirable ſubſtance ne peut être inanimée ni matérielle. Ils aſſurent même qu' elle eſt Eſprit; qu' elle contient l' excellence de tous les autres Etres, & qu' elle donne l' être a tout ce qui ſubſiſte. Les véritables Lettrés demeurent attachés aux anciens principes. Mais comme il s' en trouve auſſi, qui, ſe livrant aux commentaires modernes, & cherchant l' explication de chaque choſe dans les cauſes naturelles, ne reconnoiſſent point d' autre principe qu' une vertu céleſte, aveugle, & naturelle, les Miſſionaires envoyés a la Chine, ont été portés a croire que c' étoit l' opinion commune des Lettrés* =. Caetera vide apud ipſum, praeſertim ubi narrat, quid Sinarum Imperator hac in re declaraverit, & quantum Viri Principes, ac Litterati indignati fuerint, cum eſſe in Europa Sapientes audiverunt, qui naturam omni prorſus intelligentia carentem a Sinis Coeli cultoribus, tanto caeremoniarum apparatu, coli exiſtimarent. Nos quidem ab argumentis aliquibus promovendis conſulto abſtinemus, ne hominibus parum doctis ea dicere videamur, a quibus non modo dicendis, verum etiam animo reputandis longiſſime abſumus.

Hic, ut opinor, curioſus, & eruditus lector citius quaeſiverit, cur Longobardus ab auctoribus iſtis diſcrepans tam longe abfuerit a vero, quam putaverit, eoſdem auctores Longobardo poſthabendos eſſe. Cui quidem reſpondeo, totam forſitan eius rei cauſam in Sinicarum linguarum incredibili difficultate fuiſſe poſitam. Etenim non raro pene iiſdem notis ſententiae indicantur inter ſe omnino diverſae. Hinc autem fieri ſolet, ut exteri homines, niſi maximam quamdam ad Sinicos libros perlegendos diligentiam afferant, facillime ab auctorum ſententiis percipiendis aberrent (*a*). Et id quidem multo ſaepius, ac multo facilius, aetate Longobardi, quam noſtra contingebat, cum nondum Apoſtolici Viri ad Sinas profecti ab aliorum erroribus didiciſſent, quid ſibi praeſtandum eſſet. Hac, ut opinor, ratione Vir ille optimus aliquid humani paſſus, accedente *Mandarinorum* quorumdam Atheorum perfidia, putavit in iis libris ipſi Coeli Spiritui voluntatem, atque adeo intelli-

(*a*) Hinc etiam ſaepe factum eſt, ut Apoſtolici Viri, quos *Miſſionarios* vocare ſolemus, cum optime callere linguam Sinicam ſibi viderentur, ea dicerent aliquando, a quibus ipſorum profecto animi vel maxime abhorrebant. Nimirum ignorabant, quam diverſam una vocula ſignificationem, quibuſdam additis, aut detractis, habere poſſet. Quidam ex illis voces attulit *Leaò-Xy*, ut ſignificaret Deum; at eae familiam quamdam a Sinis odio habitam ſignificabant. Alius dixit, *Leaò-Xy* habere tres *Pic ſum cu*. Putabat, ſe dixiſſe, Deum habere tres perſonas. At Sinae ita accipiebant = *Quidam cognomine Leaò habet tres diverſos nepotes potentes, ſeu magiſtratum gerentes* =. Alius Chriſtum vocavit *Ki-ly-Xe-Tao*. At Sinis id erat = *Admirabilis oboli vera lex* =. Quidam in libro, quem edidit Sinica lingua conſcriptum, ea verba = *Credo in Spiritum Sanctum* = verterat, = *Credo in* = *Leaò-Xy-Py-ly-chu-Xan-chu* = Riſerunt Mandarini, cum non aliam, niſi hanc ille ſententiam expreſſiſſet = *Credo in quemdam cognomine Leaò vilis oboli culinarium, & agreſtem coquum* = Idem bonus vir vocem *Sanctus* reddere ſibi viſus eſt per voces *Xan-chu*. At ibi eae Latinis reſpondebant = *Montium Culinarius* =. Vocem *Eccleſiae* expreſſerat per *Ye-ly-xe*. At id totum Sinis eſt = *Impenſius colere Spiritum Terrae* =, cujus quidem Spiritus apud Sinas Imago, quam *Idolum* Chriſtiani vocamus, incredibili ſuperſtitione colitur. Alia ſimilium errorum exempla afferri facile poſſent,

gentiam negari, in quibus libris omnino alia alii deprehenderunt.

At ſi quis forte litem hanc totam non ex Europaeorum tantummodo Scriptorum inter ſe pugnantium teſtimoniis, ſed & ex rationibus omnino aliis dirimendam putat, quod hactenus non potuimus niſi veriſimilius efficere, mox ſine ulla dubitatione certum eſſe fatebitur.

Omnes enim iam conſentiunt Auctores, Atheos illos Litteratos dicere, Vim quamdam, non modo a Coelo minime ſegregatam, ſed & ipſi Coelo naturae neceſſitate conjunctam, exiſtere, a qua motus aſtrorum, ac rerum ortus, & beneficia, quibus iuvantur homines, repetenda ſint. (*a*) Quis hic non facile concedat, ad Coelum Sinas iſtos, ***cum evanuerint in cogitationibus ſuis***, Divinitatis imperfectam tranſtuliſſe notionem, quam ***Idolorum*** cultores ad ſaxa quaedam affabre elaborata, vel argentea ſimulacra, vel aurea transferre conſueverunt? Nihil enim eſt ipſis Coelo pulchrius, nihil admirabilius, nihil potentius, nihil ulla demum virtute praeſtantius.

Huic

(*a*) Ad probandum Sinas Litteratos non eſſe Atheos, nihil neceſſe eſt afferre, quae habet Ioannes Hookius *Relig. Natur. Tom. I. &c. p. m.* 15. = *Conſtat*, inquit, (Sinas Litteratos non eſſe Atheos) *ex ipſo Imperatoris teſtimonio, qui anno* 1700. *dignatus eſt edicto publico profiteri, Sinas non materiale, & viſibile coelum, ſed coeli Dominum adorare: quem nonniſi ad reverentiae teſtificationem Coelum vocant, ſicut Imperatorem ſuum ob eandem cauſam palatii ſui nomine nuncupant &c.* = Itaque non aliud affirmo, niſi quod ipſe ſcripſit Marinus Labbèus, Epiſcopus Tilopolitanus, quem nimium Sinis, aut Sinarum patronis faviſſe, nemo profecto dicet. Vid. lib. cui tit. *Lettre de M. Marin. Labbé &c. au Pape ſur le Certificat de l' Empereur de la Chine p.* 67. = *Ne ſavent ils pas, que cet Empereur & ſes Lettrez admettent je ne ſçai quelle vertu ſecrette, reſidente dans le Ciel, & repandüe dans toute la nature, mais inſeparable de la matiere, dont ils font le principe de toutes choſes, & du Ciel même, & a qui ils attribuent ſans peine toutes les qualités, que ces Peres ont exprimées dans leur Expoſé?* = In ea quidem Expoſitione, quam Epiſcopus Labbèus innuit, de quibuſdam etiam Divinitatis Attributis agebatur, ut quod in omnibus dominetur, quod omnibus benefaciat &c. Similia Minorellius habet, cuius aliqua verba ſupra retulimus, quin & Antonius a S. Maria, qui Longobardi ſententiam ſequitur, atque adeo Longobardus ipſe, ut alio loco indicavimus.

Huic eidem Coelo, vel Coeli Spiritui non ſatis a materia ſecreto, neſcio quam Intelligentiam tribuere videntur; eadem nempe ratione, qua commentitiis Ethnici Numinibus, tantopere per ipſorum Poëtas vel ab ipſa ſapientia celebratis. Etenim, ut ea praetermittam, quae ſupra, contra Longobardum diſputans, attigi, quî fieri poteſt, ut nihil Coelum intelligere putent homines non omnino rudes, non omnino veſani, quod bonis bona demittere, quod in malos calamitates injicere, quod precibus eſſe placandum non raro pronunciant? Quî fieri poteſt, ut nihil intelligere putent, quod in publicis Imperatorum Edictis (ſunt enim ea Litteratorum opera) ipſo fatente Carolo Gobieno (*a*), omni honore, ac reverentia dignum eſſe populis in memoriam revocant, cuius juſtitiam, ac liberalitatem graviſſimis verbis proponunt, atque commendant?

Quid quod ipſi Litterati & eidem Coelo, & Coeli Planetis, ac Terrae, Terraeque Fluviis, ac Montibus, incredibili quodam caeremoniarum apparatu, ſacra faciunt? Quid quod in regiis Urbibus, Pechinii, & Nanchinii (*b*), magnifico extructa opere Templa viſuntur, ubi ſtatis anni temporibus ipſe Imperator, Litteratorum ſectae Dux ac Magiſter habitus, maximo ***Mandarinorum***, hoc eſt Litteratorum, comitatu, Coelo ſolemne ſacrificium offert? (*c*) Satiſne iſta declarant & Intelligentiam Coeli Spiritui Litteratos concedere, & nondum auſos eſſe, vel nondum potuiſſe, quamvis fortaſſe voluerint, penitus omnem e ſuis mentibus cognitionem eliminare Divinitatis? Huc enim optime illa faciunt, quae graviſſimus auctor ſcripſit Auguſtinus (*d*)

(*a*) *Preface de l' Hiſtoire de l' Edit de l' Empereur de la Chine.*

(*b*) *Peking*, & *Nanking*.

(*c*) Vid. Semedum, *Relat. della grande Monarchia della China*, P. I. C. 12. *p.* 105., Maffejum, *Hiſt. Ind. p.* 100., Io. Guelter, *Notizie varie dell' Imp. della Cina p.* 88., Ludov. le Comte *Nouveaux Memoires Tom. II. p.* 106., P. a Leoniſſa *in Reſponſ. ad Quaeſita S. Congreg. & ad Quaeſita Em. Caſanati*, alioſque plurimos.

(*d*) *Lib. X. de Civ. Dei C.* 4.

= *Quis ſacrificandum cenſuit niſi ei, quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?* = (*a*)

At enim, inquis, ea peragunt Sinae Litterati, ut populum ſpecie Religionis in officio contineant. Crederem fortaſſe, ſi aut populi Religionem ipſi colerent, aut ſuam populo colendam proponerent. Nunc vero conſtat, populum ſuperſtitionibus omnino diverſis implicitum a Litteratorum ſententiis admodum diſcrepare: Litteratos autem in toto Religionis negotio nihil eſſe de populi, atque *Bonziorum*, qui dicuntur, opinionibus, judiciiſque ſollicitos. Quin & eo Litterati progrediuntur, ut infamium hominum loco *Bonzios* eoſdem habeant, ac praecipue ſectatores *Laokiun*, & *Foë*, non ſecus ac nos haereticos, vel ethnicos, damnent, atque contemnant. (*b*)

Poſſent quidem & aliis rationibus iidem Litterati mendaces dici, cum Coelum, aut aliud quidpiam ex animo ſeſe colere profitentur. Sed eas rationes facile rejiciet quicumque ſciat, hominum ſententias citius ex dictis ipſorum, aut factis quam ex aliorum judiciis, aut ex incertis quibuſdam conjecturis aeſtimandas eſſe.

Ad extremum, erudite lector, monendus es, illos eoſdem homines, quos in Sina diximus Atheos eſſe, multo magis a nobis, quam ab adverſariis ſtare. Quid ita? Nimirum, quia in eos id optime quadrat, quod de Atheis dicebamus feliciores Europae regiones inficientibus. Ideſt ple-

(*a*) Poſſent aliae Sinarum Litteratorum conſuetudines hoc loco exponi, quae vim quamdam, naturamque divinam ab iis agnoſci declarant. Huiuſmodi illa eſt, de qua in Hiſtoria Itinerum nobilis auctor Anglus (*Hiſtoire de Voyages T. XXIII. p. m. 11.*) = *Lorſqu' ils* (*les Chinois*) *veulent implorer la faveur du Ciel, dans les tems de peſte, & de famine, dans les tremblemens de terre, dans les inondations extraordinaires, & dans les autres calamités publiques, les Mandarins* (ſunt ii praecipui Litterati) *vivent ſéparés de leurs femmes, paſſent la nuit, & le jour ſur leurs tribunaux, ſe privent de chair, & de vin &c. L' Empereur même garde la ſolitude dans ſon Palais, à l' Eſt de la grande Salle Imperiale* =

(*b*) Vide hac de re Du-Halde *Deſcr. de la Chine, Vol. I. p.* 653. Le-Comte *Mémoires &c. p.* 334. *&c. l' Hiſtoire Générale des Voyages p.* 49. & alib.

plerique omnes aut non ex animo loquuntur, cum Deum eſſe negant, aut non longo tempore in ea perſeverant impietate doctrinae. Patent haec ex luculentis Parenninii verbis in epiſtola, quam laudavimus, ad Mairanum data. (*a*) Et Parenninius quidem, cum plurimis annis Pechinii moratus eſt, tum eximiae probitatis, eximiaeque prudentiae ſemper laude floruit. Neque vero non conſentientes in ea re Scriptores Parenninius habuit, neque ulla fingi ratio ſatis apta poteſt, quamobrem eius teſtimonio ſtandum non eſſe videatur. Quare haud ſcio, an auctoritatem illius jure contemnere quiſquam poſſit.

Quae cum ita ſint, ſane non video, cur tantopere Baylius, totuſque cum Baylio Grex impiorum, de Sinarum Litteratorum ſocietate glorientur. Etenim illi Generis Humani Conſenſum in agnoſcenda Divinitate vel maxime volentes, vel maxime inviti, comprobant. Utrum ſententiae noſtrae magis faveat, ab aequo lectore decerni volo. (*b*)

CA-

(*a*) = *Ie vous dirai*, inquit, *franchement, Monſieur, que je n'ai point encore vû de Chinois, qui fut athée dans la pratique: on en trouve quelquefois qui veulent le paroître dans la diſpute, quand on les preſſe un peu vivement; mais leur conduïte dément bientôt leurs paroles, & dans un péril imprévû, dans un renverſement de fortune, on voit les uns ſoupirer vers le Lao tien ye (le Seigneur du Ciel) & les autres invoquer les eſprits, & implorer leur aſſiſtance. En un mot leur coeur s'accorde mal avec leurs diſcours* = Ea etiam, quae continuo ſubjicit Parenninius notatu digniſſima ſunt = *Ie puis même ajouter, que le nombre eſt très-petit de ceux, qui ont voulu paroître athées, & ſi quelques-uns d'eux ont tâché dans leurs Livres d'expliquer tout phyſiquement jusqu'aux apparitions des morts & des eſprits, ſans avoir recours a un Etre ſuprême Auteur de toutes choſes, ils ſe plaignent de ce que leurs ſentimens loin d'être ſuivis, ſont abandonnez des Lettrez* =

(*b*) Poſſemus hic multa contra Tolandum, ac Baylium dicere, qui Sinas Litteratos & prorſus Atheos, & tamen maxime probos, atque honeſtos homines eſſe, incredibili jactant audacia. Sed, ut brevitati aliquando ſerviamus, quaedam Ioannis Clerici verba deſcribere hoc loco ſufficiat. Ille enim *Parrhaſian. Tom. III. p.* 145. ait = *Les relations de la Chine, qui nous apprennent, que les Chinois de qualité ne croïent ni l'exiſtence d'une Divinitè, qui gouverne toutes choſes, ni l'immortalité de l'ame, nous diſent auſſi, que*

toute

CAPUT XVII.

De Atheis Europaeis univerſe, quos non ita multos eſſe, facili ratione demonſtratur. Obiter autem agitur de pietate Alexandri Popii.

Atheos poſtremis hiſce temporibus extitiſſe, alio loco docuimus, pro charitate quidem, quam Deo homines debent, nimium multos, at pro multitudine, aut recte, aut non tam prave ſentientium adeo paucos, ut cum adverſantibus comparari nulla ratione poſſint. At quando Baylius, & qui jurant in Baylii verba, de numero Atheorum in ipſa Europa non ita contemnendo ſuſpicionem injicere moliuntur, operae pretium erit hac etiam ex parte ipſorum elevare artes, audaciamque comprimere.

Poſſemus autem ipſis teſtes opponere, quorum non ita facile, ſi conſtare ſibi velint, hac quidem In re auctoritatem declinent. Etenim ipſe Mirabodius, & Scriptores alii Mirabodio ſimiles (*a*) conqueri ſolent, nimium paucos eſſe homines adeo fortes, ut infauſtae ſuperſtitionis, ac maleficae Divinitatis omne jugum excutere audeant. Quin & ille Princeps noſtri temporis Atheorum ſeſe poſteris potius, quam aequalibus ſuis fatetur ea ſcribere, praeclara ſcilicet, ac nova, quae ſcribit. (*b*) Sed

Non

toute la vertu des Chinois ne conſiſte, que dans une profonde diſſimulation de leurs vices = Haec Ioannis Clerici probat Antoninus Valſechius (*Dei Fondamenti ec. Lib. III. p.* 151.)

(*a*) *Syſtème de la Nature* multis in locis, *Contag. ſacrée, Eſſai ſur les préiugés &c.*

(*b*) Poſſemus etiam contra eos, qui Spiritus fortes dicuntur, auctoritatem Alemberti producere; qui (*Mélanges de Litterat. Tom. IV.*) libellum edidit = *de l' abus de la Critique en matiere de Religion* =. Quamquam enim Chaumeixio non aſſentior, qui videtur Alembertum inter Atheos numerare, (*Préjugés contre l' Encyclop. L. I. C. I. art.* 2. *p.* 61.) is tamen eſt Alembertus, ut ipſum nimiae pietatis, aut nimiae religionis nomine profecto nullus accuſet. Ipſe igitur in eo libello non ita multos, etiam inter *Spiri-*

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis

optima noſtra cauſa eget. Etenim auctoribus ad ſententiam noſtram & multo gravioribus, & multo pluribus, tum ex Catholicorum Eccleſia, tum ex Proteſtantium Coetu uti poſſemus.

Et hi quidem fere omnes de piis quibuſdam viris, at non ſatis eruditis, aut in hac certe cauſa non ſatis conſiderate ſcribentibus, conqueri ſolent. Quis enim neſcit, quam multi proditae omnino pietatis, ac religionis iſtis rei fuerint, quod non admodum pii, non admodum religioſi viderentur? Conjecturam hujus rei vel ab iis capere poſſumus, qui poſt Spinoſam Spinoſianae impietatis accuſati ſunt. Etenim, pro Deus immortalis! quam levibus de cauſis, & indiciis, non ita paucis religioſis hominibus ea dica ſcripta eſt!

Quis non moleſte ferat, ut celebre afferam exemplum, nobiliſſimum poëtam Anglum Alexandrum Popium, accuſantibus non ita doctis hominibus, aut certe non ita prudentibus, noſtris autem Graeculis diſceptantibus, de Spinoſiana impietate cauſam dicere? At ille ampliſſimis in Anglia carere honoribus, atque divitiis, quam ſacramentum Catholicae Religionis repudiare maluit. Num hoc Spinoſiſtae, num Athei eſt? Praeterea, ut quaedam ſcripſerit Popius, quae videantur aegre cum divina Libertate componi (de

.qua

ritus fortes, Atheos eſſe ſignificat. Defendit autem egregios philoſophos, ut Carteſium, ut Boërhavium, ut Mopertuiſium, ut Newtonianos univerſos, & eos generatim, quos aliqui accuſant = *en tirant de leur principes des Conſéquences odieuſes, & fauſſes qu' ils deſavouent* = Illa etiam Alemberti verba magnopere probo (§. *II.*) = *Le deſir de n' avoir plus de frein dans les paſſions, la vanité de ne pas penſer comme la multitude, ont bien plus fait d' incrédules, que l' illuſion des ſophiſmes, ſi néanmoins on doit appeller incrédules ce grand nombre d' impies, qui ne veulent, que le paroître, & qui ſelon l' expreſſion de Montagne, tâchent d' être pires qu' ils ne peuvent* =.

qua re nihil hoc loco diſputare neceſſe eſt) Deum certe agnovit, & infinita ſapientia, veraque perfectione praeditum, & rerum omnium principium, quas vel admirabili potentia condiderit, vel praeſenti providentia moderetur. Pauca ex ejus epiſtolis afferre ſufficiat, quas elegantiſſimus Reinelius latinas fecit. Canit enim epiſtola tertia:

„ *Ergo hoc eſto ratum: ſumma unum ſervat agenda*
„ *Cauſſa ſcopum, at variis huc ſuevit legibus uti.*

Paucis autem interjectis verſibus,

„ *Omnes ad totum referuntur in ordine partes.*
„ *Spiritus intus agens, ſapiente per omnia ſenſu,*
„ *Ac virtute means, rerum moderator, & altor,*
„ *Res quaſcumque manu geſtans, quaſi vincula, ſecum*
„ *Conjungit, copulat, ſociat, ligat, implicat, unit,*
„ *Maxima cum minimis, cum ſummis glutinat ima.*
„ *Eſt homini brutum nunc utile, nunc homo brutis*
„ *Inſervit. Quidquid ſervit, ſervitur id ipſum.*
„ *Nil extat ſolum: rerum infinita catena*
„ *Continuat ſeriem. Seriei finis ubinam?*
„ *Stulte, tibine Deus ſoli eſt, ſolumne laborat,*
„ *Ut tibi ſit ſoli bene, ſint tibi cuncta ſaluti?*
„ *Tu tantum ut veſtes habeas, laeteris ut unus,*
„ *Unus ut orneris, victuque fruaris ut unus?*

In eadem epiſtola haec etiam habet.

„ *Sunt ſua naturae data ſemina cuique ſalutis*
„ *Munere divino. Fines praeſcribit, & ortus*
„ *Cuique Deus ſapiens. Mundum, varioſque creando*
„ *Mundi connexos orbes, ut ſit bene Toti,*
„ *Defectus partis varios, varia eſſe ſalutis*

Fun-

Digitized by Google

„ *Fundamenta, Deus voluit. Fuit ordo ſalutis*
„ *Talis, & a prima regnavit origine rerum &c.*

Idem Epiſtola IV.

„ *Ordo, Dei ſummi magna eſt lex, atque ſuprema.*
„ *Hoc ita principio poſito, ſunt ſemper, & eſſe*
„ *Debebunt homines, alios qui viribus, arte,*
„ *Divitiis praeſtent. Verum hinc concludere velle*
„ *Felices magis eſſe illos, rationis id omnem*
„ *Offendit ſenſum. Non eſt injuſtus, inique*
„ *Nil unquam ſtatuit quicquam Deus, omnibus aeque*
„ *Conceſſit gaudere bono, & felicibus eſſe.*

Haec, inquam, & alia ſimilia Popium a Spinoſae impietate abhorruiſſe ſatis oſtendunt,

At nimis longum eſſet pro ſingulis dicere, quos aliorum iniquitas impietatis inſimulavit. Potius ergo quod volumus alia ratione conficiamus.

Etenim, philoſophis omnibus auctoribus, a notis ad ignota procedere debemus, ſi quidem philoſophari potius, quam divinari velimus. Itaque ſi plerique omnes homines Ἀϑεότητος accuſati (de iis verba facio, quorum ſententias litteris conſignatas expendere poſſimus) injuria ſunt accuſati, ſatis eſt argumenti, non tam eſſe magnum, quam aliquibus videtur, Atheorum numerum.

Jam ſumant in manus adverſarii librum quemvis eorum nomina continentem, qui crimen Ἀϑεότητος noviſſimis aetatibus quavis de cauſa ſubierint. Equidem eis, celeberrimum Bruckeri opus exhibeo, quod non ita multis ab hinc annis in lucem prodiit. Ille igitur, cum ſapienter monuiſſet, Hiſtoriam *Atheiſmi* diligentius eſſe ſcribendam, quam ad ea tempora factum fuerat, ea ſubdit (*a*) = *Adbibuimus autem in hac noſtra tractatione curam hactenus, atque*

(*a*) *Hiſt. Cr. &c. Tom. IV. P. II. p. m. 668.*

diligentiam omnem, ut Atheiſmi hiſtoriam, quantum ſcriptionis modus permittebat, ſimul enarraremus, quod ut in veteris, & medii aevi hiſtoria haud ſuperficiarie fecimus, ita in recentioris aetatis philoſophica hiſtoria explicanda non neglleximus ea quoque tangere, quae de Atheiſmo ſectae Averroiſticae, Pomponatii, Portae, Caeſalpini, Cremonini, Simonis Simonii, Taurelli, Cardani, Bruni, Campanellae, Berigardi, Baylii, Bruni, Poſtelli; Mallebranchii, Hobbeſii, Carteſii, Leibnizii, Lockii, Thomaſii, Paracelſi, Boehmii, & Theoſophorum aliorum a nonnullis diſputantur. Solent enim atro huic catalogo inſcribi nomina Bernardi Ochini, Marcelli Palingenii, Lazari Bonamici, Petri Aretini, Bonaventurae de Perieries, Franciſci Rabelaeſii, Jacobi Davidis Perronii, Antonii Mureti, Petri Ruſſi, Stefani Iadelli, Ioſephi Scaligeri, Stephani Doleri, Franciſci Garaſſe, Ioannis Harduini, Richardi Simonis, Iſaaci Peyrerii, Antonii Goveani, Eduardi Herberti, Thomae Brovvne, Bernardi Connorii, Caroli Blountii, Iacobi Maſſe, Ioannis Tolandi, Antonii Collini, Theodori Cornaberti, Conradi Vorſtii, Stephani Curcellaei, Ludovici Meyeri, Ioannis Weſtrene, Iſaaci Voſſii, Hadriani Beverlandi, Gaſparis Scioppii, & multorum aliorum jure, injuriave in hunc cenſum relatorum = Hactenus Bruckerus.

Equidem ab erudito lectore ſciſcitor, quotuſquiſque non injuria accuſatus ex tanto numero produci poſſit? Mihi enim Joannes Tolandus, Antonius Collinius, Ludovicus Meyerus, non injuria accuſari videntur, caeteri autem ad unum omnes abſolvendi.

Quid ergo? ais, an Baylium ipſum abſolves in eum numerum non injuria relatum? Equidem de Baylio ſic cenſeo: Hominem fuiſſe impium, qui nulla fere ſummi Numinis reverentia ſe tangi ſineret, pro Atheis vero ita ſcripſiſſe, ut nemo magis illorum proterviam, furoremque promoverit. At mihi argumenta deſunt, quibus omnino mentitum fuiſſe dicam ingenii optimi ſcriptorem, cum tam ſaepe Divinitatem exiſtere faſſus eſt.

Re-

Reliqui multo facilius abſolvuntur. Nam aut ab inimicis, praecipue Proteſtantibus, eam calumniam paſſi ſunt, etſi optime de Divinitate ſentiebant, ut Iacobus David Peronius, ut Antonius Muretus, ut Richardus Simonius, ut Ioannes Harduinus (*a*), ut alii plures, aut etiam apud aequiores homines in ſuſpicionem adducti ſunt Α'θεότητος, propter errores, quos defendebant, aut propter vitia, quibus inquinabantur.

Pro ſingulis accuratius hoc loco dicere, non ſatis opportunum puto. Etenim pauca quaedam afferre, non ejus eſt, qui cum Baylii diſcipulis rem ſibi eſſe meminerit. At ſi multa pro ſingulis, cum tam multi ſint univerſi, diceremus, alius profecto liber = *De celeberrimis Viris* Α'θεότητος *injuria inſimulatis* = jam nobis conſcribendus eſſet.

Potius igitur lectorem rogo & ingenuum, & eruditum, ut, quod facile fieri poteſt, ex hominibus illis, quem vult ſeligat, ipſumque inſtar rei ſuo judicio ſiſtat. Polliceor futurum, ut, ſi ea teneat, quae ſunt a nobis in Primo noſtro diſputata, rationes ab accuſatoribus allatas, & apud Auctores Hiſtoriae Philoſophicae inveniendas, infirmas eſſe pronunciet.

Neque tamen ipſe recuſo cominus cum Baylio pugnare. Porro autem Baylius eſt adverſariorum acerrimus, atque fortiſſimus. Sic enim cenſeo, ſic ſtatuo: quos produxit Atheos Baylius, quo maxime loco certae, explora-

(*a*) Ut videas, me non amore hominis duci, ut ex Atheorum eumdem numero eximam, non dubito Ioannem Harduinum graviter arguere, quod tot viros pietate, ac doctrina inſignes cum teterrimis hoſtibus Divinitatis (*in lib. cui tit. Athei detecti*) miſcuerit: imo & non multum abeſt, quin & ipſe Alemberti cenſurae in Harduinum ſubſcribam (*de l'abus de la Crit. §. IV.*) quae ſic habet = *Le fameux Iéſuite Hardouin, un des premiers hommes de ſon ſiecle par la profondeur de ſon érudition, & un des derniers par l'uſage ridicule qu'il en a fait* =.

taeque impietatis Atheos producere debuiſſet (*a*), omnes ad unum injuria accuſatos videri.

Quis autem erit Baylianae doctrinae contemptor tam iniquus, ut dicat, aut ſentiat, non eos a Baylio fuiſſe productos, in quibus plurimum adverſarii confidere potuiſſent? Neque enim Baylio mira quaedam, & excellens hiſtoriarum cognitio defuit, neque memoria omnino ſingularis, neque ſagax ingenium, & acutum, & optimis artibus, ac diſciplinis expolitum.

Itaque vel hinc licebit conjicere, quam ſit exiguus Atheorum numerus. Etenim, ut ſupra diximus, a notis ad ignota ratio proficiſci debet. Ergo ſi, qui Α'θεότητος accuſantur ab eo, qui maxime notos, et certos Atheos videbatur accuſaturus, per injuriam accuſantur, ſatis id argumenti eſt, admodum paucos inveniri, qui crimen idem non immerito ſubeant. Sed jam id, quod promiſimus, exequamur.

C A P U T XVIII.

Recentiores aliqui doctrina celebres ab illata per Baylium, atque alios, Α'θεότητος nota liberantur.

PRimo quidem Baylius Averroëm producit, quem plures docti homines Atheum haberi vellent (*b*). At quibus tandem de cauſis hominem inſimulant, qui cum per to-

(*a*) *Continuat. des Penſées &c.* §. *XVIII. p. m.* 69. ubi quantum poteſt numerum Atheorum auget, ut eos Generis Humani Conſenſui opponat, plurimos credi jubet eſſe Atheos inter recentiores. Exempli autem gratia aliquos allaturus, haec ſubdit = *Vous nomme ſeulement quelques uns des modernes, que l'on accuſe d'Athéïſme, un Averroës, un Calderinus, un Politien, un Pomponace, un Pierre Bembus, un Leon dixiéme, un Cardan, un Ceſalpin, un Taurellus, un Cremonin, un Berigard, un Viviani, un Thomas Hobbes* = Eadem his omnibus, praeterquam Leoni X., cujus loco Spinoſa ponitur, injuria fit ab Auct. Encycl. *Art. Athées ed. Luc. p.* 678. quo loco celeberrimos Atheos memorare deberet.

(*b*) Vid. Reimm. *Hiſt. Ath. p.* 537.

totam vitam unicum Deum vereri viſus fuerat, tum librum etiam conſcripſerat (*a*), quo doceret homines, qua ratione cum Deo arctius conjungi poſſent, ejuſdemque amicitia frui?

Nempe ille, ajunt, Ariſtoteli magis, quam aut Moyſi aut Chriſto, aut Mahummedi credidit, ac Religione Philoſophiam potiorem habuit. Haec ratio, cum tam multa de vera notione *Atheiſmi* dixerimus, confutatione non indiget.

At, iidem ajunt adverſarii, Spinoſianus fuit ille ante Spinoſam. Quid ita? *Intellectum* ſcilicet *univerſalem agentem* Barbarus Philoſophus induxit, quem in ſingulis hominibus cogitare ſomniavit (*b*). Ergo univerſos homines eamdem habere Naturam credidit: Ergo *unicam Subſtantiam* in tota rerum univerſitate ante Spinoſam Averroës agnovit.

Pudet me doctorum hominum, qui tam craſſa minerva rationes conficiant. Quid enim? an obliti illi ſunt, quae tam ſaepe in hac eadem Averrois cauſa dixerant? Videlicet Arabem ingenii acumine, at non ſcientiae copia praeſtantem Ariſtotelis doctrinam in ſummo pretio habuiſſe, a qua latum unguem diſcedere magno piaculo ſibi fore arbitratus eſſet. Jam vero Ariſtotelis doctrina non obſcure tradit, Intelligentiam, quae mentes hominum quomodolibet regat, non illam eſſe omnium & maximam, & praeſtantiſſimam, quae, cum a nemine ipſa mota ſit, omnia moveat, atque contorqueat. Imo Intelligentia illa Mentium humanarum praeſes ab Intelligentia ſuprema, ſive *primo*, ut ajunt, *Motore* tam longe diſtat, ſi audias Ariſtotelem, ut innumerae mediae ſint Intelligentiae & ſapientiores, & potentiores. Licet ergo Princeps Arabum Peripateticorum delirare dicatur; ſed non idcirco Divinitatis notionem prorſus evellere voluiſſe dicendus eſt (*c*). Iam

(*a*) Titulum ei fecit = *de Poſſibilitate Conjunctionis, ſeu Communicationis cum Deo.* =

(*b*) Vid. Budd. *Trait. de l' Ath.* C. *VII.* §. 2.

(*c*) Eadem fere poſſunt ratione defendi Arabes alii Peripatetici, de quibus Reimmannus (*in Hiſt. Ath.* (535.

Iam Calderinus quid tandem peccavit, ut non modo ma-

p. 535.);praeſertim vero Alfarabius, Avicennas, & Raſiaeus. Eorum famae videlicet apud Recentiores quoſdam ſtudium Ariſtotelicae doctrinae magnopere nocuit. At qui Ariſtotelis tam impotenti odio non flagrant, facile vident, eadem ratione eoſdem Arabes abſolvi, quae ad ipſos damnandos affertur. Etenim Ariſtotelis doctrina longe ab *Atheiſmo* diſtat. Ergo & Arabes illi diſtant, qui doctrinam eamdem ſecuti ſunt. Injuria etiam accuſatus eſt ejuſdem criminis celeberrimus apud Arabes Poëta *Abul Ola* Morrarienſis, de quo Pocockius. (*ad Port. Moſ. C. VII. p. m.* 215.) Rationes quidem illae; quod redire in vitam homines poſſe negaverit; quod procreationem filiorum non leve facinus eſſe diceret, quia tot, tantiſque malis proles obnoxia futura ſit; magis ridiculae ſunt, quam ut refutari debeant. Potiori jure (quoniam occaſionem hic libenter amplectimur dicendi aliquid de Atheis inter Mahummedanos) accuſati videntur Zindikaei; videlicet hominum Secta, quam ipſe Mahummedes propter impietatem exeeratus eſt. Eorum princeps fuit *Abu-Muslimus*, de quo Baylius (*in Dict. Art. Abu-Muslimus*). Hanc nempe Sectam Baylius Spinoſianum ante Spinoſam errorem profeſſam fuiſſe credidit, quod Petrus Vallaeus (*della Valle*) teſtetur, non alium ipſis eſſe Deum, niſi Elementa quatuor, ipſamque materiam, ex qua univerſa prodierint, & in quam univerſa refluere, ſuis quaequ temporibus, debeant. At accuratius inquirere oporteret, quanam ratione Zindikaei haec eadem explicuerint, aut explicent. Fieri enim poteſt, ut *Syſtema* illud *Emanativum*, de quo ſaepe diximus, potius quam *Atheiſmus* proprie dictus ſub tanta mole impiarum opinionum lateat. Sed, his omiſſis, illud equidem notari velim, Zindikaeos, etſi plures inter eos forte ſunt Athei, non eſſe tamen univerſos. Hoc enim nomen, ut diſcimus ex Alcorani *Scholiaſte*, & ex Pocockio, (*ad Port. Moſ. C. VII. p. m.* 215.) quo nemo diligentius de Arabum doctrina ſcripſit, ad omnes impios, & incredulos, & ad eos etiam, qui duo principia, Lucem, ac Tenebras, ponunt, apud Mahummedis aſſeclas extendi conſuevit. Darariani etiam (ea eſt alia quaedam apud Arabes impiorum haereſis) accuſati ſunt Ἀθεότητος. At, quae de iis Bruckerus (*Tom. III. p. m.* 140.) affert, potius *practicos* Atheos, quam *theoreticos* fuiſſe oſtendunt: ſcilicet eos, qui bona omnia, & honeſtatem, corporis voluptatibus, ac fortunae muneribus metirentur. Ejuſdem farinae plerique Athei eſſe mihi videntur, qui nunc apud Turcas, Arabum progeniem, eſſe dicuntur. De illis quidem ita Ricotius in opere Anglico, quod in Italicum e Gallico ſermone Conſtantinus Belli convertit: qua ego interpretatione utor (*Iſt. dell' Imp. Ottom. L. II. C. XII. p. m.* 427.) = *Quelli adunque che fanno profeſſione dell' Atheiſmo ſi chiamano fra loro Muſerini, che vuol dire, noi abbiamo il vero ſegreto, e queſto ſegreto non è altro, che il negare aſſolutamente la Divinità, di ſoſtenere affermativamen-*

malus a Baylio Chriſtianus, ſed & Atheus haberetur? (*a*) Equidem nihil invenio, quod juſtam ejus criminis injicere ſuſpicionem poſſit.

Ille quidem accuſatus eſt, quod Catholicam Religionem non profiteretur ex animo. Hinc Ludovicus Vives ſcriptum reliquit (*b*) = *Domitius Calderinus ne Miſſam quidem volebat audire, & quum ab amicis eo duceretur, dixiſſe fertur, eamus ad communem errorem* = Hinc in eum facete luſit Politianus celebri Epigrammate.

Audit Marſilius Miſſam, miſſam facis illam,
Tu Domiti, magis eſt religioſus uter?
Quis dubitet? tanto es tu religioſior illo,
Quanto audire minus eſt bona, quam facere.

Equi-

mente, che la natura, o' l principio interiore d' ogni individuo è quello che regola il corſo ordinario di tutte le coſe che noi vediamo, e che noi ammiriamo &c. = Deinde bonam hujus ſectae partem ex Chriſtianis, quos *Apoſtatas* dicimus, componi ſcribit. Hos autem *practicos* potius, quam *theoreticos* eſſe Atheos, accuratus Auctor Anglus advertit. Caetera vide apud ipſum, quem Encyclopaedicus Auctor *Art. Athées p 678. ed. Luc.* deſcribit; ut cum ait = *que cette doctrine contagieuſe s' eſt inſinuée juſque dans le Sérail, & qu' elle a infecté l' appartement des femmes, & des eunuques; qu' elle s' eſt auſſi introduite chez les Bachas; & qu' aprés les avoir empoiſonnés, elle a répandu ſon venin ſur toute la cour; que le Sultan Amurat favoriſoit fort cette opinion dans ſa cour, & dans ſon armée* = . Ipſe tamen Auctor non ad aliam claſſem hos Atheos Turcas pertinere putat, niſi ad illam, quam his verbis Bruyerus (*La Bruyere*) deſcripſit = *Leur indolence va juſqu' à les rendre froids, & indifférens ſur cette article ſi capital (de l' exiſtence de Dieu) comme ſur la nature de l' ame & ſur les conſéquences d' une vraie religion; ils ne nient ces choſes, ni ne les accordent, il n' y penſent point* = .

(*a*) Domitius Calderinus, prope Veronam Calderiae natus, cum trigeſimum annum aetatis ageret, Romae deceſſit an. 1477. Ejus nomen a Politiano celebratum invenias. Nobilis fuit Grammaticus, neque per ea tempora contemnendus Poëta. Sed optime de illo Morerius (*Dict. Art. Calderin*) = *Ce fut un Critique preſomptueux, que quelques Auteurs ont accusé de n' avoir eu beaucoup de Religion* = Vide, ſi de illo plura diſcere cupis, praeter eos, quos citavimus, Trithemium, Paulum Bergomenſem, ac praecipue Cl. Scipionem Maffejum *in lib. cui tit. Verona illuſtrata.*

(*b*) *De Ver. Fidei L. II. p. m.* 264. & 265.

Equidem eum aliquando reſipuiſſe facile credo. Neque enim celeberrimus ille Cardinalis Beſſario hominem prorſus irreligioſum amicitia ſua dignatus eſſet, neque tanta cum laude Calderinus ipſe Romae docuiſſet, neque ſanctiſſima ea civitas exequias funeris ejus tanto cum apparatu proſecuta eſſet (*a*). At quid judicandum ſit de Calderini religione alii viderint.

Equidem, etiamſi, Catholicae Religionis eum non fuiſſe unquam ſacris addictum, quiſquam oſtenderet, non tamen viderem, cur Atheus habendus eſſet. Nempe non minus deſipere Spinoſianos arbitrarer, qui ſuas in partes eum pertrahere vellent, quam Proteſtantes, quos ipſe Baylius carpit (*b*), quod inter ſinceros teſtes veritatis Calderinum eumdem numeraverint.

Eos autem facile contemno Scriptores exterarum gentium, Italis infenſiſſimos (*c*), qui nullo idoneo teſte producto ſcribere auſi ſunt, Domitium Calderinum una cum Marſilio Ficino, atque Angelo Politiano *Atheiſmum*, remotis arbitris, fuiſſe profeſſum.

Jam Politianus hic idem tertius ab Averroë Atheus in medium a Baylio allatus eſt. At quibus argumentis Politiani accuſatores nituntur?

Primo quidem impurum hominem fuiſſe magna voce clamant, qui cum nefario nobiliſſimi adoleſcentis amore corriperetur, nec tamen haberet, quod ſperaret, tantum inde dolorem hauſerit, ut brevi mortuus fuerit; quod quidem turpiſſimae mortis genus non eodem omnes modo deſcribunt. Sint iſta vera. Quid inde in rem tuam? Neque enim ego te, qui rationem adeo ridiculam ad probandam Politiani Ἀθεότητα producas, minus deſipere puto, quam illum putarem, qui hac eadem ratione, impuras Graecorum leges, aut nefariam Mahummedis doctrinam Politiano probatam fuiſſe, vellet oſtendere.

Cae-

(*a*) Vide Paulum Iovium *Elog.* C. *XXI.*

(*b*) *In Dict. Art. Calderin.*

(*c*) E. g. *Pierre de Saint Romuald Abrégé Chronol. Tom. III. p.* 262. *ad an.* 1509.

Caeterum ipſe Baylius optime norat, quae de impuritatibus Politiani, aliiſque ſceleribus narrata ſunt ab inimicis, non eſſe tam facile recipienda. (a) Quare non audet ipſe Baylius, imo ne ipſe quidem Voëtius, (b) iis credere, qui tam horrenda de Politiani morte ſcripſerunt.

At Voëtius hic idem, tam debilis, quam furioſus Catholicorum hoſtis, alia argumenta producit (c), ut inter Atheos, vel Epicureos, vel, ut ipſe ait, *Libertinos* Politianum cenſendum eſſe doceat. Semper enim hoc vitio ſe laborare Voëtius praetulit, ut nulla ſatis diſtincta uteretur notione. Odium, opinor Carteſii, quo flagrabat, effecerat, ut claras notiones, quae recentiori philoſopho tantopere in deliciis erant, omnino repudiaret.

At quod cupit Voëtius, qua ratione conficit? = *De Politiano*, inquit, *refert Pleſſaeus* (d) *in libro de veritate Religionis Chriſtianae, quod diceret, numquam ſe bonas horas ſuas pejus collocaſſe, quam in lectione Scripturae* =.

Etiamſi Pleſſaeus haec diceret, ac vera diceret, nihil inde contra Politianum hac quidem in cauſa exculpi concederet, quicumque recta Α᾽θεότητος notione utitur. At pulchre eſt, quod haec in Pleſſaei libro inveniri, Baylius diſerte negat (e). Nimirum Voëtius, cum de Politiano agit, non aliud oſtendit, niſi ſe Italorum odio tam acri corripi, ut eos omnibus calumniis onerare, quacumque poſſit ratione, velit.

Id certe locum habet, ubi rationem ſolvit ex eo ductam, quod & Sacerdos, & Canonicus Florentinus Politia-

(a) Bayl. *Dict. Art. Politien. Rem. G.* = *Il eſt probable que ſon grand attachement à la Maiſon de Medicis l'expoſa à des calomnies infames, pendant que les Florentins entêtez de la liberté Républicaine inſultoient cette Maiſon exilée, & lâchoient la bride a toutes ſortes de Paſquinades* =.

(b) Vid. Bayl. eod. loco

(c) *Diſp. Theolog. Tom. I. p* 206.

(d) *Mr. du Pleſſis Mornai*.

(e) *Ibid. R. R.* = *Notez qu'il eſt faux que Mornai diſe ce que Voëtius lui attribue. Les Auteurs ſont pleins de ſemblables fauſſetez, & cela vient de ce qu'ils ſe fient aux citations d'autrui ſans prendre la peine de les vérifier* =

tianus eſſet. Hinc ſcilicet plures inferunt, credibile non videri, quod tam male Politianus in Scripturam Θεοπνεύστων locutus fuerit. At Voëtius illico clamat (*a*) = *Haec ratio nimis tenuis videbitur iis, qui norunt, quantopere Atheiſmus, ſeu Epicureiſmus, ſive Libertiniſmus graſſaretur inter Sacerdotes, non tantum Canonicos, & Monachos Papales, ſed etiam inter Praelatos, Cardinales, Pontifices* = Id enimvero conviciari eſt, non argumentari.

Facilius idem ſeſe Voëtius a ratione alia expedit, quam tamen Voſſius (*b*), non ſecus ac primam illam, magni fecerat; quod videlicet Politianus, tempore, quod *Quadrageſimae* vulgo dicimus, ſacras conciones aliquando habuerit. Reponit enim Voëtius (*c*) = *Praedicavit etiam aliquando coram populo Caeſar Atheorum Vaninus, quod tamen illum e numero profanorum non eximit* =.

Sed ut, Voëtio dimiſſo, qui nihil fere his quidem in controverſiis homine Critico dignum afferre ſolet, paucis ea tota quaeſtio praecidatur, hoc argumentum propono. Et humanitas, & juſtitia, & veritas ipſa vetat, ut Atheum habeamus, qui per omnem ſuae vitae curriculum, ut ut moribus eſſet flagitioſis, ac perditis, religioſus tamen, ac ſupremi Numinis cultor videri voluit: vetat, inquam, donec certae quaedam, exploratаeque rationes proferantur, quibus eumdem probetur & in re graviſſima fuiſſe mentitum, &, quod longe difficilius eſt, ad vocem naturae, Deum eſſe tam aperte docentis, aures, ut ita dicam, obſerare potuiſſe. Atqui nihil tale adverſarii de Politiano oſtendunt, cum tamen hic Religionem Chriſtianam ſemper profeſſus fuerit. Igitur & contra veritatem, & contra humanitatem, & contra iuſtitiam peccant, qui celeberrimum Poëtam Atheis adjungunt.

Hac

(*a*) *Diſp. Theol. Tom. II. p.* 1273. (*c*) *Ib. p.* 1274.
(*b*) *De Poët. Latin. p.* 80.

Hac eadem ratione Pomponatius (*a*) defenditur, quem Politiano ſubjiciebat Baylius. Et Pomponatius quidem, cum etiam in vivis ageret, impietatis poſtulatus eſt. Ratio autem potiſſima fuit eiuſdem adverſariis, quod Ariſtotelem Chriſto praeferre videretur. Hinc enim docebat: hominum animos, ſi quidem ſacram auctoritatem conſulas, immortales eſſe dicendos; at mortales, ſi philoſophiam audias. Multi enim extiterunt, qui dicerent, hac diſtinctione Pomponatium incolumitati ſuae apud Catholicos conſulere voluiſſe, atque Ariſtotelicam doctrinam tamquam per cuniculos obtrudere. Teterrimus autem omnium fuit in Pomponatium Guilelmus Poſtellus (*b*), qui Stagiritem ipſum ut impietatis magiſtrum execrabatur (*c*).

At patrocinium philoſophi, qui ſemper Chriſtianus videri voluerat, plurimi ſuſceperunt (*d*), inter quos aliquando fuit ipſe Baylius.

Equidem Pomponatium graviter in eo reprehendendum puto, quod tantopere laboraverit, ut abſurdas opiniones, ac maxime impias, Ariſtotelis doctrinae congruere, neque poſſe naturali ratione convelli, demonſtraret. Cum enim Pomponatius Ariſtotelem ſemper in ore haberet, cum Ariſtotelem unum inter philoſophos vidiſſe verum arbitraretur, ecquis eſt, qui jam non videat, eam, quam ille ſecutus eſt, docendi rationem, ut leviter dicam, ingentis periculi fuiſſe pleniſſimam?

(*a*) Petrus Pomponatius Mantuanus, ineunte Saeculo XVI. philoſophiae Peripateticae gloria nobilis, libros edidit, quibus plurima valde abſurda proponit, & hactenus defendit, quoad cum doctrina Chriſtiana congruere poſſit Ariſtoteles. Ipſe in Romanae Fidei communione obiit an. 1525. & in ipſum Cardinalis Gonzagae, cui cariſſimus fuerat, tumulum magno cum honore illatus eſt.

(*b*) Apud Launojum *de Fortuna Ariſtotel. C. XIV. p.* 269.

(*c*) Aliorum nomina, qui Pomponatium Atheum habuerunt, vid. ap. Reimm. *Hiſt. Ath. S. III. C.* 4. *§. 8. p.* 361.

(*d*) E. g. Guilelmus Gratarolus Bergomas, Gisbertus Voëtius, Ienkinus Thomaſius, Io. Franciſcus Buddèus, Olearius, Leibnitius (*Diſſert. Praelim. ad Theod. §. XI.*)

Praeterea, ut inutiles hoc loco quaeſtiones declinem, non equidem ex animi ſententia concedo, ſed tamen ab adverſariis dici facile patior, ea, quae tribuit Ariſtoteli Pomponatius, vere Pomponatio ipſi fuiſſe probata. Hic adverſarii rem actam putant; ego ne manum quidem ejus Α'θεότητι oſtendendae admotam.

Quid enim Pomponatius tandem de Natura divina ſcribit? Nempe in *II. de Fato, & Libero Arbitrio* docet = *Providentiam divinam, & liberum arbitrium humanum non poſſe ſimul ſtare in eodem, adeoque Deum abſolvendum eſſe a providentia caducorum* = In eodem libro docet = *Deum producere Univerſum, veluti luminoſum producit latitudinem luminis a certo gradu uſque ad non gradum* = Paulo poſt dicit = *Deum non cognoſcere particularia, ſaltem generabilia, & corruptibilia, niſi ſecundum ſpeciem, non ſecundum individuum* = Similia omnino ſunt, quae Pomponatius habet in Libro *de Incantationibus*.

Iam oſtendant adverſarii, quare qui haec dicat ſit Atheis adſcribendus. Ego equidem, ſi nihil aliud, Deum hac abſurda doctrina utcumque relinqui video. Quanti vero iſthaec adverſariorum dialectica eſtimanda eſt, quibus ille, qui male de Natura divina ſentiat, nullam eſſe Naturam divinam arbitrari videtur? Hac eadem ſane ratione conficies, ut, qui de parente ſuo palam obloquitur, nullum ſibi fuiſſe parentem arbitretur.

C A P U T XIX.

Petrus Cardinalis Bembus, ac Leo X. Pont. Max. ab eadem calumnia defenduntur.

QUod inter Atheos locum Pomponatio fecerit Baylius ignoſci fortaſſe poteſt. Quis illum ferat eamdem dicam doctiſſimo, atque humaniſſimo Viro Petro Bembo impingentem? Quamquam enim Bembi vita, (quae fuit illis tem-

temporibus apud omnes ordines veteris diſciplinae perturbatio) reprehenſione non caruit, numquam tamen ille in Catholica Religione nutare viſus eſt.

Hujus rei teſtem appello Ioannem Imperialem (a), qui certe Petri Bembi Cardinalis vitia non tacet. Ait enim = *Protractum aliquantiſper ajunt Bembo hujuſce dignitatis* (*Cardinalatus*) *decus, quod nobilem concubinam Roma perductam laxiore ſenſus intemperamento coluerit; ſuſceptis nimirum ex ea tribus foeminis, ac vel ad frigidum ſenium arcta ipſius conſuetudine propagata. Ita ex Platonis ſententia ſumma ingenia ſumma etiam plerumque vitia conſequuntur* = Ea tamen ſubdit Imperialis, quae Bembum ab omni *Atheiſmi* ſuſpicione liberant. = *Caeterum fidiſſimo pietatis cultu, praealtaque diſciplinarum exiſtimatione, cum in tanta Romanae Urbis luce verendus, & conſpicuus emineres &c.* =.

Quin & ipſe Iulius Caeſar Scaliger, ſummos viros carpere potius, quam laudare ſuetus, quique Bembum ipſum graviter reprehendit, quod Chriſtum Heroëm appellaſſet, ea tamen, quae ſubdimus, in Bembi laudem cecinit.

„ *Si probitas, pietas, gravitas, animuſque quietus*
„ *Cedit iis numeris, qui Ciceronis erant;*
„ *Sic palmam ex Cicerone feram; ſin gloria major*
„ *Ex illis, palmam de Cicerone feram.*

Ita videlicet acerrimus omnium ſui temporis Criticus Bembum illum Atheum loquentem facit.

Quid quod ipſius Bembi obtrectatores, & inimici, cum omnia ſtudioſe colligerent, quibus animum Pauli III. Summi Pontificis a dignitate, quae *Cardinalatus* dicitur, illi conferenda deterrerent, nihil unquam de celeberrimi hominis impietate, aut divinarum rerum contemptu locuti ſunt?

Hac eadem ratione, quam poſtremo loco attulimus,

a Cl.

(a) *in Muſaeo Hiſt. & Phyſ. in Bembo.*

a Cl. Viro Ioanne Dominico Manſio inepta illa fabella refutatur (*a*), quae tam atroci calumniae occaſionem dedit. Videlicet Georgius Sabinus, homo nullius auctoritatis, niſi quod, cum de Romanis multa obloqueretur, a Proteſtantibus libenter auditus eſt, a ſe Petrum Bembum familiariter quaeſiviſſe narravit, quid Melanchton de animorum immortalitate ſentiret. Cum reſpondiſſet ipſe, quam recte ſentiret, ex libris Melancthonis eiuſdem conſtare: tum vero Bembus; Male, inquit, narras. Etenim pluris hominem facerem, ſi contraria omnino ſentiret.

Hic ſtatim exclamant adverſarii, hominem impium, & atheum fuiſſe Bembum, qui religionem dicis cauſa ſimularet; nihil autem eorum crederet, quae profiteretur. Tum in Italorum vituperationem effunduntur. Pro rationibus convicia ingeminant. Similes Bembo plurimos eſſe dicunt in Eccleſia Romana Praelatos, Cardinales, Pontifices; quin & Italiam eſſe celeberrimam *Atheiſmi* Scholam cum Hermanno Conringio, cum Ioanne Franciſco Buddeo, cum Iacobo Federico Reimmanno, cum Iacobo Bruckero jactant (*b*). Has videlicet illi rationes uſurpant, ut invidiam

(*a*) *In notationibus ad Encyclop. edit. Luc. Art. Ame p.* 280. qui Manſius eodem loco haec habet conſideratu digniſſima = *Bayle dans ſon Dictionnaire a la parole Melanchton, où il rapporte ce conte, fait voir qu' il n'y ajoutoit pas beaucoup de foi, ce qu' il répéte auſſi à la parole Bembus à la note F.* = Verba quidem Baylii *in Dictio. Art. Melanchton* ea ſunt = *le vous donne cette hiſtoriette comme je la trouve dans Melchior Adam* = Simili modo ſcribit *Art. Bembus*. Sed Bembum etiam defendit Matthaeus Dandolus in not. ad librum, quem edidit = *Spirito dell' Enciclopedia* = *Art. Anima*; ac praeterea, ut noviſſimos tantum Scriptores appellem, Vir ingentis eruditionis, &, quod maximum eſt, acerrimi judicii, qui Encyclopaedicum de Atheis Articulum ab erroribus expurgandum in editione Liburnenſi ſuſcepit. Utinam ea, quae ſapientiſſime praecipit in iis notationibus talis, ac tantus Vir, Graeculi noſtri ſatis intelligant, ac fideli memoria cuſtodiant. Vid. *Not. ad Art. Athées p.* 762. Edit. Liburnenſis, quae quidem editio longe optima eſt inter omnes, quas ad haec tempora habuimus.

(*b*) Quis, ut exemplum unum afferamus, ſtomachum teneat, ubi legat apud Baylium (*in Diction. Art. Leon X.*)

diam Romanis, ac Romanae Religioni conflent. Num mentior? Cupio refelli. Verum ab iis refelli velim, qui Proteſtantium maxime antiquiorum libros legere conſueverint.

Neque tamen hic pro conviciis convicia referam. Eruditum ego Lectorem e quavis etiam Eccleſiae Romanae infenſiſſima ſecta, modo ne ſenſum omnem aequitatis, & humanitatis abjecerit, judicem, ac diſceptatorem adhibere malo. Viderit ipſe, partium omni ſtudio tantiſper ſepoſito, quid ſit de hominibus ſtatuendum, qui, cum aliis in cauſis & ingenii, & doctrinae, & prudentiae praeſidiis abundare videantur, ubi de Catholicis, maxime Italis, agitur, tam praecipitem, ut leviter dicam, judicandi rationem ſequuntur.

At enim haec noſtra de Proteſtantibus bene multis querela maxime locum habet, ubi de Leone agitur, cujus memoriam omnes, quicumque dant elegantioribus litteris operam, aliquo modo vereri debuerant, etiamſi non omni ex parte defendere potuiſſent. Hominem enim non minus ingenio, ac litterarum gloria, quam Pontificia dignitate nobilem Bembo jungit eodem loco Baylius, qui tamen eumdem in *Dictionario* (ſic enim Baylii maximum opus appellatur) magis aperte defenderat (*a*), quam Scriptor Catholicis infenſiſſimus facturus eſſe videretur.

Sed

Leon X.) Hulrici de Hutten verba *ex Dial. Trias Romana Paſquillor. Tom. II.* = *Tria, Vadiſcus ait, pauciſſimi Romae credunt, animarum immortalitatem, communionem Sanctorum, & Infernorum poenas ERNH. Perſuaſit. Exiſtimo enim, ſi animam crederent immortalem, utique eam excoleret quiſque, ejuſque commodis inſerviret; nunc corporis voluptatem in tantum ſectantur, ut animam premant modis omnibus. Illam vero bonorum communionem ſi quid facerent, etiam ejus participes eſſe vellent. Porro de poenis Infernorum verbum dicere inter praeclaros hos Quirites pro anili eſt fabula* = Hac ratione qui ſcribunt non iis nocent apud aequos rerum aeſtimatores, quibus cupiunt, ſed impotenti odio ſeſe minus aptos ad recte ſcribendum effici demonſtrant.

(*a*) *Art. Leon. X. Rem. Crit. lit. B.* cum eam controverſiam agitaſſet, ad extremum concludit, aequum judicem quemvis nihil contra Leonem pronunciare poſſe = *pensant qu'on n'aura pas de plus ſûres depoſitions* =.

Sed inter omnes, ut opinor, maxime Leonem preſſit Heideggerius (*a*), qui cum Α'θεότητος nihil tale merentem Pontificem accuſaſſet, haec ſubdit = *Et ne ab haereticis haec conficta clamitent οἱ ἐξ ἐναντίας, ejus rei* αὐτόπτην, *&* αὐτήκοον *teſtem damus, qui & ſcire debebat, & cauſam cur mentiretur non habebat, Iohannis Pici Mirandulani Comitis nepotem ex fratre minime degenerem, qui in illo Piſani, & Lateranenſis Conſilii conſeſſu, quaeſtionem tractans ,, utrum Concilia vel Pontifices errare poſſint ,, inter alia de Leone hoc loquens ,, Meminimus, inquit, Pontificem creditum, & adoratum, qui nullum Deum credens, omne infidelitatis (*ἀθεότητος*) culmen excederet: peſſimaque ejus opera in coëmendo Pontificatu, in omnigenis ſceleribus exercendis, id ipſum teſtabantur; Namque faſſum eum affirmabatur domeſticis quibuſdam, nullum ſe Deum aliquando, etiam dum Pontificiam ſedem teneret, credidiſſe ,, quae ejus verba libro de fide, & ordine credendi theorem. 4. p. 259. 260. legere eſt* =

Eamdem Ioannis Pici auctoritatem objecit, cum Leonem X. fuiſſe peſſimum Atheum probare vellet, Pleſſaeus (*b*), qui de Romanis Pontificibus ea ratione ſcribit, qua vix id faceret homo a pulvere, & radio ad ſcribendum excitatus.

Sed antequam ambobus reſpondeo, liceat Heideggerii levitatem tantiſper caſtigare. Ille enim, cum litterulis Graecis imbutus eſſet, duabus illis voculis αὐτόπτην, *&* αὐτήκοον. quamvis importune prolatis, lectori ſuo fucum facere voluit. At doce nos, Heideggeri, doce quis teſtis dicatur αὐτόπτης, quis αὐτήκοος. Equidem putabam αὐτόπτην, eſſe, qui ſuis ipſemet oculis id vidit, quod narrat: αὐτήκοον, autem, qui ſuis audivit auribus, quod aliquis dixit, & quidem, ne, qui famam etiam incertam ſequitur, dicatur αὐτήκοος, ab eodem illo audivit, quem dixiſſe refert. Tu ſi meliora tenes, quaeſo, ne celaveris. At ſi non aliud, niſi quod nos, afferre potes, ubi eſt fides tua? ubi, qui re-

(*a*) *In Hiſtoria Papatus.*

(*b*) *Mr. du Pleſſis Mornai*, de quo ſupra diximus, in libro, cui tit. *Myſtere d'Iniquité.*

réquiritur in hiſtorico, candor animi ab omni mendacio maxime alieni? Neque enim Ioannes ille Picus, cui tantopere fidis, aliquid eorum, quae de Atheo Pontifice narrat, ſuis ipſe oculis vidit, neque horrenda illa dicta ab ejuſdem Pontificis ore excepit. Se tantum id narrare profitetur, quod ab aliis audiverat. Advertit id ipſe Baylius, qui Heideggerii temeritatem notandam putavit (*a*).

Quod vero dicit Heideggerius cauſam non fuiſſe Pico cur mentiretur, haud ſcio, an probari poſſit. Sed cauſa certe fuit, quamobrem ſe facile Picus decipi fineret. Quis enim non videt, quantopere ad rem Pici ejuſdem faceret, quidquid Romanorum Pontificum elevaret auctoritatem? Ecquid autem non conſtat Pici librum legenti, quam vehementer ejus ingenium in Romanos ipſos Pontifices exarſerit? Iam porro unius irati hominis teſtimonium tanti ponderis eſſe non poteſt, quod Α'θεότητι clariſſimi, doctiſſimique Viri oſtendendae ſufficiat (*b*).

 Sed

(*a*) Vid. *eod. Art. Leon X. L. B. Rem. Crit. in margine* ad ea verba Heideggerii, quae & ipſe profert. Non multo poſt Baylius refert ipſa Ioannis Pici verba in Gallicam linguam converſa.

(*b*) Ex his facile refellitur etiam Rivetius (*Remarques ſur la Réponſe au Myſt. d'Iniq.*) qui cum Gretſeri rationem, quam mox proferemus, ſatis validam eſſe ad Leonem abſolvendum perciperet, reſpondit, parum intereſſe = *a qui le pacquet s' addreſſe, pourveu qu'il conſte, que c' eſt a des Papes* = Quare, ſi Leo X. ſit abſolvendus (etſi dici poteſt contra Gretſeri rationem, Picum libros aliquando amplificaſſe, quos olim Iulio II. inſcripſerat) ſed, ſi Leo ſit abſolvendus, certe Alexandrum VI. Α'θεότητος eſſe damnandum, de quo Guicciardinus (*Iſtor. d'Ital. L. I.*) ſcribit, nullum fuiſſe apud eum veritati, nullum fidei, nullum religioni locum. At primo quidem Pici libros, poſtquam ſemel editi fuerant, amplificatos fuiſſe, neque alii Scriptores, neque ipſe Picus monuit. At id monere non omiſiſſet, ſi quidem amplificaſſet. Quod ergo Rivetius de Leone conjecit, omni ſpecie veritatis caret. At Alexandro illata calumnia, ea, quam attulimus, ratione diſſipatur. Non enim debet inimici hominis, & quidem unius teſtimonium in re tam gravi tam facile recipi. Alexander quidem a nemine fuiſſe dicitur moribus aeque, ac apoſtolica dignitate Sanctiſſimus. Sed non idem cenſendum eſt ſuis cupiditatibus obſequi, & Religionem omnem, Divinique Numinis cognitionem ex animo abjicere.

Sa-

Sed contra Heideggerium ſimul & contra Pleſſaeum ea palmaris ratio eſt, quam Jacobus Gretſerus attulit (*a*). = *Intolerabilis*, ait, *porro, & plane diabolica calumnia eſt, cum ſcribit Pleſſaeus, ea quae Theoremate quarto Joannis Franciſci continentur, de quodam Pontifice, qui Domeſticis confeſſus fuerit, nullum ſe Deum aliquando, etiam cum cathedram Pontificiam teneret, crediꝺiſſe, ad Leonem X. pertinere; nam Ioannes Picus edidit Commentarium de fide, & ordine credendi ante Leonis Pontificatum; inſcripſit enim Iulio II. Quomodo igitur relatione illa ſeu hiſtoriae ſeu fabellae Leonem X. denotare potuit?* = Hactenus Gretſerus, cui ſubſcribo.

Quid jam de narrationibus aliis dicemus, queis uſi ſunt adverſarii quidam ex Proteſtantibus, ut impietatem Leonis oſtenderent? Illae nimirum ne Baylio quidem ipſi fidem facere potuerunt (*b*). Erat enim Baylius acerbo, & irato in Romanos Pontifices, ipſumque Leonem animo. At cum videre volebat, facile videbat, omnes Criticae regulas prohibere, quominus tam ineptis fabellis aures adhiberentur.

Hujus generis illa eſt, quam refert Pleſſaeus: ſcilicet Leonem aliquando Cardinali Bembo, qui Leonis ejuſdem a ſecretis eſſet, (advertit autem Baylius haec duo componi non poſſe; neque enim Cardinalis fuit Bembus, quamdiu Leo vixit): Sed ille narrat, Leonem Bembo faſſum eſſe, Chriſti fabulam & ipſis, & univerſo Collegio magnas utilitates at-

Sane Scriptores innumeri, qui res Alexandri geſtas litteris conſignarunt, multa narrant, quae non levi divinae Juſtitiae timore animum ejus corripi conſueviſſe ſignificant. Hinc enim magnopere curabat, ut apud ſe Venerabilis Euchariſtiae Sacramentum retineret; quod ſi abeſſet, vix ullam videbatur quietis partem capere poſſe. Alia multa proferre nihil neceſſe eſt. Etenim ea ratio palmaris eſſe debet: neminem Ἀθέωτητος eſſe damnandum, niſi ſi rationes omnino probabiles, ac firmae producantur ab adverſariis. At contra Alexandrum VI. nihil hujuſmodi produci poteſt. Non ergo poteſt, niſi temere, Atheus exiſtimari.

(*a*) In *Exam. Myſt. Pleſſ.* Vid. etiam Coëffeteau *Répons. au Myſt. d'Iniquit.*

(*b*) Vid. Bayl. in *Diction. Art. Leon. X.*

attuliſſe (*a*). Habet autem Baylius ad quadringentos e Proteſtantium Coetu Scriptores idem narraviſſe: neque tamen potuiſſe, quod narrabant, niſi Balèi auctoritate confirmare; cujus quidem Balèi teſtimonium recipi nulla ratione poſſit. Etenim homo erat, qui, cum ea ſcriberet, contra Pontificem, tum contra Romanorum totam Eccleſiam apertas exerceret inimicitias. Nullum autem eſſe judicium, in quo hujuſmodi homines audiri ſoleant (*b*). Eadem ſcribit eo loco Baylius de Luthero (*c*), atque Auctore libri, cui titulus *Recuſatio Synodi Tridentinae*, qui ridiculam alteram in vulgus narrationem ſparſerunt: videlicet Leonem, cum diſputationi interfuiſſet, in qua noſtrorum animorum immortalitatem alter defenderet, alter oppugnaret, ad illum repente converſum haec effutire non dubitaſſe = *Tu quidem vera videris dicere, ſed adverſarii tui oratio facit bonum vultum* =.

Merae ſunt iſtae calumniae, quas nemo vir juſtus, idemque prudens ſtatim rejicere non debeat. Satis autem eas vel ipſa redarguit Leonis X. graviſſimis in rebus perſpecta prudentia, & ſagax ingenium, quod inimicis etiam ipſius, ac Mediceae Familiae ſemper admirationi fuit.

Quid jam de Jacobo Bruckero dicemus, quo vix aliquis iniquior in Leonem extitit? Totam enim de Leonis Atheiſmo controverſiam ita tractat, ut non mirari nemo poſſit, doctiſſimum Scriptorem tam aperte partium ſtudio ſervire. Ille quidem de Leone agens, ac Petro Bembo = *notam eſſe*, pronunciat, *ſuſpicionem Atheiſmi, qua uterque premebatur* = (*d*) tum paucis interjectis diſerte ſcribit, Philoſophos Peripateticos optime ſciviſſe = *utrumque juſtiſſima ſuſpi-*

(*a*) Verba Pleſſaei (*Myſt. d' Iniq. p.* 584.) ſunt = *Le Cardinal Bembo, ſon Secretaire, lui alléguant un jour quelque mot de l' Evangile, il fut ſi oſé de lui dire, que cette fable de Chriſt nous a fait de bien, & à toute noſtre College* =.

(*b*) Ita Baylius eo loco de Balèo = *témoin manifeſtement récuſable, puiſqu' il écrivoit en guerre ouverte contre le Pape, & contre toute l' Egliſe Romaine* =.

(*c*) Habet ea Lutherus *Comment. in C. XIX. Geneſ.*

(*d*) *H. Cr. T. IV. Per. III. P. I. &c. p. m.* 348. *&c.*

ſpicione premi, quod in eodem luto baererent; certe illam vitam agerent, quam, ad eam, qua uſi ſint, proterviam excuſandam, nihil fere tueri poteſt, quam impietas vel Peripatetica, vel Peripateticae tamen ſimilis, omnemque Dei curam, providentiam &c. = e medio tollens. Ut eam calumniam probet, teſtem citat. Is eſt = *qui Florentinam hiſtoriam anecdotam, ideſt arcanam nobis dedit Antonius Varillanus* (*L. VI. p. 292. ſeqq. Conf. Seckend. Hiſt. Lutheraniſmi L. I. §. 117. p. 190.*) *Ipſe de ἀσωτία Curiae Romanae, ſedente Leone X., legendus, ut taceamus narratiunculas, quibus valde ſuſpectum ſe impietatis criminis Pontifex fecit, quas exhibet Bayle* =.

Haec ſcribere Bruckerus potuit, quae meum quidem animum tanta admiratione percellunt, ut eam verbis explicare vix poſſim. Tu ne ille Bruckerus, qui Epicurum, Stilponem, Ariſtippum, qui Mahummedem ipſum Alcorani auctorem, qui Jordanum Brunum, qui Thomam Hobbeſium, qui tot alios impios homines, & omni flagitiorum genere infames ab'Ἀθεότητος illata calumnia tam ſedulo vindicabas? Tu ne ille Bruckerus, qui tam ſapienter eos reprehendebas, qui Philoſophos quamvis perditos crimine eo facile accuſent, quod non poſſit niſi luculentis rationibus, & explorata plurium incorruptae fidei teſtium auctoritate probari? Tu ne ille Bruckerus, qui cum de gentium, ac philoſophorum placitis ageres, quae nullo modo Catholicorum, ac Proteſtantium controverſias attingerent, tantam in arte critica peritiam cum ſingulari eruditione conjunctam, tam acre judicium, tam ſubtile ingenium prae te ferebas? Ita ne repente deſipere potuiſti, ut ea ratione ſcriberes, qua ne diſcipulum quidem tuum in arte critica ſcribere decuiſſet? Quid enim? Notionem Atheiſmi cum notione cujuſvis impietatis, notionem impietatis cum notione improbitatis, hanc vero cum notione levitatis, aut maculae cujuslibet, quae tam clare aliis in locis omnia diſtinxeras, nunc miſerandum in modum permiſces, atque confundis. Cupere te velle ſignificas, ut fabulis fidem adjungamus, quas Baylius

ipſe

ipſe contempſit, quamvis aeque ac tu in Romanos iratus. Tamquam certa, & explorata tradis, quae de Romanae Curiae vitiis Romanorum hoſtes, tradiderunt; & ii quidem hoſtes, qui tam acre bellum contra Romanos gerebant, ut omni eos auctoritate, ac dignitate ſpoliarent. Vel quod Varillanum etiam teſtem appellare audes. Ita ne tui oblitus es? Ita, Bruckere, te ab odio tranſverſum agi ſinis? Quid enim hominis iſte Varillanus fuit? Nempe perditus nebulo, qui non veritati, ſed amori ſerviret, aut odio, qui nullam in Italia nactus eſt auctoritatem, qui tantum apud exteros cujuſdam generis homines, quae ille narrabat, vera eſſe cupientes, hiſtoriam ſuam venditare potuit, qui demum, cum in notiſſimis rebus tam ſaepe labatur, atque tam turpiter, ut Baylius idem non uno in loco oſtendit, ſatis ipſe indicat, quam fidem mereatur, ubi ſe res arcanas traditurum eſſe pollicetur.

Ejuſdem impudentiae, vel potius ejuſdem furoris fuit, ad probandam impietatem Scholae Peripateticae apud Italos Saeculo XV. & XVI. Macchiavellum teſtem appellare. Ita enim paulo ante (*a*) Bruckerus idem ſcripſerat = *Nos ad unum teſtem provocamus Nicolaum Machiavellum* (*Diſſert. in Liv. Dec. I. L. I. C.* 12. *p.* 40. *Conf. La Croze Entretiens p.* 394.) *qui ut acutiſſime ſui temporis mores pernoſcebat, ita facile vidit, corruptiſſimos aulae Romanae mores, & hypocriſin ſummorum in Eccleſia virorum ad hanc peſtem* (*Atheiſmum*) *generandam plurimum attuliſſe* =. Quam parum Macchiavellus, non leve illud Italiae noſtrae dedecus, audiri mereatur, is tantum ignorare poteſt, qui & impietatem ipſius, & improbitatem non ſatis perſpectam habuerit. Quis in publicis etiam judiciis homines anteſtari auderet omni flagitiorum genere infames? Accedit quod Macchiavellus eos inſectetur, & carpat, quos immani ſuae impietati non leviter infenſos fuiſſe, atque futuros eſſe optime noverat.

Caeterum non is ego ſum, qui Romanorum ejus temporis, & ipſius Leonis mores omni ex parte defendam. Juve-

(*a*) *Ib. p.* 346.

venem enim Pontificem, etſi praeclaris animi dotibus ornatum, juvenile aliquid in ipſo Pontificatu prae ſe tuliſſe ſcio. At enim, quod cum nobilibus neſcio quibus adoleſcentibus aliquando, Pontificia majeſtate poſita, liberius jocari viſus fuerit, non debet ad ejus criminis argumentum trahi, quod homines tantum flagitioſi, ac nefarii Leoni objicere potuerunt. Quod venationibus apprime delectaretur, non indicat, nullam ipſi fuiſſe Chriſtianae Religionis curam. Quod tibicines, muſicos, ac maxime poëtas ad menſam adhiberet; quod Archipoëtae generoſum vinum ab eadem menſa miniſtrari juſſerit; quod illo canente:

„ *Archipoëta facit verſus pro mille poëtis:*

Pontifex hilarior factus verſiculum extemplo ſubjecerit:

„ *Et pro mille aliis Archipoëta bibit:*

Haec, inquam, aliaque ſimilia, de quibus tantas tragoedias aliqui Proteſtantes excitarunt, non innuunt, Leonem ipſum, ſe Chriſti vices in terris gerere, ſibi perſuadere non potuiſſe.

Alia, praeter illa, quae tetigimus, crimina Leoni ſunt objecta, neque tamen idoneis teſtibus probata. Profecto Vir quiſque mediocri etiam prudentia praeditus valde cavebit, ne incertis quibuſdam rumoribus aures praebeat; praeſertim ſi ſciat, per ea difficillima tempora tum Romanam Curiam, tum ipſum cum tota Medicea familia Leonem ingenti apud homines plurimos invidia flagraſſe. Inter ea crimina eſt etiam illud teterrimum, quod *Simoniam* Chriſtiani dicimus. Quare leviſſimum hac etiam in re ſeſe praebuit Sanazarius, cum Leonis famam iis verſibus proſcindere conatus eſt.

„ *Sacra ſub extrema, ſi forte requiritis, hora*
„ *Cur Leo non poterat ſumere? Vendiderat.*

Ne-

Neque vero Leonis res geſtas apud aequales ſcriptores legenti argumenta deſunt, quibus illum non modo Atheum, ſed neque perditum hominem fuiſſe demonſtret. Praeclarum enim illud eſt, quod de Leone Paulus Jovius narravit (*a*), neque ullus quod ego ſciam, aperte inficiari auſus eſt = *Conſtat tamen*, inquit, *eum, quod a prima adoleſcentia, opinione omnium, ſummam continentiae laudem fuiſſet adeptus, non importuna quaedam pudicitiae, caſtitatique praeſidia quaeſiviſſe: quando nequaquam priſtinae vitae more tam multis, delicatiſque obſoniis uteretur: Itemque animo vere judico die mercurii carnes non edere, die autem Veneris nihil guſtare praeter legumen, & olera, ac die demum Saturni coena penitus abſtinere incorrupta lege inſtituiſſet* = Hoc etiam Paulo Sarpio Leonem neglectae pietatis arguenti (*b*) repoſuit magnum illud Eccleſiae propugnaculum, tum Societatis Jeſu decus, & lumen, Cardinalis Sfortia Pallavicinus (*c*).

Sed & alia duo Pallavicinus notavit, quae nobis non omnino praetermittenda ſunt. Memorat enim ab Angelo Politiano mira quaedam de Joanne Mediceo, (fuit is, qui poſt multos annos Pontifex renunciatus Leo X. dici voluit) ad Innocentium VIII. Pontificem Maximum (*d*) ſcripta fuiſſe. Etenim Politianus & auream adoleſcentis indolem, & ingenium, quod ad virtutes omnes penitus animo combibendas factum videretur, & pietatem in Deum, & in patriam magnificentiſſimis verbis eſt proſecutus. Praeterea Pallavicinus de-

(*a*) Jov. in *Vit. Leonis X.*

(*b*) Sarp. *Iſtoria del C. L. I. p.* 5. Vulgo dicitur *il Soave*.

(*c*) *Iſtor. del C. L. I. C. II.* Baylius ipſe (*in Dict. Art. Leon. X Rem. P.*) de ratione, quae ducitur ad Leonem abſolvendum ab ea Jovii narratione. pronunciat = *Ceci vaut mieux que tout le reſte* = & infra *Rem Q.* = *La ſeconde de ces trois choſes* (quod ſcilicet e Jovio protulimus) *ſi elle eſt telle, que Paul Iove l' a raportée, eſt, ce me ſemble, une bonne preu e de Religion, quand on en peſe bien les circoſtances* = Ex eadem ipſa Baylii ſcribendi ratione conſtat, eum, quod Jovius retulit de jejuniis Leonis, negaturum fuiſſe, ſi quo probabili argumento negare, aut in dubium revocare potuiſſet.

(*d*) Creaverat is Cardinalem Joannem Mediceum, qui tum aetatis annum 14. non exceſſerat.

deſcribit, quam apte, atque decore ſacras Miſſarum caeremonias idem Leo, quantaque cum majeſtate perageret.

Et id quidem Scriptores etiam alii docent, qui Leonis res geſtas narrant. Nam & Onuphrius Panvinius (*b*) = *Erat*, inquit, *rerum divinarum diligens obſervator, & ſacris caeremoniis deditus* = & Paulus Jovius = *Sacra confecit*, inquit, *ſingulaque ceremoniarum obivit munia ſingulari cum majeſtate, ut non falſo nemo ſuperiorum Pontificum eo auguſtius, & decentius ſacrificaſſe diceretur* =.

Jam hae duae poſtremae rationes a Pallavicino prolatae nihil Baylio ſatisfaciunt. Putat enim illis non recte confici, ut Leo religionem ex animo coluerit (*c*).

Equidem geometricas rationes eſſe non dico. Eas tamen eſſe dico, quae ad oſtendendam hominis pietatem aliquid conferant. Saltem enim locum illae debent, ac vim obtinere, donec adverſarii ſatis idonea proferant in contrariam partem argumenta. Ipſi nimirum & Leonis animum tantopere immutatum fuiſſe, & aliud hominem ſenſiſſe, aliud autem prae ſe tuliſſe oſtendant, oportet. Et illae quidem rationes ex eo confirmantur, quod nullum poſt hominum memoriam Atheum fuiſſe noverimus, in quem eadem illa, quae de Leone narrantur, optime caderent.

Sed, his omnibus tandem omiſſis, illud ſapiens lector nobis non aſſentiri non poteſt: Neminem Atheum eſſe judicandum, qui conſtanter in omni vita ſupremi Numinis cultor videri voluit, & pietatem in Deum ſibi cordi eſſe qua ſcriptis, qua rebus geſtis, qua voce ſignificavit; niſi forte, qui vult Atheum judicari, rationes & argumenta omnino certa producat, quae turpiter illum per totum vitae tempus mentitum fuiſſe demonſtrent. Jam illa omnia praeſtitit Leo: neque vero quiſquam illum hac in re mendacii conatur

(*b*) *in V. Leon. X.* Hoc teſte utitur Coëffeteau (*Répouſ. au Myſtere d' Iniq. p.* 1227) ut Leonem ab impacto Ἀθεότητος crimine defendat.

(*c*) Vid. *Rem. Q.*

tur arguere, quin levitatem potius, & cavillandi libidinem, & improbitatem ipſe ſuam prodat, atque demonſtret. Igitur ſententiis omnibus aequorum Judicum Leo abſolvendus eſt. Contra vero, qui adeo iniquam Leoni dicam ſcripſerunt, ut perditi calumniatores objurgandi, atque damnandi.

CAPUT XX.

De reliquis hominibus a Baylio productis, quo loco celeberrimos Atheos producere debuiſſet.

Reliqui a Baylio producti, atque Ἀθεότητος nomine reprehenſi, nobis autem hoc loco vindicandi, ſunt Cardanus, Caeſalpinus, Taurellus, Cremoninus, Berigardus, Vivianus, Thomas Hobbeſius. Breviter de ſingulis agamus.

Hieronymus quidem Cardanus (*a*) a Martino Del-Rio, non tam emunctae naris Critico, quam laboris aſſidui Scriptore, ſummae illius impietatis poſtulatus fuit. Martinum alii ſecuti ſunt, quorum apud Bruckerum nomina legere licet.

At meliores notae Auctores litteram ſalutarem hac quidem in cauſa Cardano haud gravate concedunt. Triſtem autem illam judicio reſervant de ſtulta Cardani ſuperſtitione. Hoc enim vitio ita Cardanus laboravit, ut ab oppoſito crimine Ἀθεότητος non parum abfuerit. Ita de Cardano ſenſere Parckerus, Baylius, (alio tamen loco ab eo, quem noſtra modo oratio reſpicit) Buddeus, Reimmannus, Bruckerus, Genuenſis, aliique plures (*b*).

(*a*) Hieronymus Cardanus, patria Ticinenſis, deceſſit anno 1576. cum aetatis eſſet annorum 75. Superſtitionis, ac ſtultitiae, neque ita levis, notam effugere non potuit. Mirifice tamen eum ab ingenio, atque doctrina ſummi Viri laudarunt. Voſſius *de Mathemat.* ita de illo ſcribit = *In naturae ſcientia tot nova attulit, ut ſummus vir Andreas Alciatus eum vocaverit virum inventionum* = Quin & Julius Caeſar Scaliger, Cardano infenſior, ejuſdem tamen ingenium valde laudavit.

(*b*) Parck. *de Deo, & Provid. Diſp. I. Sect.* 23. Bayl. *in Diction.* Bud.

Sane quidquid adverſarii protulerunt, non aliud in hoc judicio probat, niſi eos diſtincta 'Αθεότητος notione non uti. Nam rationes ipſorum, ſi quid efficerent, tantum efficerent, non fuiſſe Cardanum in ſanctiſſima Chriſti Religione omnino firmum. Quamquam qui iſta jactant, explicare debuiſſent, cur Hieronymus ampliſſima a Regibus Angliae, & Daniae oblata munera reſpuere, quam Catholicae Religioni nuntium mittere maluerit. Alia etiam homo non optimus, at neque peſſimus Religionis indicia non obſcura praebuit. Sed, his omnibus omiſſis, certe nihil in vita prae ſe tulit, nihil ſcriptum reliquit, quamobrem Divinitatem non agnoviſſe videretur.

Potius in libris ſuis ita de Deo diſſerit, tamquam pietatem ſuam in Deum probaturus eſſet. Pauca ejus verba afferre ſufficiat (*a*) = *Tu igitur, Altiſſime, a quo omnia bona profluunt, cujus nutu cuncta moventur, cujus imperium nullis finitur limitibus, Claritas infinita, qui ſolus lumen verum habes, ſolus vere aeternus, totus in te ipſo, tibi ſoli notus, cujus ſapientia omnem excedit cogitationem, unus, atque incomparabilis, extra quem nihil eſt, qui me velut terrae vermem in umbra ſcientiae direxiſti, cui quidquid veri hic ſcriptum eſt debeo ..... Ignoſce mihi, mentemque meam illuminando pro tua indefeſſa liberalitate ad meliora dirige* =.

Difficilius eſt Caeſalpinum defendere, quem caecus Ariſtotelicae doctrinae amor invidia cumulavit (*b*). Genuenſis quidem his verbis docuit (*c*), quid cauſae fuerit, cur impie-

Bud. *Trait. de l'Athéïſme in notat.* Reimm *Hiſt. Ath. S III. C.* 4. §. 11. Bruck. *Tom. IV. Hiſt. Crit. Per. III. P. II. L.* 1. *Cap.* 3. §. 5. Genuenſ. *Diſſert. Phyſico-hiſt. de Rer. Corp. Orig. &c. p. m.* 59.

(*a*) In fine librorum *de Subtilitate* apud Genuenſem *loc. cit.*

(*b*) Andreas Caeſalpinus philoſophus, ac medicus celeberrimus, patria Aretinus, deceſſit anno 1603. cum quartum ſupra octogeſimum aetatis annum ageret. De illo ſcripſit Genuenſis (*Diſſert. phyſico-hiſt. de de Rer. Corp. Orig. &c p. m.* 62.) = *Sanguinis circulationem omnium primus in orbem intulit, aut explicuit* = Fatetur id etiam Baylius noſter *in Diction.* etſi eam gloriam alii Harvaeo, alii Sarpio tribuere malunt.

(*c*) *Loc. cit.*

pietatis Caeſalpinus poſtularetur. = *De rerum origine, & conſtitutione ita diſſeruit, uti Ariſtoteles ipſe, quem nemo haud dubium acutius interpretatus eſt, uti Parkerus agnoſcit* (*de Deo, & Provid. Diſp.* 1.) *Mundum eſſe aeternum, omnia in natura fieri aeterna quadam neceſſitate, hominum, brutorumque animas vires eſſe a materia indiſſolubiles, atque per totam diffuſas materiam. Eam ob rem Baelius cum Spinoſiſtis facere Caeſalpinum ſcripſit* =.

At negari non poteſt Caeſalpinum in ſententias etiam magis ineptas, &, quod caput eſt, magis impias incidiſſe: videlicet quas neque Graeci, neque Arabes unquam Peripatetici e Stagiritis Magiſtri libris extorſerant. Pauca ſe'igimus ex Caeſalpini libro, cui titulus *Quaeſtiones Peripateticae*. Ex iis lector agnoſcet, quantopere Vir acuti ingenii, ſed Ariſtotelis amore depravati deliraverit.

Ait enim = *Nullam eſſe ſubſtantiam praeter animae naturam* = ex quo infert = *Omnium animatorum animam communem quamdam, & unam eſſe animam, quae pro varia ſubjectorum materia varias efficiat animatorum ſpecies* = Ratio autem horum errorum Caeſalpino fuit, homine, qui non fere aliud in Metaphyſica, niſi Peripatetica Sophiſmata noverat, omnino digna. Scribit enim = *quia actus ſimpliciſſimus ab omni materia ſeparatus non ſit quantus, impoſſibile eſſe multitudinem recipere; unam igitur tantum fore hujuſmodi ſubſtantiam* = Conſequenter ad haec docet = *Primam ſubſtantiam per ſe quidem unam eſſe, ſed quia res multae ſunt, quibus ipſa communicatur, multas videri: Univerſi ſubſtantiam ſupra omne corpus exiſtentem, & ab omni materia ſeparatam pro multitudine corporum multis modis participari abſque ejus diviſione* = Peſſime autem de ipſo Primo Motore, id eſt Ariſtotelis Deo, differit. Habet enim = *Infinitum de iis tantum poſſe dici, quae quanta ſunt continue, vel diſcrete, ſive per ſe, ſive per accidens: adeoque id dici proprie infinitum, quod poſſit eſſe finitum, & ob id aſſerendum eſſe, primi motoris virtutem neque finitam, neque infinitam eſſe. Eſſe quoque primum motorem intelligentiam ſpecu-*

Digitized by Google

lativam, non activam = Illud vero Ariſtotelis doctrinae magis conforme eſt = *Sufficientem eſſe ſpeculativum illum Actum ſimplicem, & perfectiſſimum non alicujus gratia exiſtentem, ſed ipſummet finem omnium, unde habent caetera & eſſe, & vivere* = Non item, quod poſtea ſubdit = *Speculativum Intellectum, Subſtantiam exiſtentem per ſe, non alterius gratia appetibilem, ea, quae apta nata ſunt appetere, perficere, non agendo quippiam, aut introducendo in materiam aliquid, hoc enim laborioſum eſſet, ſed per ſui praeſentiam educendo ex potentia materiae formam, ad quam apta nata eſt* = Ad extremum hominis inſanientis ea verba ſunt = *Principium motus in patiente ſolum, non in agente eſſe, quae natura dicatur uniuſcujuſque; unam tantum eſſe intelligentiam, quae ſit Deus, cum implicet contradictionem plures eſſe intelligentias, ideſt ſubſtantias. Unicam hanc intelligentiam, omnium rerum intelligentiam continere: eſſe enim tamquam menſuram omnium, ita ut ab uno multitudo deſcendat* =.

Cum ea Caeſalpinus ſcripſerit, nemo mirari debet, quod tam acres in eum accuſatores extiterint. Nam primo quidem Taurellus, Philoſophus Germanus, edito libro, cui titulus *Alpes Caeſae*, Medicum Aretinum conſtituit Atheiſmi reum. Deinde plures ipſum ante Spinoſam in eodem haeſiſſe impietatis luto arbitrati ſunt; inter quos, ut Baylium omittam, Parckerus, Buddeus, & ipſe Leibnitius (*a*).

At rectius, opinor, Bruckerus pronunciat (*b*), Caeſalpini, ac Spinoſae doctrinas inter ſe differre = *eo quod*, inquit, *unica Spinoſae ſubſtantia alterius generis eſt, quam Caeſalpiniana, cum hoec ad ſolam animam pertineat, illa ad materiam quoque, cui peripateticis rationibus uſus Caeſalpinus unitatem ſubſtantiae denegavit* = Alio etiam loco (*c*) Bruckerus monet, quod Caeſalpini = Πρῶτον ψεῦδος *fuit, non eſſe ſubſtantiam, niſi*

(*a*) Bayl. etiam in *Diction.* Parker. *de Deo Diſp. I.* §. 24. *p.* 64. Bud. *de Ath. C. I.* §. 24. Leibn. *in praef. Theod.* §. 11. V. Reimm. &c.

(*b*) *H. Cr. T. IV. P. I. p.* 223.

(*c*) *Ib. p. m.* 225.

niſi quod ſit unum, multitudinem autem abſolute a materia tantum eſſe; licet haec una ſubſtantia valde a Spinoſae ſubſtantia unica differat. Qua in aſſertione, & in iis, quae ex illa conſequuntur, Caeſalpinus Ariſtotelem deſeruit, unde notatus eſt G. I. Voſſio (de orig. & progr. Idolol. L. II. C. 4. p. m. 531.) quod contra Ariſtotelis mentem intelligentias motrices non eſſe per ſe multas, ſed tantum ob caeleſtes ſphoeras ſtatuerit: qua ratione ipſo Ariſtotele deterior omnem in ſubſtantialibus multitudinem negavit, & ad unam omnino Subſtantiam ſenſu Stoico, vel ſi mavis Pythagoreo revocavit =.

Super haec a Bruckero animadverſa non deſunt alia, quae notes. Nam Deum Caeſalpinus, quem *Actum ſimpliciſſimum*, aut *primum Motorem* vocat, ſupremam vult eſſe Intelligentiam, a qua quidquid intelligit neſcio qua ratione participet, ut intelligat. Eumdem Deum ea perfectione pollere putat, qua major cogitari non poſſit: quapropter omnia Deum, ut finem, appetant. Praeterea Deum eſſe docet rerum omnium cauſam, nec *immanentem*, aut *formalem*, quae ſunt inepta Spinoſae verborum effugia, ſed quae ſit ab effectu proprie dictincta; etſi non recte hoc ipſum declarat: ſed certe dicit = *eum per ſui praeſentiam educere ex potentia materiae formam* =.

Haec, inquam, omnia ſatis amplum inter Caeſalpini dementiam, ac Spinoſae furorem, intervallum relictum eſſe declarant. Uterque igitur inſanivit. At ille ſtultus homo fuit, qui potius editis libris ea docere voluerit, quae ne ipſe quidem, opinor, ſatis intelligere poſſet, quam latum unguem ab Ariſtotelica doctrina, vel potius a principiis Ariſtotelicae doctrinae diſcedere. Hic mente captus, qui nullam quietis partem capere poſſet, donec e Coeli ſolio Divinitatem exturbaret.

Equidem haud ſcio, an quidquam Caeſalpinum hoc loco juvare debeat, quod Chriſtianam Religionem in vita ſua, quam ad ſummam ſenectutem perduxit, conſtanter profeſſus fuerit. Nam & in ipſo *Quaeſtionum Peripateticarum* libro

Digitized by Google

bro praefatus eſt, quae Catholicae doctrinae contraria viderentur, ſe non tamquam vera, ſed tamquam Ariſtotelis doctrinae conſentanea tradere: Theologis autem ea refutanda relinquere, quae non poſſent a Philoſophia (non aliam is noverat, niſi Philoſophiam Ariſtotelis) apte refutari.

Illud etiam haud ſcio; an Clementis VIII. prudentiſſimi Pontificis, atque ſanctiſſimi judicio quidquam adverſarii tribuere velint. Nam Clemens inter familiares ſuos Caeſalpinum adhibuit (*a*); nec ſiniſtrum aliquid de ipſius pietate ſuſpicari viſus eſt.

Illud hoc loco tantum adverſarios, praecipue Proteſtantes, moneo, qui noſtros Fidei Quaeſitores tantae in judicando temeritatis, ac tantae in puniendo ſeveritatis accuſant, numquam eos, ſi haec ad ipſos cauſa deferatur, impietatis Caeſalpinum fore damnaturos, niſi mentitum fuiſſe Caeſalpinum quiſquam oſtenderet, dum, ſe praeferre Chriſtum Ariſtoteli, profitebatur. Id autem non ambiguis quibuſdam ſignis, at claris omnino rationibus, quae probabili reſponſioni non eſſent obnoxiae, Quaeſitores iidem oſtendi vellent. Sanctum enim apud eos ſemper fuit Juſtiniani effatum = *Satius eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari* =.

Quin igitur ſimili humanitate Proteſtantes, qui tam benigni videri volunt benignae Chriſti doctrinae aſſertores, utuntur in Caeſalpinum? Nempe Catholicus ille fuit, ac Romanae Curiae olim addictus. Cum de his hominibus agitur levis etiam ſuſpicio firmiſſimi argumenti loco eſſe debet. Hac quidem ratione non modo Caeſalpinum, ſed & ingentem catervam philoſophorum, atque ſcriptorum ordinis cujuſque, aut dignitatis in Atheorum collegium referre poſſunt.

Non ita nos geremus in cauſa Nicolai Taurelli Proteſtan-

(*a*) Fuit Caeſalpinus Clementis VIII. Medicus.

Digitized by Google

ſtantis (*a*), quem Zacharias Vietor, aliique plures apud Bruckerum (*b*) *Atheiſmi* accuſarunt.

Anſam inimicis Taurelli ingentes illius errores de Natura Divina praebuerunt. Innumeros praetereo, quos apud Reimmannum, aut apud Bruckerum videre potes. Satis ea ſit ex Praefatione *Alpium Caeſarum* (*c*) afferre = *Duplex*, inquit, *circa Providentiam Divinam error admittitur, primo quidem ſi omnis rerum alienarum cura Deo detrahatur: Deinde ſi abſque diſcrimine rerum quarumvis, & aſſidua quidem ei cogitatio adſcribatur. Quem propterea merito cenſemus ſex dierum ſpatio Naturam condidiſſe, ne poſtea* τὸ συνεχὲς τῆς νοήσεως, ϗ ποιήσεως *ipſi moleſtiam pareret. Nihil enim haec ad ejus felicitatem faciunt, qui fuit ab aeterno, cum nihil ipſorum eſſet, feliciſſimus. Male profecto, quiſquis rerum creationem ab initio mundi conditi ad ejus uſque finem extendit. Si enim voluiſſet in hiſce Deus occupari perpetuo, quid mediis opus erat naturalibus? Eorum itaque curam Deo non adſcribimus, quae ipſe naturae commiſit, iis ſcilicet munitae viribus, ut ejus mandata probe poſſet exſequi. Non video quid hic notari poſſit impietatis, nam & ſacris litteris conſentanea ſunt haec, & rationi vere philoſophicae ..... De caeteris vero, quae nulla naturae neceſſitate, ſed libero voluntatis arbitrio geruntur, aliter ſentimus. Hic enim ob ſummam actionum humanarum varietatem divino opus eſt regimine, & providentia* =.

Caeterum ex his iiſdem erroribus conſtat, agnitam a Taurello fuiſſe Divinitatem. Neque vero ſatis cauſae nobis eſt, ut omnino mentitum fuiſſe Taurellum exiſtimemus, quo loco ſcripſit (*d*). = *Me totum ſibi Chriſtus vindicat, nec Ariſto-*

(*a*) Natus eſt Montis-belligardi an. 1547 mortuus autem an. 1606. Magnus fuit, ut innuimus, Caeſalpini aemulus, & accuſator.

(*b*) *To. IV. P. I p.* 310. &. 311. Multi tamen eum defenderunt, ac praecipue Feverlinus, cujus eſt *Diſſertatio Apologetica pro Taurello philoſopho*. Excuſat eumdem Bruckerus, qui Taurelli ingenium valde laudat *Ib. p.* 312.

(*c*) Apud Bruckerum *loc. cit.*

(*d*) In *Praef. Methodi medicae praedictionis* item apud Bruckerum *loc. cit.*

ſtoteli quidquam tribuetur, niſi quod Chriſtus ipſe conceſſerit, nec ſi quid obtulerit Ariſtoteles, protinus accipiam, niſi quod fuerit Chriſto acceptiſſimum =.

Eadem nos aequitas, & humanitas, imo etiam juſtitia cogit, ut Caeſari Cremonino aliquid credamus, Religionem, ac pietatem, qua voce, qua toto vitae genere, praeferenti (*a*). Si quis mendacem ſimul, atque impium vult Cremoninum exiſtimari, oſtendat, oportet, quae Cremoninus attulit, non modo tamquam Peripateticae Philoſophiae conformia, ſed etiam tamquam omnino vera, recipi voluiſſe. At id Cremoninus ipſe diſerte negabat. Quamobrem non pauci fuerunt, qui Cremoninum defenderent, contra Scriptores item non paucos, qui Ἀθεότητος accuſaverant.

Caeterum contra hos aliud etiam eſt advertendum. Aut enim Ἀθεότητος nomen ita uſurparunt, ut eos etiam complecteretur, qui Divinitatem agnoſcerent, aut Divinitatem non fuiſſe agnitam a Cremonino intulerunt, quod in alios errores contra Chriſtianam Religionem, & ſanam Philoſophiam incidiſſet. At primum illud, praeſertim in controverſia de Generis Humani Conſenſu in agnoſcenda Divinitate, fieri non potuit, niſi ab iis, qui fucum facere mallent, quam veritatem inquirere. Alterum hoc ab iis tantum fieri potuit, qui, quam diverſa ſint inter ſe hominum ingenia, nondum aſſequuti fuerint.

Palam id erit, ſi Cremonini errores ab ipſo Bruckero, qui non ſatis aequus in Philoſophum Italum fuit, relati conſiderentur. = *Valde vero*, inquit, (*b*) *eruditionis ejus fama impietatis ſuſpicione commaculata eſt, eo quod Ariſtotelem nimis*

preſ-

(*a*) Caeſar Cremonini Ferrarienſis natus eſt anno 1550. obiit autem a peſte anno 1630., ſepultuſque eſt in celebri Monaſterio S. Juſtinae, cui bona ſua reliquerat: quod Athei certe non eſt Morerius in *Dict. V. Cremonini* dicit eum, quod pertinet ad Religionem, fuiſſe defenſum ab A. libri, cui tit. = *Defenſe des Ecrivains Ferrarois à ce que Fontanini écrivit contre eux dans les Annotations à ſa Bibliotheque Italienne* =.

(*b*) *To. IV. Hiſt. Cr. Per. III. &c. p. m.* 228.

preſſe ſequendo, de motore primo ſibi tantum intento, ſuaeque ſphoerae affixo, de Intelligentiis ſphoerarum motricibus, de providentia ſublunarium, & ſimilibus, & in primis de immortalitate animae, quam ſtare non poſſe ſalvo ſyſtemate Peripatetico Alexander Aphrodiſaeus Cremonino ſummopere dilectus tradidit, ea praeceperit, quae Religionis Chriſtianae decreta funditus evertunt. Haec ſe quidem velut Peripatetice tantum ſtatuere monuit, nec ſe ideo rejicere Chriſtiana dogmata, more philoſophorum Italicorum, qui ex Lycaeo ſimilia affirmaverunt, profeſſus eſt &c. »

Non minor injuria, imo, ut opinor, major quam Cremonino illata, Claudio Berigardo etiam illata eſt (*a*). Is cum ageret inter vivos non modo Supremi Numinis cultor, ſed & Chriſtianus Philoſophus ab omnibus habebatur. Fato functum, ratiunculis cum ineptis, tum hominis Chriſtiani charitate indignis, Parckerus Anglicanus Epiſcopus (*b*) impietatis ultimae conſtituit reum. Quid autem protulit, niſi vanas omnino ſuſpiciones, nulla quidem ratione, nulla auctoritate ſuffultas?

Scilicet Berigardus in opere, quod *Circuli Piſani* inſcripſit, totam Ariſtotelis de Primo illo Motore, ac de neceſſaria Mundi aeternitate doctrinam, & apertius, & clarius, quam factum ab ullo fuerat, explicandam ſuſcepit. Id feciſſe Piſanum Philoſophum, ut eam doctrinam legentium animis obtruderet, incredibili Parckerus affirmat audacia.

Quid enim? Nonne omnes auctores, qui Philoſophiae te-

(*a*) Claudius Guillermet Dominus de Berigardo (*Berigard*) Philoſophiae per multos annos Piſis Profeſſor, floruit Saeculo XVII. Magnae illi cum Galilaeo de motu telluris controverſiae fuerunt. De hac etiam re librum edidit, ſeu *Tractatum*, in quo ſaltem ingenii ſui acerrimi, & maximi vires oſtendit. In eo etiam aliqua veſtigia Religionis deprehendimus, quae in homine Atheo eſſe non poſſit. Nondum tamen ejus Opus, quod *Circuli Piſani* dicitur, videre potuimus: At multa ex eo libro refert Bruckerus, qui ſtrenue Berigardi cauſam contra Parckerum egit. Itaque nos Bruckeri fide, hac in re minime ſuſpecta, nitimur, cum Berigardi verba recitamus.

(*b*) *Diſput. I. de Deo. S. 24. p. 67.*

Digitized by Google

texunt hiſtoriam, idem & in Ariſtotele, & in Epicuro, & in Philoſophis aliis, quamvis delirantibus, praeſtant? Quis tamen eos auctores, niſi ſi forte inſaniat, impietatis accuſet?

At illi ſignificant, inquies, non eaſdem ſibi, quas exponunt, placere ſententias. Num Berigardus idem fecit? Fecit enimvero, & verbis ita perſpicuis id fecit, ut omnibus praecludere debuerint calumniis locum. Ait enim in Praefatione primi, quem vocat, Circuli = *Illud in primis occurrit reprehendendum, quod Ariſtoteles poſuit, mundum, ejuſque materiam primam aeternam, primum motorem ſupremae modo ſphoerae medio circulo inſiſtentem, libertatis expertem, nihil aliud aptum intelligere, niſi ſe ipſum, nec aliud efficere, quam motum aeternum, proinde nec mundum, nec aliud quidquam creare poſſe; itemque de reliquis Intelligentiis, quarum infimam videtur facere intellectum agentem, & animam unam communem toti ſpeciei humanae, unde conſurgit innumerabilium errorum ſeges* =.

Eodem loco rationem affert Berigardus, propter quam ab erroribus Ariſtotelis magis accurata oratione refutandis abſtineat. Ait enim = *Sententiam meam proferre non debeo, ne cum Ariſtotelis interpretandi munere tamdiu perfunctus ſim, in Magiſtrum deſpuere, & apolactizare, ut ait Plautus, aut antiquorum cineribus inſultare velle videar* =.

Caeterum non uno in loco Berigardus occaſionem amplectitur, mentem ſuam aperiendi. Habet enim Ariſtotelis doctrinae Jonicam praeferendam videri. Monet autem = *Corporibus aeternis, & infinitis poſſe adjici mentem Anaxagorae, quae melius refert Dei Naturam, quam primus Motor Ariſtotelis: & tamen Ionicos reprehendendos eſſe, quod ſubſtantias ſimplices aeternas eſſe docuerint, quantumvis Mentem poſuerint Univerſi gubernatricem. Supereſſe ergo ut, amputatis erroribus, ponantur principia rerum naturalium Corpuſcula tenuia, a Deo creata; quorum ſola congregatione, & ſecretione omnis ortus, & obitus perficiatur, & hunc conſenſum, atque diſſenſum cor-*

po-

porum nihil repugnare Scripturae Sacrae, & praeſtabiliorem eſſe, quam materiam primam Ariſtotelis =.

Ex his Berigardi verbis, niſi fallor, aperte conſtat, quam iniuſta fuerit Petri Villemandaei (*a*) de Berigardo querela. = *Dum res omnes*, inquit, *phyſicas, imo & divinas pleraſque ex principiis Ariſtotelis ita declarat, adſtruitque, ut eaſdem illas ex oppoſitis Anaximandri hypotheſibus, purum atheiſmum redolentibus, continue impugnet, ac evertat &c.* = Conſtat etiam neſciviſſe, quid ipſi dicerent, eos auctores, qui Spinoſiſtam fecerunt Berigardum ante Spinoſam (*b*).

Sed, ut ad Parckerum redeamus, mirum eſt, quantopere ſecum ipſe pugnet, dum Berigardum accuſat. Etenim qui Jonicos philoſophos ab impietate vindicaverat, impium fuiſſe Berigardum etiam ex eo capite oſtendere conatus eſt, quod Jonicorum doctrinae faverit. Et id quidem cum tanto ſtudio Ariſtotelis, quantum ei Parckerus exprobrat, nullo modo componi potuiſſet.

Praeterea quis arbitratus unquam eſſet, quem impium Peripateticum aliquis induxerat, eumdem Epicureae doctrinae ſtudioſum eiſdem videri potuiſſe? Viſus eſt tamen Parckero Berigardus. Quae cum ita ſint, nemo non facile concedet, Parckerum non aliud, cum Berigardum accuſavit, atque aliis, ut accuſarent, exemplo ſuo auctor extitit, oſtendere potuiſſe, niſi maximo ſe Catholicorum Doctorum odio flagrare.

Simile odium Baylius etiam oſtendit, cum integrae vitae, atque incorruptae doctrinae hominem Vincentium Vivianum, nobilem illum Galilaei diſcipulum, Atheis vel maxime repugnantem conatur adjungere. Quid enim? Unius ille Monconyi (*c*) fide nititur, qui cum Florentiam acceſſiſſet, & cum Viviano collocutus eſſet, impium hominem eſſe

(*a*) Petrus Villem. (*de Villemandy*) *in Scepticiſmo debellato p.* 11.

(*b*) Vid. Jac. Frid. Reimm. *Hiſt. Ath. S. III. C.* 3. §. 19. *p.* 409.

(*c*) *Monſieur de Monconys*.

retulerat, veterum erroribus de abſoluta neceſſitate rerum, ac de una totius Mundi Anima delectatum (*a*).

Quis non jure miretur, peregrini hominis, non familiaris, non ejuſdem linguae, non diu Florentiae verſati, non magna prudentiae, aut doctrinae fama conſpicui, teſtimonium contra Vivianum tanta confidentia produci? (*b*) Omnes enim Viviani familiares, imo tota haec nobiliſſima Civitas, bonarum artium e Graecia profugarum unica olim hoſpes, modo autem aſſidua cultrix, aliud omnino conſtanter teſtata eſt: ſcilicet Vincentium Vivianum, non magis Matheſeos gloria, quam innocentia morum, ac pietate nobilem extitiſſe: de qua re Scriptorem conſulere potes, qui pene incredibilem apud Florentinos plurimos eruditionis, ac germanae doctrinae gloriam ſibi comparavit, Joannem Lamium (*c*).

Ca-

(*a*) Vivianum etiam Yvo, ex Encyclopaediae Diderotianae auctoribus unus, (*Art. Athées, & Art. Ame*) Baylium deſcribens temere accuſavit. Illum vero defendunt, qui opus idem *immane, ingens*, a magnis, quibus ſcatet, erroribus purgandum Herculeo labore ſuſceperunt. Vid. *Notat. ad Encycl. ed. Luc. Art. cit.* ubi Carolus Giuliani Vivianum defendit, quod & fecit auctor notationum ad editionem Liburnenſem. Praeſtitit idem Matthaeus Dandolus in *not. lib. Lo Spirito dell' Enciclopedia*, aliique.

(*b*) Recte Vir doctus Carolus Giuliani (*in not. Encycl. Art. Ame*) = *Il eſt bien difficile qu' un voyageur dans un diſcours, dans un entretien, & par des paroles vagues, & très-ſouvent ſujettes à diverſes interprétations, puiſſe découvrir, & déterminer les vrais ſentimens d' une perſonne; des converſations continuelles, des longs diſcours familiairs, ſouvent ne ſuffiſent pas pour en juger avec juſtice: il faut premierement obſerver ſi ſes penſées ſont toujours les mêmes, les combiner avec ſes études, ſes moeurs, & ſa conduite, & après cela la deciſion en ſera encore incertaine* =.

(*c*) In libro cui tit. = *Memorabilia Italorum eruditione praeſtantium &c.* = ubi de Viviano haec etiam habet = *Poſt ſigna omnia genuinae pietatis exhibita decimo Kal. Octob. an.* 1703. *unum ſupra octoginta annos natus obiit. Inerat Viro illa innocentia, eaque morum ſimplicitas, quae ducentibus vitam minus cum hominibus, quam cum libris, adhaereſcere ſolet: aberat tamen ab eo ruſticitas illa, & quaedam ſilvam redolens inurbanitas, quas frequentiſſima cum libris, & ferme nulla cum hominibus conſuetudo adfricat litterarum ſtudioſis, atque aliis* =.

Carus autem Vivianus fuit & Coſimo III. Magno Etruriae Duci, & Ludovico XIV. Galliarum Regi, in quibus Viris ſpecimen quoddam per ea tempora pietatis in Deum, ac religionis fuiſſe novimus.

Et Ludovicum quidem Atheus ille Vivianus ab eximia pietate in Deum, ac ſtudio Catholicae Religionis amplificandae impenſe laudavit (*a*). Idem Atheus cum Florentiae liberali ſumptu aedes extruxiſſet, titulum iis inſcribi voluit ***A Deo datae***. Ad extremum hic novi generis Atheus Sacramentis Chriſtianae Religionis rite procuratus, neque levis in Deum Optimum Maximum pietatis indicia prae ſe ferens diem Florentiae clauſit extremum.

Quae cum ita ſint, haud equidem video, cur calumniatoris illius Monconyi narratiunculam Baylius tam avide arpuerit: niſi quod ingenium Baylii ſatis novimus, ac ſtudium non ita leve numerum Atheorum amplificandi.

Jam porro de flagitioſo, ac perdito Scriptore Thoma Hobbeſio agendum reſtat, quem plerique, ut verum fatear, homines docti Atheum exiſtimant. Itaque ignoſcendum hic Baylio eſt in Atheorum Collegium eumdem adſcribenti. Neque tamen diſſimulandum, graves non defuiſſe viros, qui ſummae illius impietatis hominem caeteroqui valde malum abſolverent.

Eminent inter eos Nicolaus Hieronymus Gundlingius, & Jacobus, Bruckerus (*b*), cujus verba liceat afferre = *Ab Atheiſmi*, inquit, *directi infamia Hobbeſium liberandum eſſe cenſemus. Multoties enim philoſophus & Deum eſſe ſtatuit, & neceſſario exiſtere multis rationibus evincit, & ſummam in eo potentiam agnoſcit, eoſque qui aut mundum eſſe aeternum dicunt, aut Deum res humanas negligere aſſerunt, impios eſſe, & in Deum injurios affirmat: notionem autem Dei non omnem homini*

ne:

(*a*) In libri, cui titulus *De Locis Solidis*, procemio.

(*b*) Gundl. *Obſerv. Select. Tom. I. Obſ. II. p. 37. Gundlingian. P. XIV.* Bruck. *Tom. IV. P. II. p.* 173.

Digitized by Google

negat, ſed comprehenſivam tantum, eo quod intellectus finitus infinitum, & immenſum Ens comprehendere non poteſt, quo pacto ideam exiſtentiae divinae homini non denegavit. Tacemus alia, quae conſiſtere in Syſtemate Hobbeſiano nequeunt, ſi Deum tollas =.

His Bruckeri non aliud ex Hobbeſii libris addemus, niſi hominem etiam adeo protervum, atque ſuperbum, Generis Humani Conſenſum in agnoſcenda Divinate maximi feciſſe. Etenim diſerte ſcripſit (*a*) = *Neque enim an honorifice de Deo ſentiendum ſit, neque an ſit amandus, timendus, colendus dubitari poteſt: ſunt enim haec omnium Religionum per omnes gentes communia* = Haec Hobbeſius, quae hominis prorſus Athei eſſe non poſſunt.

Praeterea Hobbeſium non fuiſſe prorſus Atheum pleraque demonſtrant argumenta, quibus ejuſdem 'Αϑεότητα plerique probant.

Ajunt enim apud eumdem Bruckerum = *Adſcripſiſſe eum Deo corpus, & quantitatem illi tribuiſſe, adeoque velut Univerſi partem conſideraviſſe: Sapientiam Dei eſſe incomprehenſibilem, & chimaericam ſtatuiſſe; negaviſſe de Deo motum, contendiſſe quoque non poſſe omnes homines naturaliter Deum cognoſcere; habuiſſe Atheiſmum non pro peccato injuſtitiae, ſed imprudentiae; denegaſſe hominibus ideam de Deo; ſuſtuliſſe ſpiritus omnes, eorumque operationes, religionem ſubjeciſſe legibus imperantis, & metui magis, ignorantiae, & fraudibus adſcribere, quam Deo. Porro introducere neceſſitatem quamdam fatalem, & omni libertati humanarum actionum contrariam, qua ipſi tandem Deo mali moralis origo tribuenda ſit. His nonnulli Atheiſmi in vita demonſtrati veſtigia, quae ſe deprehendiſſe putant, adjiciunt* = Ea quidem non fere alia ſunt, quam lutulenta vitia, quibus, praeſertim *jucundum cum aetas florida ver ageret* inquinatus eſt.

Hac

(*a*) *De Homine Cap. XIV.*

Digitized by Google

Haec omnia poſſent a nobis loc loco propriis, ac ſuis reſponſionibus refutari (*a*). Sed quod facile fieri poſſet, fieri a nobis hoc loco nihil neceſſe eſt. Etenim fere omnia ex iis concidunt, quae prioris libri prima parte diſputata ſunt. Imo, quod indicavimus, cum ea dicunt adverſarii, confuſam neſcio quam Dei notitiam tenebricoſo Hobbeſii ingenio illuxiſſe, fateri quodammodo videntur.

Unum tamen eſt, quod hoc loco diligentius notemus. Homo nimirum & ſtultus, & impius, at vafer idem, & callidus, ut in Principis potentia contineri omnia jura convinceret, ipſa Dei *Attributa* ad infinitam Dei potentiam revocare contendit. Itaque ad eam potentiam, voluntatem ipſam, atque *intellectum*, ut ait, ſupremi Numinis pertinere vult (*b*). Hinc illud etiam ſequebatur, ut neque voluntatem, neque intelligentiam humanae ſimilem Deo tribuendam eſſe concederet.

An verba ipſe ſua intellexerit Hobbeſius, haud equidem ſcio. Hoc tamen ſcio: Potentiam ſupremi Numinis & ſumma & infinita perfectione praeditam Hobbeſio fuiſſe viſam. Sed neque caecam illam potentiam poſuit, ut quid agat, ipſa neſciat, neque brutam, ut nihil velit, neque iis limitibus comprehenſam, ut non etiam ad humana pertineat. Igitur ingentes Hobbeſii errores de Natura Divinitatis non id convincunt, quod nos negamus. Non enim illum & ſtultum hominem, & irreligioſum, & impium, ſed omnino Atheum fuiſſe negamus.

Quae cum ita ſint, jam ſapientis erit lectoris animadvertere, an Atheorum ille index a Baylio propoſitus, (quo loco certiſſimos Atheos proponere debuiſſet) vel unius hominis nomen contineat, quod expungi juſtitia ipſa non poſtulet. Id autem, ut initio dicebam, ſatis certo eſt argumento, multo pauciores eſſe veros Atheos, etiam poſtremis hi-

ſce

(*a*) Rationes eas apud Bruckerum facile ſolutas videre potes.
(*b*) *De Cive C. XV. p.* 259.

Digitized by Google

ſce temporibus, quam aut ipſi jactent Tolandi, ac Spinoſae diſcipuli, aut Graeculi noſtri concedant. Fruſtra igitur impii eos opponere tentant certo, atque conſtanti Generis Humani Conſenſui in agnoſcenda Divinitate.

FINIS ALTERIUS LIBRI.

IN-

Digitized by Google

INDEX

RERUM MEMORABILIUM,

De quibus in hoc altero Volumine agi capitum ipſi tituli non ſatis indicant.

A

ABaris Scytha quid ſcripſerit p. 85.

Abul Ora Morrarienſis ab Atheiſmi nota vindicatur p. 342.

Acoquae populus non Atheus p. 219.

Acoſta (Joſephus) laudatur p. 219. 229 *& al.*

Ægyptii, quas leges haberent p. 104. quantopere ſuperſtitioſi p. 105. 106. *& al.* Arcana eorum doctrina ad quos pertineret a p. 106. Aſtra ab eis culta p. 113. Eorum Sacerdotes meliora quam populus de Divinitate ſenſerunt p. 124. 125.

Ælianus paucos Atheos eſſe ſignificat p. 53. 58. laudatur p. 57.

Æternitas quibus imaginibus apud Ægyptios adumbrata p. 113.

Æthiopes cur aliqui Athei dicantur a Strabone a p. 98. quantopere Deos coluerint a p. 99. Cur apud eos Jupiter convivium habere dicatur ab Homero a p. 99.

Agatopiſtus laudatur p. 7. p. 9. *& alibi ſaepius.*

Albion (*Nouvelle*) incolae an Athei p. 199.

Alembertus (*Monſ. d'Alembert*) injuria habitus Atheus p. 331.

Alexander VI. defenditur ab Atheiſmi nota p. 353. 354.

Alexandriae ſchola p. 116.

Amazonum regionis incolae non Athei p. 222.

Americana crudelitas deſcribitur p. 216.

Americani plures recta ratione carent p. 217. non tamen neceſſe eſt hoc vitium integris nationibus tribuere, *ibid.* An doceant unum eſſe Deum, ſub quo plures inferiores p. 206. Eorumdem indoles, & mores p. 217. plures carent nomine, quo Deum appellent p. 237. Americanarum linguarum inopia p. 229.

Amor quid Heſiodo fuerit p. 25.

Anacharſis Scytha p. 85.

Anaxagoras ab Atheiſmi nota defenditur p. 30. quo ſenſu dicatur primus mentem agnoviſſe mundi architectam, fuſe a p. 31. Ejus doctrina de Deo, *ibid.* ejus Homaeomeria p. 36. ejus liber de Naturali Philoſophia p. 36. an Mentem ſupremam a materia diſtinxerit p. 39. an liberam fecerit p. 39. *& alib.*

Anaximenes cur a Cicerone dicatur Aërem habuiſſe Deum p. 51. 52.

Anaximander cur divinum dixerit Infinitum, & an habuerit Deum p. 49. ejuſdem Dii de quibus Cicero p. 50. 51.

Angliae novae Populi non Athei p. 207.

Anglerius (Petrus Martyr) laudatur, & quid de Americae pluribus populis tradiderit in rem noſtram exponitur p. 211. & 218.

Angelis (P. Hieronymus de) laudatur. p. 283.
Anima Mundi an a Gymnoſophiſtis admiſſa p. 177. 178.
Anſelmus (*M. l'Abbé Anſelme*) laudatur p. 21. 131.
Apulejus: quaenam ejus auctoritas p. 111. quid ea probet pro Myſteriis p. 122.
Ardra Regni Incolae non Athei p. 248.
Ariſtoteles primum ſe mundi aeternitatem affirmaviſſe ait p. 286. quibus rationibus docuit Mundum eſſe aeternum p. 304. 305. eae rationes confutantur a p. 305. cur Athenis fugerit p. 129.
Armouchicoſii non Athei p. 199.
Aſini a Scythis Marti mactati p. 85.
Athei qui vocentur a Cl. Alex. p. 59. plures illuſtres viri inter Atheos injuria relati p. 338. qui fuerint injuria dicti a Baylio, & ab Auctore Encyclopaedico ipſum deſcribente p. 340.
Athenienſes Saitharum Coloni p. 126.
Attigovantani non Athei p. 199.
Aucaës populi quid de Deo ſentiant p. 234.
Averroës defenditur ab Atheiſmi nota a p. 340.
Augylae qui p. 96. quid ſenſerint de Manibus p. 96.
Auguſtini praeclara de Ethnicis ſententia p. 25. ejuſdem verba de Thalete explicantur p. 47. quid de Anaximene ſenſerit p. 51.
Aurum a quibus populis habitum Deus. p. 218.
Auſtralium Inſularum habitatores quid de Religione ſentiant p. 273. an eorum ſententiae faveant opinioni Lafitoji p. 274.

B

BAal, aut Belus ab Aſſyriis cultus quis p. 162. &c.
Baleus nullius auctoritatis ubi contra Pontifices ſcribit p. 355.
Barbari ne an Graeci Philoſophiae fuerint auctores p. 10.
Baretti laudatur p. 62.
Bardeſanes quomodo doctrinam Iudorum expoſuerit p. 174. quid de Gymnoſophiſtis retulerit p. 177.
Batteuxius laudatur p. 8. 12. & 112. &c. ejus judicium de doctrinis antiquis cum Spinoſiana comparatis p. 13. ejus judicium de iis, qui Orpheo, aliiſque *Syſtema Emanativum* tribuunt p. 15. 16. cur a nobis frequenter citetur p. 25.
Baylius confutatur p. 28. 31. 45. 82. 96 97. 147. 225. 370. &c. ſibi contradicit p. 46. 258. 259. 262. 269. 370. &c. ſuſcepit partes Sexti Empirici p. 58. Idem non Atheus p. 338. ipſius ingenium, & doctrina laudatur p. 340.
Bembus (Cardinalis Petrus) quas virtutes, quae vitia habuerit p. 349. Fabella de animorum immortalitate ab ipſo negata confutatur p. 350.
Benarenſes Brachmanes quid de Deo doceant p. 183.
Benedictus XIV. merito Bruckeri libros in Indicem damnatorum referri juſſit p. 179.
Beniamini (Rabbini) auctoritas elevatur a p. 262.
Benini (*de Benin*) Regni Gentes non Atheae p. 251.
Bernierius laudatur p. 183.
Bentlejus laudatur, at quaedam ejus argumenta rejiciuntur p. 303.
Beroſus, & ejus fragmenta, quae doctrinam de Divinitate exprimunt p. 159. qui de illo agant *ibid.* quis fuerit *ibid.* quomodo ejus Coſmogonia explicanda ſit p. 160.
Berigardus quis p. 369. laudatur p. 369.

369. defenditur ab Atheiſmi nota ibid. ab Ariſtotelis doctrina ſatis abhorruit p. 370. quam prae illa probaverit p. 371.

Boccaccius quid ſcribat de Numidis p. 95. 96.

Boëvinus (*Monſ. de Boivin*) laudatus p. 29. & p. 131.

Borni Regni Incolae an Athei a p 249. fuſe. Nullam Religionem amplexi fuiſſe dicuntur *ibid.* an verum id cenſeri debeat p. 250. 252. Eorum vitia p. 250.

Boruſſi medii aevi quos habuerint Deos p. 195.

Boſmanus reprehenditur p. 249.

Bozolus (Joſephus) laudatur p. 99. & 100.

Braſilienſes a quibus Atheiſmi accuſentur p. 241. a quibus defendantur *ibid.* & 242. quid de Deo ſentiant p. 244. quid de Spiritibus, aut Geniis p. 245. quid de bellica virtute *ibid.* videntur Solem, & Lunam colere p. 246. 247. & diluvii ſervare notitiam p. 247. quid de *Tupa* vel ſupremo Deo ſentiant p. 246.

Britanni Celtarum nomine veniunt p. 88. dona in Capitolio Diis offerunt p. 89. Quid de iis cum Gallis comparatis Strabo p. 89. defenduntur ab Atheiſmi crimine *ibid.*

Bruckerus ob doctrinam laudatur p. 6. 78. *& alibi ſæpius*; male refert Buddei ſententiam de Orpheo p. 9. putat Orpheum induxiſſe Polytheiſmum p. 9. Ejus ſententia de doctrina Orphica proponitur p. 14. impugnatur p. 15. quomodo interpretetur celebrem Ciceronis locum de Anaxagora p. 38. 39. impugnatur ea explicatio p. 40. quomodo Xenophanis Colophonii ſententias exponat a p. 65. Ejus opinio de Uno Xenophanis partim probatur, partim rejicitur pag. 69. reprehenditur, quod temere Plutarchum negligat p. 110. Ejus de Cicerone judicium p. 135. Ratio qua celebrem Philonis locum de Chaldaeis explicat rejicitur p. 165. 166. Male Gymnoſophiſtarum doctrinas interpretatur, ac Patres accuſat, qui doctrinas Indorum exponunt p. 177. 178. reprehenditur propter contemptum SS. PP. *ibid.* & p. 79. male Origenis locum de Indis interpretatur p. 180. Ejus judicium de ſtudio Kabbalae probatur p. 188. Reprehenditur ejus partium ſtudium contra Catholicos p. 201. 202. reprehenditur ob iniquitatem in Leonem X. atque Catholicos fuſe a p. 355.

Bruma apud Indos quis p. 174.

Bruzenus (*Bruzen La-Martiniere*) laudatur p. 246. *atque alibi ſaepius.*

Budda quis p. 184. quaenam ejus doctrina p. 185. 186. quaenam doctrina diſcipulorum ejus p. 186. 187. an Athea a p. 187. Ejus diſcipuli in Imperio Mogolis de Deo quid doceant p. 189. Alii ejus diſcipuli quid de Deo doceant p. 191. 192. Quid inter Buddae diſcipulorum doctrinam, & Spinoſianam interſit p. 189. 190.

Buddeus male ſentit de Orphicis p. 11. Ejus opinio de Myſteriis rejicitur p. 125. Sabaeos, Sabaitas, & Zabios male confundit p. 139. In accuſandis Chaldaeis non ſibi conſtat p. 157. Confutatur p. 74. 75. 140. 141. &c.

Burnetius reprehenditur, quod Orpheum Polytheiſmi auctorem excuſet p. 10.

C

CAaïgues qui ſint p. 235. an Athei p. 236.

Cabbala quid ſit, quid doceat, & an Cabbaliſtae ſint Athei p. 188. 189. an utile ejus ſtudium Chriſtiano p. 188.

Cadmus ubi myſteria didicerit p. 145. an ea in Graeciam intulerit *ibid.*

Caepa an ab Ægyptiis Numen habita

ta p. 106. ejus uſus cur Sacerdotibus Ægyptiis vetitus *ibid.*
Caeſalpinus (Andreas) quis, & ejus praeclara inventa p. 362. Cur impietatis accuſatus fuerit a p. 363. ejus abſurdiſſimi errores *ibid.* ab Atheiſmi nota vindicatur a p. 364. inſania tamen ejus arguitur a p. 365.
Cafri an Athei p. 252. cui ſuperſtitioni addicti *ibid.*
Cajennae incolae an Athei a p. 220. Quid de Diabolo ſentiant p. 221. beſtiis quam hominibus ſunt ſimiliores p. 222.
Calchaquienſes Solem adorant p. 236. in eorum regione inventa delubra p. 241.
Calderinus (Domitius) defenditur ab Atheiſmi nota p. 343. 344.
Californiae incolae quid de Divinitate ſentiant p. 206.
Callaici defenduntur ab Atheiſmi nota p. 89. 90. Eorum feritas *ibid.*
Callimachus Cyrenaeus. Ejus verſus in Evhemerum p. 56.
Canadenſes defenduntur ab Atheiſmi nota a p. 199.
Canariarum antiqui Incolae non Athei p. 247.
Caniſiani non Athei a p. 224.
Cannayus (*l'Abbé de Cannaye*) confutatur p. 46. 52.
Cantova (Jo. Antonius) laudatur, & ejus auctoritas vindicatur a p 272.
Caraïbae qui, & a quibus Atheiſmi ſint accuſati p. 208. quid de ſuo *Chemiin* doceant p. 209. Servant originalis noxae quamdam traditionem *ibid.*& diluvii *ibid.* & 210. Quid de Malorum principio ſentiant *ibid.*
Cardanus (Hieronymus) quis p. 361. ab Atheiſmi nota defenditur a p. 361. Superſtitionis tamen arguitur *ibid.* Ejus praeclarae de Deo Sententiae p. 362.
Carneades Atheus a quibuſdam habitus p. 59. quare contra Deos diſputaret p. 77. 78.
Carolini qui ſint, & quomodo ab Hiſpanis cogniti p. 271. quid de Religione ſentiant a p. 273.
Carteſius cur impius a quibuſdam habitus p. 33.
Caſſius a quibuſdam habitus Atheus p. 59.
Catuani non Athei p. 222.
Celſus reprehenditur p. 10. 82. 83. 84.
Celtae Animam Mundi coluerunt p. 86. eorum nomine qui veniant p. 88.
Cerabaroi non Athei p. 218.
Chaeremon quid de Ægyptiis doceat p. 101. quomodo ſit explicandus a p. 102. quanta ſit illius auctoritas p. 111.
Chaldaei in Aſtronomia praeſtantes p. 157. quam Sapientes p 158. quid de Mundi [illegible] docuerint p. 160. agnoſcebant unum Supremum Deum p. 161. & ſub illo plures, & quos *ibid.* cur Aſtrologiae Judiciariae dediti *ibid.* admiſerunt duo principia p. 162. quid Sapientiores inter eos de Divinitate ſentirent p. 162.
Charlevoixius (*le P. François Xavier Charlevoix*) laudatur p. 208. & 283. *& alibi.*
Chilia. Populi ejus regionis an Athei a p. 228.
Chingulani (*les Chingulais*) quid de Deo ſentiant p. 175.
Chiquitae an Athei p. 223. 224.
Chiriguani an Athei a p. 226. quam crudeles, & duri corde *ibid.* dediti ſunt divinationi p. 226. ubi habitent *ibid.*
Choeſius (*l'Ab. de Choyſi*) de Siamenſibus loquens quomodo explicandus p. 168.
Ciani an iidem qui Chiriguani p. 227.
Cicero vituperat impietatem Poëtarum p. 20. de Homero queritur p. 25. An ejus locus de Anaxagora corruptus ſit a p. 31. quomodo interpretanda ejus verba de Anaxagora a p. 33. ejus doctrina laudatur

datur; at ejus teſtimonium contra Gallos rejicitur, & malae fidei arguitur p. 86. ejus teſtimonia de Myſteriis examini ſubjiciuntur a p. 119. in libris de Natura Deorum non videtur Unitatem Dei probe perſpectam habuiſſe p. 121. Ejus argumentis non multum eſſe tribuendum oſtenditur a p. 135.
Clarkius (Samuel) laudatur, & ejus ſententia probatur, quod Mundus ab aeterno eſſe potuerit p. 303.
Clemens Alexandrinus laudatur, atque defenditur p. 59. & 60.
Clericus (*Jean le Clerc*) quid de antiquis Poëtis ſenſerit p. 18.
Clitomachus habitus Atheus p. 59.
Cohen Irira quid de Deo doceat p. 189.
Collinius (Antonius) Atheus p. 338.
Columbus (Chriſtophorus) quid de Cubae, & Hiſpanicae Incolis narraverit p. 211.
Comtius (*P. le Comte*) Ejus propoſitio de Sinis a Sorbona proſcripta p. 306.
Concina (P. Daniel) defenditur a Bruckeri conviciis p. 179.
Condaminius laudatur p. 221. & 277. ejus de Americanorum ſtupore teſtimonium recitatur *ibid.*
Confucius quis, & quibus moribus p. 313. 314. Ejus doctrina p. 314. & 315.
Conſtantinius laudatur p. 290.
Cornutus laudatur, & ejus de Gigantibus teſtimonium recitatur p. 4. & 5.
Cotta apud Ciceronem quos Philoſophos accuſet Atheiſmi, & quare p. 55. quomodo contra Lucilium ſe defenderit ab impietatis nota p. 70. ejus auctoritas elevatur p. 133. 134.
Creatio ex nihilo agnita non eſt ab Ethnicis p. 35.
Cremoninus (Caeſar) quis p. 368. defenditur ab Atheiſmi nota *ibid.* & p. 369. Ejus errores *ibid.*
Cretenſes contendebant a ſuis majoribus Myſteria per orbem fuiſſe diffuſa p. 126.
Critias Atheus p. 58. & p. 60.
Cubae Inſulae habitatores cur ab aliquibus Atheiſmi accuſati ſint, & cur difficile defendantur p. 210. quid de illis antiquiores Scriptores p. 211.
Cudworthus (Radulphus) fidit incertis auctoribus p. 118.
Cunchi non Athei p. 222.
Cunichius (P. Raymundus) laudatur p. 276.

D

Daciera (Anna) nimium cum aliis laudat Homerum p. 19.
Daimogorgon quis p. 132.
Damaſcius male refert Chaldaeorum doctrinam p. 160.
Dandamis quid Alex. M. de ſuorum Gymnoſophiſtarum doctrina narraverit p. 118.
Darariani an Athei p. 342.
Del-tecius (*Del Teco*) non ſatis exploratae fidei auctor p. 236.
Deſingius (Anſelmus) laudatur p. 214.
Deslandius reprehenditur p. 46.
Deus. An Poetae agnoverint Deum Jove antiquiorem, & ingenitum a p. 26. Deus unicus a ſapientibus agnitus a p. 130. De illo Philoſophi praeclara tradunt a p. 130. *Deus ignotus* p. 131. Nomine Deorum quid veniat apud Ariſtotelem & alios p. 131.
Diagoras p. 55. 56. a Clem. Alex. defenditur p. 59. Cur a nobis Atheus habeatur p. 60.
Diaguites Solem adorant p. 236.
Diluvium naturalibus cauſis tribui non poteſt a p. 299.
Dio Chryſoſtomus tradit Poëtas principem unum Deum agnoviſſe p. 23.
Diodorus Siculus quomodo Ægyptiorum doctrinam exponat p. 109 laudatur p. 126. 127. & 143.

Dio-

Dionyſius Periegetes. Ejus judicium de Sinis improbatur p. 34.
Druſi quam foedi eorum mores p. 258. A quibus originem ducant p. 259. 260. Eorum Religio quaenam dicenda ſit a p. 262.

E

ELeatenſes unde dicti p. 65.
Eleuſina Myſteria quam doctrinam tegerent a p. 119. cur dicantur a Cotta Religionem funditus tollere p. 137.
Encyclopaedia (Auctor Articuli *Ame in*) plures Atheos injuria vocat a p. 340. reprehenditur p. 370. *& alib.*
En Soph Cabbaliſtarum quid p. 188.
Epanoam an Deus a Chilienſibus habeatur a p. 231.
Epicurei quid de Homeri fabulis p. 20. cur mortem laudarent p. 121.
Ervieuxius (*Mr. d' Ervieux*) laudatur a p. 263.
Eſequimi non Athei p. 199.
Etruſcorum Veterum libri deperditi p. 91.
Etruſci quid de fulminum miſſione docuerint p. 92. de illorum ſuperſtitione p. 93.
Evhemerus ab Atheiſmi nota defenditur p. 56.
Euripides ab Atheiſmi nota defenditur p. 56. & 57.
Euſebius Caeſarienſis quid de Ægyptiorum impietate a p. 101. quomodo ſit intelligendus p. 102. ejuſdem ſententia de arcana Ægyptiorum doctrina impugnatur a p. 109.
Ezour Vedam Indorum liber quid habeat de Deo p. 172.

F

FAbricius (Jo. Albertus) refertur ejus ſententia de Atheis p. 59. laudatur *ibid.*
Fabricius (Jo. Ludovicus) defenditur contra Baylium p. 258.
Falupet (Inſulae) Incolae quid colant p. 273.
Fatum quid de illo quidam Jonici p. 35.
Faure (P.) laudatur p. 265.
Ficinus (Marſilius) injuria accuſatur Atheiſmi p. 343.
Florentia laudatur p. 370.
Floridae populi defenduntur ab Atheiſmi crimine p. 207. 208.
Foë an idem qui Budda p. 184.
Foëna Secta non eſt Atheorum p. 185.
Fohii Sinarum Regis tempora p. 239.
Fraguierius Homerum excuſat p. 21.
Freretius (*Mr. Freret*) cujus auctoritatis p. 289.
Frogerius laudatur p. 221.
Frontones non Athei p. 239.
Fucherius &c. (*l' Ab. Foucher*) laudatur p. 139.
Furmontius laudatur p. 144.

G

GAdira a Phoenicibus condita a p. 143.
Galibis populi non Athei p. 219.
Garcias (P. Emmanuel) laudatur p. 233.
Garnierius (P. Julianus) laudatur a p. 203.
Genuenſis laudatur p. 6. 7. 205., & 206. carpitur p. 41. 112. & 150.
Germani ab Atheiſmi macula defenſi, & de eorum Numinibus a p. 88.
Getae qui fuerint, & quid de animorum immortalitate opinarentur p. 84.
Gnana Vampa Indorum liber quid habeat de Deo p. 172.
Gobienus (*Le Gobien*) carpitur p. 278. laudatur p. 279.
Graeci quae nova invenerint p. 296. agnoverunt Deum Jove praeſtantiorem p. 29. ad Ægyptios acceſſerunt ſapientiae cauſa p. 123.
Groënlandenſes Atheiſmi crimine liberantur a p. 196. ipſorum opiniones p. 197. p. 198.

Gua-

Guarani qui, & quid de Deo ac Religione ſentiant p. 238. & p. 240. 241.
Guaycuri non Athei p. 239.
Guayra, in ea provincia quaedam delubra inventa ſunt 241.
Gujanae populi non Athei p. 219.
Gymnoſophiſtae laudati p. 88. & p. 176.

H

HAmmon Ægyptiorum quis a p. 104.
Harduinus (Joannes) reprehenditur p. 339.
Heideggerius confutatur a p. 352.
Heineccius laudatur p. 22. &c.
Heraclides Ponticus cujus libri auctor p. 22.
Hercules a Phoenicibus cultus p. 143.
Hermotimus Clazomenius an Mentem ſupremam agnoverit p. 31.
Heſiodus qua aetate fuerit p. 17. ipſe cum Homero a Pythagora damnatur p. 18. de Divinitate quid ſenſerit, & an quae dicit de Diis allegorice ſint explicanda a p. 21.
Hierophantes quis, & ejus carmen an genuinum p. 128.
Hippias habitus a quibuſdam Atheus p. 58
Hiſpanica Inſula. Ejus Incolae antiqui unde orti p. 213. quid de Religione ſenſerint a p. 212.
Hobbeſius (Thomas) ab Atheiſmi crimine vindicatur a p. 373. ejus immanes errores p. 374. cur omnia Dei Attributa ad Potentiam revocaverit p. 375.
Homerus quid de Phlegybus p. 1. Quid cenſendum ſit de ipſius doctrina, quod ſpectat ad naturalem Theologiam a p. 19.
Horus Ægyptiorum Deus quis fuerit p. 114. 115.
Horus Apollo Scriptor dubiae auctoritatis p. 118.
Hottentoti non Athei a p. 252. Eorum opiniones, & Religio a p. 252. Eorum foeditas *ibidem*.
Hudſonis Sinus Incolae non Athei p. 198.
Hurones quid de Deo doceant a p. 119.
Hutten (Hulrici de) in Romanos calumniae p. 351.
Hyppo Melius a quibuſdam habitus Atheus p. 59.

I

JAblonskius laudatur p. 111.
Jamblichus quaenam ejus auctoritas p. 111.
Japponiae Philoſophi non Athei p. 285.
Jarvi non Athei p. 222.
Iceſius quis, & quid ſcripſerit p. 85.
Ignis (Terrae) Incolae non Athei p. 234.
Increduli noſtri temporis quam ſcribendi rationem teneant p. 298. 299.
India. Cur in ea nunc Gentes aliquae Daemonem malum adorent p. 169. In ea ſunt Athei p. 171.
Indi. Eorum libri quid habeant de Deo a p. 172. quid ſaltem ex iis probetur p. 182. quarumdam apud Indos Sectarum placita p. 183 184. &c.
Inferni Dii a Naſamonibus culti, ac boni habiti p. 96. 97. 98.
Inſcriptio Templi Saide quomodo legenda ſit, & an Supremo Numini conveniat p. 105.
Inventa Nova p. 295. 296.
Jonica Schola. Ejus incunabula p. 34. 35. Philoſophorum ejuſdem Scholae opiniones *ibid.* &c.
Iſis quae p. 114. 115.
Iſiaca Myſteria quem ſcopum initio habuerint p. 110.
Italia an celebris Atheiſmi Schola p. 350.
Jucatanae Incolae non Athei p. 208.
Judae Sceptrum an defecerit a p. 261.
Jupiter. Quomodo quae de ejus ortu Poëtae canebant, ab iis componeren-

rentur cum notione Divinitatis a p. 25.
Juſtinus Martyr cur ſcripſerit librum de Monarchia Dei p. 23.

K

King Sinarum Libri qui, eorum argumenta, & auctoritas p. 307. habent de Deo praeclara p. 309.
Knorrius (Chriſtianus) *a Roſenroth* cujus libri auctor p. 188.
Κνφ Phoenicum & Ægyptiorum Deus p. 102. 103. & 114.

L

Laërtius (Diogenes) Ejus auctoritas minor eſt quam Pauſaniae p. 16. quo tempore vixerit p. 44.
Laëtius (*Jean de Laët*) confutatur p. 206.
Lafitojus confutatur in eo quod veſtigium Trinitatis in Peruana, & Mexicana Religione inveniri docuit p. 215. Ejus tamen auctoritas aſſeritur, & laudatur p. 202. 203. 204.
Lahontanus quid de Huronibus tradat p. 199. quid de illo multi ſentiant p. 200. & 201. Non eſſe fictum nomen p. 201. Exigua auctoritas illius oſtenditur p. 201. & 202.
Lamius (Joannes) laudatur p. 373.
Latrones Marianarum Incolae quam ſtupidi, & efferati p. 281. 282. quid de animis, qui ſuperſunt corporibus, & de Cayſio doceant p. 282.
Legum Latores antiqui celebriores p. 292.
Leibnitius laudatur p. 321.
Le-Maire Jacobus, cujus auctoritatis p. 266.
Leo X. Pont. Max. de Litteris praeclare meritus p. 351. calumniae, quibus ejus fama maculata eſt, confutantur p. 354. 355. 358. 359. 360. vitiis non caruit p. 358. 359.
Linus ejus verſus affertur p. 6. Quot Lini fuerint p. 6. ejus verba apud Damaſcium p. 77. ejus Poëmatis initium p. 8.
Lokius parum in arte critica valet p. 236. Viatoribus facile credidit p. 209.
Longobardi (P. Nicolai) auctoritas perpenditur p. 318. 321. &c.
Luberius (*Monſ. de la Loubere*) carpitur p. 168.
Lucretius mundum non eſſe aeternum probat p. 293. 295.
Luteri calumnia in Leonem X. rejicitur p. 355.

M

Macchiavellus. Ejus teſtimonium rejicitur p. 357.
Macrobius gentem fuiſſe Atheam temere putat p. 4. male explicat Homerum p. 100. mundi aeternitatem affirmans confutatur p. 300.
Madagaſcar (Inſulae) Incolae quid de Religione ſentiant a p. 255. fuſe.
Magellanicae (Terrarum, quae dicuntur) Incolae quid de Deo ſentiant a p. 232.
Mairanus. Ejus judicium de doctrina Sinica p. 323.
Malabares quid de Deo ſentiant p. 169. & a p. 182.
Manacichi non Athei p. 239.
Maragnon. Qui ſunt circa illud flumen Barbari non Athei p. 221.
Maretus (*P. Gabriel Mareſt*) laudatur p. 198.
Martinus Del-Rio cujus auctoritatis Scriptor p. 361.
Maurus (P.) Paraphraſis ejus in Ariſtotelis libros laudatur p. 131.
Megarici an Athei p. 54.
Megaſthenes quid de Deo ſenſerit p. 181.
Meliſſus ab Atheïſmi nota defenditur p. 74.
Mexicani non Athei p. 213. 214.
Me-

Digitized by Google

Meyerus (*Ludovicus*) Atheus p. 338.
Mignotius (*l'Ab. Mignot*) laudatur p. 15. 103. 144. 175. &c.
Mirabodius queritur paucos eſſe Atheos p. 334.
Mocovi quid de animis mortuorum ſentiant p. 24.
Mongales qui & quid de Diis p. 95.
Monconyus (*Mr. de Monconys*) Viviani calumniator p. 371. 373.
Monteſquièus (*Mr. de Monteſquieu*) mundum ab aeterno ponens confutatur, & reprehenditur a p. 297.
Moxes populi an Athei p. 223. 224.
Morerius. Ejus auctoritas vindicatur a p. 262.
Moshemius laudatur p. 104.
Muſaeus quis, & quaenam ejus doctrina a p. 16.
Mundus ab aeterno per Dei potentiam eſſe potuiſſet p. 303.
Myſteria Iſidis in Graeciam ab Ægypto tranſlata p. 9. in eis olim nihil fuit quod ſuperſtitionem ſaperet philoſophis p. 117. Quid in eis doceretur a p. 119. fuſe. Diverſa enumerantur p. 125. poſterioribus aetatibus foede corrupta p. 126. 129. 136.
Mythologia Graecorum an a Phoenicibus manaverit p. 144.

N

NAſamones defenduntur ab Atheiſmi nota a p. 96.
Natchez populi quid de Deo ſentiant p. 204.
Nero Myſteria veritus eſt p. 133.
Newtonus cur a quibuſdam accuſatus impietatis p. 34.
Nicanor Cyprius a quibuſdam habitus Atheus p. 59.
Nicephorus Gregoras affertur, & explicatur ejus teſtimonium de Scythis p. 85.
Nicobarenſes quam Religionem habeant p. 265. Diabolum timent *ib.*
Nigri de Deo quid ſentiant a p. 251. Diabolum colunt p. 251.
Nilus S. cur Arabes dixerit Atheos p. 137.
Nouragues Populus non Atheus p. 219.
Numidae defenduntur ab Atheiſmi nota p. 94. 95.

O

OCellus Lucanus ridiculis rationibus probat, Mundum eſſe ab aeterno p. 304.
Oracula Chaldaica an genuina ſint p. 158.
Origenes, aut alius auctor libri, qui ſub ejus nomine circumfertur, quid de Indorum doctrina referat p. 179.
Orpheus a quibus Theologiam & ritus acceperit p. 127. cur conſtituerit novum ritum p. 127. quaenam ejus doctrina a p. 9. apud quos Ethnicos in honore fuerit p. 10. quid de illo Patres Eccleſiae *ib.* Quid ſit judicandum de carminibus illi tributis p. 11. an ipſi tribuendum ſit Syſtema Emanativum p. 15. 16.
Ovallius (P. Alphonſus) quis, & quantae auctoritatis p. 227. & *ſeqq.*
Ovidius inducit Deum Jove antiquiorem p. 27. 28.
Ovum Mundi Symbolum apud Ægyptios p. 102.

P

PAlai quomodo ab Hiſpanis cogniti, quam barbari, & inhumani p. 270.
Palladii auctoritas contra Bruckerum defenditur p 177. 178.
Pallavicinus (Cardinalis Sfortia) laudatur p 359.
Panjangam Indorum liber quid habeat de Deo p. 172. & 182.
Paraquarienſes quid ſentiant de animis mortuorum p. 241. 242. 243.

Digitized by Google

Parckerus in Berigardum iniquus reprehenditur, & confutatur p. 369.
Parenninius laudatur, & quid ſentiat de Atheiſmo Sinarum exponitur p. 311. 323. 324. 333.
Parmenides non Atheus p. 73.
Patagones an revera ſint p. 233.
Perſae non ita male de Deo ſenſerunt p. 173.
Peruani Barbari non Athei p. 213. 214. 223. quam traditionem ſervarent conditionis Hominis, & diluvii p. 214.
Phidias contra Homerum diſputans p. 20.
Philo Biblius an Sanchuniatonis Coſmogoniam ſuppoſuerit a p. 153. quam exiguae ſit auctoritatis p. 155. 156.
Phoenices quas artes inveniſſe, quas Colonias deduxiſſe dicantur p. 142. ipſorum cruenta ſacrificia p. 143. quos Deos colerent. *ibid.* Ipſorum Dii iidem cum Aegyptiis p. 144. eorum arcana doctrina de Divinitate p. 145.
Picus (Ioannes) Mirandulanus quid de Atheo Pontifice narret p. 352. cujus auctoritatis ejus teſtimonium a p. 352.
Pillan Chilienſium Deus p. 229. 230. 231.
Plateri non Athei p. 222.
Plato mundi ortum in tempore conſtituit. p. 286. teſtatur fuiſſe Atheos p. 60. cur ſcripſerit dialogum Parmenidis p. 73. an ei credendum ſit de Parmenidis doctrina diſſerenti p. 73. 74. Utrum ipſe an Xenophon doctrinam Socratis fidelius expreſſerit p. 78. 79.
Platonici recentiores a Bruckero reprehenſi p. 116.
Pleſſaeus (*Mr. du Pleſſis Mornai*) reprehenditur p. 352. & 355.
Plutarchi auctoritas in Hiſtoria Philoſophiae p. 49. 50. & quatenus recipienda ſit p. 56. idem exponens Aegyptiorum doctrinam cur Euſebio anteponendus p. 109. 110.
Poetarum de Natura divina canentium nulla eſt auctoritas p. 18. & 19. Ipſi Supremum Numen agnoſcunt p. 22.
Politianus (Angelus) defenditur ab Atheiſmi nota a p. 344. an vera ſint quae de illius impura vita narrantur p. 345.
Polyphemus ut impius in Deos tamen eos agnoſcit p. 3. 4.
Pomponatius (Petrus) cur Atheiſmi accuſatus p. 347. Ejus abſurda doctrina reprehenditur, ſed ab Atheiſmo vindicatur p. 348.
Popius (Alexander) in Catholica Religione firmus p. 335. Ejus verſus quibus Divinitatem agnoſcit afferuntur a p. 336.
Porrum an ab Aegyptiis Numen habitum p. 106.
Porta Coelorum Opus Cabbaliſti cum minus obſcurum quam reliqua 189.
Prodicus Ceus cur a Cotta habitus Atheus p. 55.
Protagoras quid initio libri poſuerit p. 55. idem a Clemente Alexandrino defenditur p. 59.
Proteſtantes cur Patres contemnant p. 179. iidem injuria Catholicos Atheiſmi accuſant p. 350. 351. quam injurii ſint in Leonis X. memoriam a p. 351. plures in Caeſalpinum injurii p. 366.
Providentia a veteribus in dubium non vocata p. 13.
Pythagoras quid de Homero, & Heſiodo p. 18. quid ejus diſcipuli de ipſo *ibid.* Cur dictus, Pythagoras p. 19. quid a Xenophane differat p. 72.

Q

Quadrius (Franc. Xaver.). Ejus de Homero judicium p. 20.
Quarequam incolae non Athei p. 218.

prae-

praepoſterae libidini quam infenſi *ibid.*
Quaeſitores Fidei laudantur p. 366.

R

RAynaldus (Odoricus) meliorem opinionem Divinitatis tribuit Siamenſibus, quam alii Scriptores p. 170. 171.
Recognitionum libri quomodo doctrinam Indorum exhibeant p. 181.
Renodotius injuſtus Sinarum accuſator a p. 315.
Ricotius (*M. Ricaut*) laudatur p. 342. 343.
Rivetius (*Rivet*) confutatur p. 353.
Ruiſius (Antonius) laudatur p. 237.

S

SAbaitae qui & unde dicti p. 139.
Sabaei qui p. 138.
Sabudae (inſulae) incolae an Athei a p. 266.
Sagardius (P. Gabriel) quid de Canadenſibus docuerit p. 205.
Sabinus (Georgius) cujus auctoritatis p. 350.
Sammanaeorum Secta quae, & cur ex India exterminata p. 171.
Sanchuniathonis Coſmogonia non tam hominis, quam gentis Phoeniciae doctrinam exprimit p 142. ejus ſumma exhibetur p. 146. an cum Moſaica conveniat p. 147.
Sapientum Graecorum, & Romanorum doctrina de Divinitate triplex a p. 129.
Schoutenus cujus auctoritatis a p. 266.
Scythae morti proximi cur laetarentur p. 84. quid coluerint p. 85. quid de animorum immortalitate ſentirent p. 85.
Seneca quid de Etruſcis p 92.
Seres laudantur p. 83. & 84.
Sereſes an Athei p. 252.
Sextus Empiricus quos enumeret Atheos p. 58. quomodo defendat Scepticos p. 76. 77.
Siamenſes defenduntur contra Lockium, & alios a p. 168.
Simonii (Richardi) judicium de Philone Biblio defenditur p. 155. ejus judicium contra Jeſuitas reprehenditur p. 310.
Simplicius quomodo Unum Xenophanis acceperit p. 66.
Sinae. Librorum antiquiorum, quos illi habent, de Deo doctrina a p. 311.
Sinae veteres an Scriptoribus Latinis, & Graecis incogniti p. 84. quantopere eis Athei fidant pag. 285. 286. creationem Coeli & Terrae agnoſcunt p. 290. animorum immortalitatem agnoſcunt p. 312. Et eſſe Genios, aut Spiritus corporum expertes pag. 312. An illis tribuendus error de Anima Mundi p. 326. 327. an in Sermone Sinico nomina ſint, quae Deum exprimant p. 316.
Sinae litterati recentiores Spiritus eſſe quibus argumentis aſſequantur p. 327. quid de Deo doceant p. 328. quantopere colant Coelum. p. 330. 331. quantopere Bonzios abominentur, & populari ſuperſtitioni ſint infenſi p. 332. Quaedam eorum conſuetudines, ac ritus p. 330. 331. 332. an Athei ſimul, & honeſti p. 333.
Sinica monumenta cum ſacris Libris comparari non poſſunt, imo ſunt dubiae auctoritatis a p. 287. 288.
Sinicarum linguarum difficultas multis exemplis probatur p. 329.
Sinus S. Auguſtini incolae non Athei p. 252.
Siſyhus apud Euripidem unde cognitionem Divinitatis repetat p. 56.
Socratis doctrina de Deo a p. 78. quantopere eo Magiſtro Academici gloriarentur. p. 80.
Sommonacodomus Siamenſium p. 169.

Digitized by Google

Souriquoſi non Athei p. 199. Iidem defenduntur p, 205.
Spinoſa (Benedictus) an Cabbaliſtarum ſcrinia compilaverit p. 189. Ejusdem doctrina in quo differat a doctrina Xenophanis p. 73.
Statii verſus de Deo, quem nominare non poſſimus p. 132.
Stillingflitus (Eduardus) laudatur p. 238.
Stobaeus (Joannes) quis fuerit, & laudatur p. 43.
Stoici conqueruntur de impietate Poëtarum p. 20. quid differant a Xenophane p. 72.
Strabo. Ejus ſententia de Superſtitione reprehenditur p. 21. laudatur p. 98. & 175.
Sufyi Perſarum quid de Deo doceant p. 196.

T

TAchard (*le P. Tachard*). Ipſi de Religione Siamenſium ſcribenti magis, quam reliquis credendum p. 170.
Tacitus. Ejus teſtimonium de Germanis Julio Caeſari praefertur p. 88.
Talapoini Siamenſium qui p. 170.
Tapuyi non Athei p. 244.
Tartari non Mahummedani quid de Deo doceant p. 169.
Tatianus probabilius eſt auctor libri *de Irriſione Philoſ. Gentil.* p. 33.
Taurellus (Nicolaus) ab Atheiſmi nota defenditur a p. 367. ejus abſurda ſententia de Providentia *ibid.*
Tekquoa (Gounga) Hottentotorum Deus maximus p. 254.
Thales accuſatus Atheiſmi p. 30. fuſe defenditur a p. 31. ejuſdem praeclarae de Deo ſententiae p. 43. 44. Dei Libertatem agnovit p. 44.
Thebaidis Incolae quid de mundi Auctore p. 103.
Theodoria Secta brevi exaruit, & cur p. 55.
Theodorus Atheus quam Sectam condiderit p. 55. a Clem. Alex. defenditur p. 59. cur a nobis Atheus habeatur p. 60.
Theophraſtus laudatur p. 81. Quare Thoes Atheos habuerit *ibid.* Ejus narratio de Acrothoitibus p. 82.
Thomas (D.) laudatur p. 298. Mundum ab aeterno potuiſſe per divinam Omnipotentiam produci, opinatur p. 303.
Timonis verſus de Xenophane p. 19. Ejuſdem de eodem alii p. 71.
Timor (Inſulae) Incolae, an Athei a p. 266.
Tolandus quomodo dicat, Mundum intelligere p. 7. Ejuſdem verſus impii de Mundo p. 8.
Toupan Paraquarienſium Deus p. 238.
Touquoa Hottentotorum malignus Spiritus p. 254.
Tourneminius laudatur p. 219.
Traditio. Cur a nobis uſurpetur hoc nomen p. 240.
Traditiones Ægyptiorum p. 115.
Trajanus quid de Getis retulerit p. 84.
Trinitas an adumbrata in quorumdam Americanorum Religione p. 215.
Tuiſton Germanorum Deus p. 88. Ab iiſdem cultus p. 98.
Tunguli Deos verberantes p. 195.
Tupa Braſilienſium Deus p. 244.
Turcae. Qui ſint inter eos Athei, & cujus indolis p. 342. 343.
Typhon p. 114. 115. &c. An ejus imagine venerit apud Ægyptios Anima bruta mali cauſa p. 116
Tyrii quantum Herculis cultui addicti p. 143.
Tyrrheni Anonymi Coſmogonia a Suida producta rejicitur, ut ſuppoſita p. 92. 93.

V

VAlſechius laudatur p. 89. 197. &c. impugnatur ejus de Callaicis ſententia p. 90.

Va-

Valuverius quis, & quam praeclara de Deo ſcripſerit p. 181. 182.
Varillanus nullius auctoritatis Scriptor p. 357.
Vedam Indorum liber quid habeat de Deo p. 173.
Vega (Garcilaſſus de la) laudatur p. 229.
Viatores. Quam parum eis fidendum p. 267. & 284.
Villemandèus (*Pierre de Villemandy*) reprehenditur, & confutatur p. 371.
Virginiae Incolae non Athei p. 207.
Viſchnous quid apud Indos p. 174.
Vivianus (Vincentius) injuſte Atheiſmi accuſatus a p. 371. laudatur ejus ingenium, doctrina, & pietas p. 371. 372. 373.
Unum Xenophanis quomodo ſit accipiendum a p. 66. fuſe.
Voerius (Gisbertus) confutatur p. 345. 346.
Voltaerius reprehenditur, quod Arabicos errores aliis Religionibus praetulerit p. 140. ipſe eſt auctor libri cui titulus *Philoſophie de l' Hiſtoire* p. 140. improbitas ejus libri *ibid.* reprehenditur quod Moſem a Sanchuniatone ſua ſumpſiſſe dicat p. 147. quibus artibus lectores ſibi conciliet *ibid.* quod apud multos in pretio ſit quid indicet p. 148. Pueriles quidam ejus errores p. 148. dubitavit aliquando an Deus Mundi Creator ſit agnoſcendus p. 286. confutantur quae de Mundi Æternitate a Philoſophis credita ſcripſit p. 286. 287.
Voſſius quid de Lino p. 8.
Voſſius (Iſaacus) quid de Augylis p. 96.

X

XAng-ti Sinarum quid ſit a p. 307.
Xenophanes reprehendit Homerum, & Heſiodum p. 19. laudatur *ibid.* de illo Ciceronis judicium p. 72.
Xenophon. Utrum ille an Plato Socratis doctrinam fidelius exprimat p. 78. 79.
Xi-hoam-ti litteras apud Sinas perdit p. 288.

Y

YAP (Inſulae) habitatores quid colant p. 273.
Yedſo (Terrae) Incolae an habeant publici regiminis formam p. 283. quid de Divinitate ſentiant p. 284.
Ynga Yupanqui Peruviae Rex p. 229.
Yvo Encyclopaedicus Auctor confutatur p. 370. &c.

Z

ZAbii qui p. 138. &c. Defenduntur ab Atheiſmi nota p. 139. 140.
Zafferamini, & Zaffrehibraim populi non Athei p. 257.
Zamagna (Bernardus) laudatur p. 2. 23. ejus verſus afferuntur p. 2. 3. 4. & 24.
Zemblae (Novae) Populi non Athei p. 196.
Zeno Eleatenſis defenditur p. 74.
Zindikaei qui fuerint, & an Athei p. 342.

F I N I S.

CORRIGENDA

Pag. *61*. Empdeoclem, *lege* Empedoclem.

Pag. *91*. Brunet, *lege* Burnet.

Pag. 235. pleroſque potius aliquando, *lege* aliquibus aetatibus.

Pag. 236. aut idola, vel templa, *lege* aut altaria, vel templa.

Manifeſta quaedam alia Typographi errata eruditus, idemque humanus Lector per ſe facile corriget.

Digitized by Google

LUDOVICUS PARAVICINUS SOC. JES.

In Provincia Romana Praepoſitus Provincialis.

CUM Operis cui titulus = *De Generis Humani Conſenſu in agnoſcenda Divinitate* = a P. Aloyſio Brenna Soc. Jeſu Sacerdote conſcripti, Volumen Secundum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtate nobis a R. P. Laurentio Ricci Praepoſito Generali ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur: In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munita dedimus. Romae 12. Decembris 1772.

Ludovicus Paravicinus.

Die 9. Septembris 1772.

Imprimatur Vic. Gener. S. Off. Florentiae.

Si ſtampi F. Seratti.

ACI 1453464

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google